Cognoscens carnaliter absq; violentia famullã nullo modo punitur. de adulterij. c. si quis carnaliter. 258.

Cognoscens viduam honestæ vitæ, vel virginem stuprans absque vi qualiter condemnetur.eo.tit.si muli. 258.

Cognoscens carnaliter & sponte mulierem solutam per alium cognitam non punitur, de adult.c. pro muliere. 258.

Cognoscens mulierem consanguinitate coniunctam diuersimode condemnatur. eo. ti. c. pro inceestu. 258.

Cognoscens carnaliter monialem sponte, vel per vim quali-

Cognitio corũ qui capiuntur de nocte cum armis, vel sine lumine spectat ad capitaneum. De cogniti. domini capi. c. vnico. 295.

Christianus cognoscens sciẽter carnaliter Iudæam punitur. De adulterijs. c Iudæus in fi. 259.

Cloaca fieri non potest inter aliquem. & vicinum suũ. De consortib. c. nullus inter se. 188.

Collegium potest cõstituere vnum, vel plures procuratores, sindicos, & actores, dũmodo non cõstituatur de iure prohibitus. De audi. in iudicio, c. 2. 2.

Colonus tenetur soluere decimam frugum, apum, piscium, anserum, pullorum, & aliarum rerum, de quibus decima soluitur. De deci. c. 2. 107.

Colonus debet denunciare domino decimæ, antequam leuet segetes de campo, vel de ara. eo. ti. c. si. 108.

Colonus vendens, donans, vel alienans rem immobilem ignorante eo, cuius nomine possidet, nihil ei præiudicat, & tanquam falsarius arbitrio potestatis punitur. De liuelarijs. c. si aliquis colonus. 110.

Colonus est licentiandus de possessione ante festum diui Antonij de iunio, alias expelli non potest vsque ad annũ. De villa. & inquil. lic. c. 1. in prin. 110.

Colonus vellens exire de prædio domini, debet ante festum diui Antonij de Iunio denunciare domino alias intelligitur recõduxisse fundũ per alium annum. d. c. i. ver. Et similiter. 110.

Colonus si fuerit licentiatus de fũdo debet habere medietatem palearum, frumenti venæ, speltæ, hordei, cannarum, surgi, milei, panigei, & totius alterius straminis: excepta segalina, & letamine. De villa. & inquil. lic. c. i. ver. Et si dominus mansi. 110.

Colonus partiarius si inuito domino, & non licentiante exierit de fundo: omnia prædicta remanet super fundo, & colonus nihil debet habere. d. c. i. ver. Si autem villanus partiarius. 110.

Colonus tenens ad affictum si exierit de fundo inuito domino, & non licentiante, debet omnium habere medietatem, exceptis lætamine, & segalina. d. c. i. ver. Si autem villanus affictuarius. 110.

Colonus, qui habuit fœnũ primo anno, quando intrauit

in fundum, tenetur illud dimittere vltimo anno. d. c. i. ver. idē dicimus de fœno. 110.

Colonus vendens fœnum, segalinam, vel lætamen vltimi anni tenetur domino præcium restituere. d. c. i. ver. Et idem dicimus si rusticus. 110.

Colonus tenetur dimittere vltimo anno domino omnes res eiusdem generis, & qualitatis, cuius erant, quando fundum primo anno intrauit. d. c. 1 in fi. de villan. & inquil. licen. 110.

Colonus licētiatus tenetur cannas sugi incidere & ligare. d. c. i. in fi. 110.

Colonus de Pedeuenda laborans vineas. xv. diebus ante festum S. Michaelis, vel xv. diebus post illud licentiandus est. De villa. & inquil. lice. cap. 2. 111.

Colonus licentiatus non potest cerpire, incidere, vel deuastare salices, perticas, & arbores, vel auferre tectum, vel serraturas sub pæna solidorum. xl. pro qualibet pede. De villa. & inquil. lic. c. villanus postquam in prin. 111.

Colonus non licentiatus nō potest incidere arborem viuā, vel mortuam sine parabola domini. d. c. villanus postquā. ver. Et non liceat. 113.

Colonus non potest cerpire salices, nisi perticas trium annorum à festo S. Martini vsq; ad medium mensem Martij sub pæna lib. trium. d. c. villanus postquam in fi. 111.

Colonus conducens prata tantum est licentiandus per totum mensem Aprilis. De villa. lic. c. si quis habuerit in prin. 112.

Colonus conducens nemora tantum est licētiandus per totum mensem Martij. d. c. si quis habuerit. 112.

Colonus conducens nemora cum manso non potest incidere ligna sine licentia domini, nisi à principio mensis Septemb. v. que per totū mensē Martij. De villan. & inquil. lice. c. villanus aliquis. 112.

Colonus accipiens licentiam à domino exeundi de fundo, melioramenta petere nō potest. De villan. & inquil. lic. c. si rusticus. 112.

Colonus licentiatus a domino, vt exeat fundum melioramenta petere non prohibetur, vt ibi c. 112.

Colonus sine licentia domini distrahens lætamen incidit in pœnam solidorum. lx. & ad restitutionem dupli tenetur de villan. lic. c. villanus aliquis. 113.

Colonus non debet laborare suam, vel alienam terram, vel carizzare cum bestijs domini, alias punitur. De villan. lici. c. non debeat. car. 113.

Colonus alicuius ciuis si recesserit ab eo antequam solvat, non potest alter ciuis eum conducere. De villa. & inquil. lic. c. nullus collonus. car. 114.

Colonus iuridice licentiatus, collectis gressulibus de fundo debet pati novum colonum venire ad laborandum pro sequenti anno, & ei dare commoditatem, habitandi cum suis bestijs aptis ad laborerium tantum. co. ti. c. villanus licentiatus. car. 115.

Colonus recessurus de fundo conducto, si habet in cortiuo aliqua ædificia, vel aliqua iura in re, tenetur ea vendere domino volenti. De villa. lic. c. laborator. car. 115.

Colonus sine solutione fienda à domino tenetur dimittere sepes penatas, & sergaleas, d. c. laborator. 115.

Colonus licentiatus de fundo non potest pasculare bestias in fundo, de quo est recessurus, de villan. licenti. c. laborator aliquis. 115

Colonus recessurus de fundo non potest seminare minuta in terris, quæ veniunt ad grossula. De villa. & inquil. lic. c. aliquis colonus. car. 116.

Colonus soluens bladum minutum viride, & auentatum debet illud mensurare ad starium culmum, siccum verò ad starium rasum. De villan. licen. c. quilibet villanus. 116.

Colonus vinearum tam in plano, quam in monte tenetur dare partem domino iuxta formam c. omnes laboratores. De villa. licen. 116.

Colonus de monte tenetur omni anno pro singulo campo plantare. xxi. pedes oliuarum. De villan. licen. c. omnes laboratores ver. Et tenentur plantare. 116.

Colonus ad partem debet denuntiare domino antequã tibliet, vel vendemiet, & antequam carizet grossula sub pœna lib. sex. co. ti. c. villanus quilibet. 117.

Colonus tenetur dare grossula domino vsque ad sanctam *Maria* de Augusto, & minuta vsque ad festum omnium sanctorum, co. ti. c. quilibet. 117.

Colo-

Coloni onera realia, & personalia habent cum villis, & locis, in quibus ipsi habitant. De æstim. villa. c. 1. 296.

Colonus partiarius non potest rebatere palearium, nisi data no itia domino de villa. lice. c. villanus. 118.

Colonus non potest sine licentia domini incidere arborem viuam de fundo, quę laborat sub pœna solidorum, lx. pro qualibet incisa. eo. ti. c. aliquis. ca. 118.

Colonus tenetur quolibet anno tempore debito, & consueto plantare plantonos de salice vel de arbara, vel de puuali secundum numerum camporum, quos laborat. eo. ti. c. quilibet. 118.

Colonus quot turnas fossatorum fodere teneatur, vide. c. quilibet agricola qui ab aliquo. eo. ti. 118.

Colonus nõ bene laborans fundum conductum tenetur de fundo non bene laborato. de villa. & in quil. lic. si quis habuerit. 119.

Colonus alienans rem immobilem, de qua est colonus, ignorante eo, cuius nomine possidet, nullum ei facit præiudicium, nec contra eum currit præscriptio, nisi à tempore scientię, & tanquam falsarius arbitrio potestatis punitur. eo. ti. c. si aliquis villanus. 119.

Colonus in ecclesia pro debito detineri non potest, sed bene in curtiuis, & domibus. De carcer. c. aliquis qui. 115.

Colonus an & quando pro affictu non soluto capi, vel detineri possit, & quid obseruandum prius est. De carcer. c. statuimus. 147.

Colonus quilibet tenetur aperire vaonos, & cauare fossata, quæ sunt iuxta vias publicas, & consortiuas. De consortib. c. quilibet habens 188.

Colonus vel rusticus quomodo efficiatur ciuis Paduæ, & quę requirantur ab eo fieri. De forensib. c. Rusticus cum seq. 197.

Colonus requisitus per ęstimatores punitur, si non dederit iuste bona sua in nota. De factio. imponen. c. rusticus. 202.

Colonus verbo, vel opere prohibens, ne dominus possessionem, vel decimam suam locet, punitur in libris centum. De posse turba. c. villanus quilibet. 205.

Colonus committens maleficium in dominum, cuius sit laborator, vel in eius famitiam, qualiter puniatur. De

insul-

insultib. c. rusticus. car. 245. Et de homicidijs. c. fi. 249.

Colonus non potest portare arma per villam, in qua habitat, vel alibi, nisi & cæt. De arm. veti. c. habitator. 284.

Comburens scienter, & dolose rem aliquam conburendus est, secus si culpabiliter. de furtis. c. quicunque. 264.

Comedēs in quadragesima. carnem, vel alia vetita, condemnatur. De blasfe deum. c. 3. car. 286.

Commissarij, & executores vltimarum voluntatū possunt constituere procuratores tam ad negocia, quam ad iudicia, etiam ante lit. con De audi. in iud. c. non possit in fi. 14.

Communitas alicuius castri, vel villæ non potest condere statutum, quod sit contra statuta communis Paduæ. De statu. commu. Padu. c. c. aliqua fratalca il 2. 192.

Communia villarum tenētur obseruare statuta communis Paduę loquētia de damnis datis. De regul. & dam. dati. c. teneantur. 121.

Communia villarum tenētur per totum annum habere saltuarios, qui custodiant blada, & arbores, & singulis annis debent eos eligere, De saltuarijs. c. i. 121.

Commune villa, in qua damnum datum est, tenetur in casu, in quo saltuarius non est soluendo, reseruato tamen sibi regressu contra damnificantem eo. ti. c. si damnū. 123.

Commune an & quando teneatur de damno dato. De saltua. cap. si damnum datum car. 124.

Cōmune agit contra personas, quæ damnū dederunt pro omni damno, & interesse passo. eo. ti. c. si aliqua persona 125.

Commune soluens datium episcopo, vel abbati punitur. De factionib. impo. c. aliquod commune. 199.

Cōmune illius villę, in qua fuit commissum homicidiū, tenetur soluere 2. libras pro prima dieta. De offi. iud. mal. c. si aliquod homicidium 215.

Communia villarū tenentur eligere homines idoneos ad custodiendas vuas. De vuis. cap. communia. cum cap. sequen. 127.

Commune villæ, in qua bestię fuerint de nocte sublatę vel vulneratæ, vel interfectæ in curtiuis, tenetur. De bestijs. c. 2. 129.

Communia villarum non tenentur ad expensas denunciantium. De accusa. cap. communia,

munia 225.

Communia villarum non possũt facere aliquod statutũ, vel ordinationem cõtra ciues De æstimis villa. cap. adhoc. car. 302.

Communia villarũ tenẽtur sustinere onera, sicut imposita sunt. eo. ti. c. cõmunia 308.

Cõparatione facta per procuratorem legitime constitutum per aliquem, ipse constituens non est amplius citandus in eadem causa: nisi & cæt. de audi. in iudi. c. si aliquis. 19.

Compromissum inter agnatos, & affines vsq; ad certũ gradum est de necessitate faciendum secundum formam traditam in c. 1. de diffe. & compromissis. 70.

Compromissis tempus durare non debet vltra. lx. dies. De citati. c. non tamen. ver. tempus vero. 57.

Cõpromissum de voluntate partium potest prorogari de differ. & compro. c. i. ver. quibus terminis elapsis. 70.

Compromissum, non potest fieri, vt rectores, potestates, vel vicarij eligantur in arbitros. De regist. instru. c. si. car. 186.

Conclusio in causa quomodo & quando fiat. De citati, & ordi. proced. c. quilibet. ver. quibus terminis. 55.

Conclusio in causa quando dicatur. eo. ti. c. elapsi. 49.

Condemnatio de damno dato non potest fieri per iudicem victualium, nisi in publico arengo. De regul. & dam. dat. c. 2. 119.

Condemnatio de regulis, & damnis datis diuiditur in quatuor partes de regu. & dam. dat. capitu. de condemnationibus. 120.

Condemnationes qualiter publicari debeant. De maleficijs, & arbi domini potestatis, c. potestas. 212.

Condemnationes, & absolutiones reorum quomodo, & per quos scribendæ sint. de condem scri. c. i. post. prin. 269

Condemnatus pro damno dato debet soluere, & si non habet, duobus diebus in carcere detinendus est. De saltuarijs. c. quicunque. 124.

Condemnatus pro maleficio quomodocunque si non soluerit condemnationem infra tempus per statuta declaratũ, habetur pro forbannito, etiam si non fuerit scriptus in libro forbannitorum. De forbannitis ca. quicunque. 142.

Condemnatus in lib. xxv. vel infra, vel debitor nõ potest

mitti

test mitti in carceribus malefactorum. De carcer. c. si aliquid cum. ca. seq. 145.

Condemnatus ex causa inobedientiæ statim de commissione iudicis capi potest. De carcer. c. quicunque. 147.

Condemnatus pro rixa, vel insultu, vel vulnere, vel verbis iniuriosis non est infamis. De condem. scriben. cap. condemnati. 271.

Cõdemnatus in arengo pecunialiter quem terminum habeat ad soluendam condemnationẽ. De condem. scrib. c. publicatis. 271.

Condemnatus pecunialiter si vult soluere condemnationem quid agere debet eo. ti. c. iudex. ver. Et quandocunque. 271.

Cõdemnatus pro maleficio pecunialiter, si infra mensem non soluerit, habetur pro forbannito. De malefact. cap. quicunque. 282.

Conductor etiam partiarius negans in iudicio se esse partiarium cadit à iure suo, domino volente, & in libris quinquaginta punitur. De liuellar. cap. si. 110.

Confessio spontanea relevat confitentem, & negatio aggrauet negantem. De accusati. & ordi. proc. c. si accusatio. ver. Et si in ipsa executione. 226.

Confessio sponte se maleficium commisisse, remittitur quarta pars condemnationis vt ibi. 226.

Confideiussor non potest facere detineri confideiussorẽ si pro principali soluerit. De carce. c. quilibet. ver. non possit tamen. 146.

Confirmatio reformationis trium statutorum infra positorum videlicet de præsentatione propinquorũ. De chartis registrandis, & de successionibus mulierum. De refor. st. c. i. ver. item. supplicare. 174.

Contractus feneraticius nõ tenet etiam si nulla scriptura interueniat. De alienati. c. in odium. 94.

Contractus loquentes de frumẽto, vino, soceda bouum, vaccarum, & similium quadrupedũ præsummuntur vsurarij, si tempore contractus creditor erat publicus vsurarius. De aliena. & obli. c. contractus. 97.

Contractus celebrati inter publicos ruffianos, & publicas meretrices non tenent. De aliena. & oblig. c. contractus aliqui. c. 67. & de meretri. c. si. 294.

Contractus celebratus cum

aliqua muliere, quam postea dotauit, & in contractu dictæ mulieris dotem futuram sibi obligauit, non præiudicat descendentibus ex ipsa muliere, nec etiam eius marito. De successi. mul. c. statuimus. 105.

Consortum molendinorum si aliqui voluerit postam, vel ædificare, remittitur. De con. sortib. c. 2. 186.

Cōsors pro alijs potest agere de damno dato. De regulis & dam. dat. c. nullus ced. 121.

Consortes tenentur ad dadiam lanciatum, equarum, vastatorum, peditum, & plaustrorum. Ad quę & qualia. one. conso. ten. c. 1. 310.

Consortes ad onera personalia non tenetur: sed ad illa, quæ ad æstimum diuiduntur, bene tenentur. d. c. 1. ver. item ad dadium. 310.

Consortes tenentur ad expensas pontium. d. c. 1. infi. 310

Consortes tenentur ad expēsas pro eundo Venetias pro agendis litibus, & alijs opportunis. Ad quæ & qualia. c. 2. in prin. 311.

Consortes tenentur pro salario potestatis, & vicarij, & aliorū. vt per totū illū ti. 311.

Consilium quando fit in aliqua villa de aliqua re qui vocandi sint ad consilium, De æstim. villarum c. statuimus il primo. 307.

Consilio per sapientes dato, & exhibito intelligitur die traditionis consilium publicatum, & pro publicato habetur, quo ad peremptionem instantiæ, De citati, c. assumptione in fi. 50.

Conuenticula, vel conspiratio inter aliquos facta qualiter puniatur. De assassi. c. aliqua. 250.

Copia instrumenti in iudicio producti est dāda reo sine die & consule. de citati. & ordi. proced. c. Si autem reus post prin. 28.

Copia instrumenti in iudicio producti an, & quomodo, & qualit. parti dari debeat. De citati. & ord. proc. c. cuiusliber. 46.

Copia personarū, cōtra quas producitur inuentarium faciēda est, De audi. in iud. c. fi. 19.

Curator adulti, furiosi, & prodigi potest accusare homicidium patris adulti furiosi, & prodigi. De hom. c. tutor 248.

Cuilibet licitum est pascere animalia sua in paludibus, & pasculis communis villæ suæ. De bestiis. c. cuilibet. 129.

Curator datus ad litē nō tenetur facere inuētariū, nec satisdare. De au. iu. iu. c. curat. 18

Curator producēs aliquod instrumentum falsum, repertum tamen in innentario per ipsum facto non punitur, De falsis testi. c. si contingerit. 265.

Cultellus à pane non fraudulentus intelligitur concessus portari. De arm. veti c. arma. 283.

DAciarij bladorum per vnum annum post cōplementum sui datij possunt petere datium suum, quo elapso non audiuntur. Quodā daciarij non possint. 318.

Damnum datum in villa non debet emendari per vicinos, si ille, cui dammum datum est, non est subiectus iurisdictioni communis Paduæ. De saluarijs c. damna car. 124.

Damnum datum in re mobili, vel se mouente per vicinos secundum æstimationem, & arbitrium prætoris emendandum est. eo. ti. c. si fuerit damnum. 124.

Damnum datum per ignē emendatur secundum formam. c. si alicui ciui. de saltuarijs. 125.

Damnum si fuerit datum extra terminos campaneæ Paduæ, villa proximior emēdare tenetur, De salarijs, c, si damnum. 124.

Dans cedulam alicui prçconi contra formam statutorum condemnatur. De pignor. c. non audeat. vet. Et quicunq; 74.

Dans in tenutam rem per alium possessam sine voluntate possidentis condemnatur. De pignorib. c. quicunq. car. 74.

Dans damnum sibi ipsi, vel dari faciens, & petens à communi æstimationem damni, punitur. De saltuarijs. c. pe. car. 126. Et de Furtis. c. si. 264.

Dans auxililium cooperatiuum ad maleficium committendum condemnatur perinde, ac si ipse commisisset. De insulcib. c. quicunq; car. 242.

Dans fauorem, & auxilium rapienti mulierem honestam per vim capite punitur, & eius bona confiscantur. De adult. c. i. car. 256.

Dans rei immobilis iulolutum potest per agnatos, vel coherentes reuocari, si præsentare voluerint. Quib. lic. acquir. bon. c. si quis de cetero. 89.

Debilitans alicuius membrum qualiter puniatur. De insultib.

insultibus, e. pro incrassatura. 241.

Debitor tenetur infra. xv. dies à tempore præsentationis computandos exigere pignus suum, aliter de iudicis licentia subhastatur. De pignoribus c. massario ver. Et scribere teneatur. car. 79.

Debitor non auditur contra emptorem, si eius pignus legitime per massarium venditum fuerit. eo. ti. c. massario ver. Et de pignore aliquo. 79.

Debitor carceratus si aufugerit, vel sine licentia iudicis fuerit relaxatus tenebitur capitaneus carceris ad solutionem debiti. De carceribus, c. capitaneus. car. 145.

Debitor ex causa mercantiæ obligatus, & per sententiam condemnatus potest statim de cōmissione iudicis detineri. De carcerib. c. quicunq; fuerit. 147.

Debitor pro debito generalis, hoc est priuatorum in ecclesia, vel in domo suæ habitationis retineri non potest. De carcerib. c. aliquis qui. 150

Debitor, si pro maiori quantitate, quam sit in rei veritate debitor. detentus sit, est relaxandus, nec potest ad petitionem illius creditoris iterum capi, nisi post duos menses. De carcerib. c. quicunq; fuerit. 151.

Debitor fugitiuus intelligitur esse, & est in casu detentionis, & captus relaxari non debet, nisi & cæte. De carcerib. c. debitores fugitiui. 152.

Debitor fugitiuus quis dicatur. De fugitiuis. c. i. ver. Et intelligatur quilibet. car. 154.

Debitor fugitiuus factis proclamationibus & ipso iure infamis, & priuatus omni honore, nec potest alienare aliquid in præiudicium creditorum, De fugitiuis. c. fugitiuus autem. 156.

Debitor fugitiuus etiã ante proclamationem ad petitionem creditorum detineri, & incarcerari potest, nisi habuerit saluum conductum. De fugiti. c. debitor quilibet. car. 156.

Debitor fugitiuus (facta pronuncia per iudicem super pactis creditorum) non potest deinde cogi ad soluendũ, nisi secundum pacta. De fugitiu. c. liquidatis debitis. car. 158.

Debitor

Debitor fugitiuus post pronunciam factam per iudicem super pactis creditorum, intelligitur ipso iure restitutus ad famam, & ad pristina priuilegia, & honores. d. cap. liquidatis debitis. car. 158.

Debitor fugitiuus si non obseruat pacta inter eum & creditores inita, est in casu detentionis, nullo statuto obstante. De fugit. c. debitor quilibet. car. 158.

Debitor fugitiuus inducens falsum creditorem, vt fiant pacta in fraudem verorum creditorum condemnatur. De fugiti. c. si aliquo tempore. ver. debitor vero car. 158.

Debitor si bis vetuerit pignorari potest fieri denunciato per creditorem & cæt. De pignoribus. c. si debitor. car. 78.

Debitor habens instrumentum solutionis generalis à creditore debet etiam habere speciale. De char. redden. c. si. car. 100.

Debitor quilibet, quem constat non esse soluendo, intelligitur in casu detentionis. de carcer. c. debitor quilibet. car. 147.

Debitor ratione ludi vetiti retineri non potest. De carceri. c. aliquis occasione. 153.

Debitor si aufugerit, vel fama est auffugisse, qualiter procedat. De fugiti. c. 1. 154.

Debitum presumitur liquidum, si debitor infra. xv. dies non comparuerit ad contradicendum, ne pignus vendatur. De pignor. cap. massario. ver. Et præsumatur. 79.

Debitor rusticus habitans ruri etiam in curtiuo, & in domo suæ habitationis retineri potest, non tamen in ecclesia. De carcer. c. aliquis qui. ver. rustici vero. 150.

Debitum in quibus casibus præsumatur solutum. De alienati. c. i. 99.

Debitũ pro maleficio an, & quomodo intelligatur. De malefi. c. debitum. 281.

Decanus villarum tenetur acceptare, & custodire pignus sibi datum per præconem, & illud expensis pignorum Pauium portare & cæt. De pign. c. quilibet decanus 76.

Decanus villæ tenetur denuntiare maleficia, & vetita arma portantes. De accusat. & ordin. proced. c. si in aliquo. 213.

Decanus villarum non tenetur denunciare rixas verborum tantummodo: nec maleficia,

lefficia, ex quibus sequatur poena librarum. x. nisi & caetera. De accusa. c. capitacar. 223.

Decanus non tenetur regulariter denunciare malefitia facta à minore xij. annis, nisi requisitus. De accusa. & ord. proced. c. non teneatur. 224.

Decanus villarum tenetur denũciare iudici aquil. omnes ferentes arma vetita per villam suam. De arm. veti. c. decanus. 284.

Decedens ab intestato nullis relictis descendentibus, nec matre si reliquerit auiã, vel aliquem per lineam maternam ascendentem, ille etiam si fuerit masculus excluditur à fratre defuncti. De succeef. mult. refor. ca similiter verŝi non aliqui. 181.

Decedens ab intestato si nullos reliquerit descendentes, vel ascendentes, sed tantummodo transuersales, tunc frater morientis, & eius nepotes praeferuntur. d. c. similiter. ver. si vero quis decederit. 181.

Decedens ab intestato si reliquerit sororem, & agnatos, qui non sint fratres, vel filij fratrum, illa soror succedit in tertia parte, & agnati in alijs duabus. d. c. similiter. ver. Et si dicto defuncto car. 181.

Decedens ab intestato si reliquerint plures cõiunctas in secundo grado transuersalium, & supersit agnatus in eodem gradu, ille agnatus in totum succedit. c. similiter. ver. si vero dicto defuncto car. 181.

Decima est soluenda de frugibus, apibus, piscibus, ansecibus, pullis, & alijs rebus, de quibus decima soluitur. De decimis. c. 1. 107.

Decima vitulorũ est quatuor denariorum. dicto cap. i. in fi. 107.

Decima pullorum est sex danariorum. d. c. i. in fi. 107.

Decima hedorum est duorum denariorum. d. capitulo, i. in fine. 107.

Decima non soluitur de pratis, & nemoribus non reductis ad culturã. De decim. cap. 2. 108.

Decima soluitur de terra arata, laborata, & postea ad pratum redducta. De decim. cap. 2. 108.

Decima non soluitur. de terris de campanea communis Paduae, d. c. 2. 108.

Decima non soluitur de terris, quae a xx. annis hinc

retto fuerint laboratæ. De decim.c.2. 108

Decim. quomodo sit reddẽda vel in palea, vel in grano. De decim.c.quilibet. 108.

Decimam non soluẽs condemnatur in solidos sexaginta pro quolibet capitulo non obseruato. De decim. c. quilibet. 108.

Decimandi ius præscribitur spatio 20. annorum. De decim.c si quis possed. 180

Decima de vuis est soluenda. De dec.c.si. circa med. 108

Decima quando soluitur in blando sicco, datur ad starium rasum, quando vero in blando viridi, datur ad culmum. d.c si. in si. 108.

Decima si per quinquennium continuum fuerit reddita, in futurum præstanda est, nisi ostenderit eam præstandam non esse. De liuelar. cap. si quis reddiderit. 110

Decretum. Decreti secundi materia tangitur. De pignorib. c. si. 81.

Decuriç aquarum sunt cauandæ. De reform. statu. c. 1. ver. item exponere. 174.

Delegatio qualiter committi debeat, quando iudex allegatus est suspectus. De comp. c. iudic. non possit. 7

Denuncia de damno dato debet fieri infra mensem, non computatis ferijs, alius denuncians non auditur. De saltuarijs. c. de regul'is. 123.

Denuncia de damno dato non potest dari per aliquem qui non sit saltuarius, nisi elapso mense, infra quem saltuarius denunciare debet. eo ti. cap. non possit. 124.

Denuncia pro maleficio vsq; ad quod tempus detur, remissiue. De accus. & ord. proc. c. i. 221.

Denuncia non datur propter verba rixosa tantum, nec etiam ob maleficia, ex quibus sequatur pœna lib. 2. nisi iniuriatus requisierit. De accus. c. capita centenariorum. 223.

Denunciæ sunt deuidendæ per iudicem maleficiorum inter notarios suos. De offi. iud. mal. c. Ad hoc. 216.

Denunciæ fiendæ sunt coram iudice maleficiorum, & non alio. eo. ti. c. pen. 216.

Denuncia de maleficio impuberis non datur, nisi sequatur mors. De accus. c. non teneatur. 224.

Denunciatio si debitori facta sit, vt soluatur, vel intret carceres, quid agendum sit. De carcer. c. si quis debitor. 148.

Denun.

Denuncia de damno dato in bladis vineis, arboribus, vel alijs rebus existentibus in campis potest etiam dari coram illo potestate, vel vicario, in cuius iurisdictione damnum datus est. De regulis, & dam. dat. c. i. car. 119.

Denunciatus debet citari ad defensam, & si non comparuerit in termino dato, vlterius non auditur. De saltuarijs. c. de regulis in fi. car. 123.

Depositum factum auctoritate iudicis interdici, vel sequestrari non potest, sed exbursari debet creditori. De char. deb. redde. c. si creditor. ver. dummodo. 100.

Descendētes masculi ex filia succedunt defuncto, vel defunctæ in quarta parte, extantibus fratribus illius defuncti, vel defunctæ fallit in bonis dotalibus. De succes. mulir. reform. c. similiter. car. 181.

Detentus pro debito non debet mitti in loco, vbi ponuntur homicidiæ, & latrones. De carcerib. c. aliquis cum c. seq. 145.

Detentus in carcere non potest interdici in carceribus ad petitionem alterius, nisi de mandato eiusdem iudicis, cuius mandatus detentus est. De carcerib. c. detentus aliquis. 150.

Detentus in carcere pro debito an sit relaxandus, si satisdare voluerit, vel deponere pecuniam, pro qua incarceratus est. De carcerib. c. non possit. 150.

Detentio fieri non potest pro debito in ferijs natiuitatis, & ressurrectionis domini. De iurid. diebus. c. non possit. 15.

Detineri in palatio an & quando quis possit. De carce. c. forbanniti. 145.

Dies solemnes qui dicantur. De iuridicis diebus. c. nemo vocentur vsque ad ver. Et intelligatur omnes. 11.

Dies vtiles & iuridici ad hoc, vt facilius sciantur, obseruandus est ordo, de quo in c. ad hoc. de iuri. diebus. car. 12.

Dies terminis, vel præcepti si venerit in die feriata: habeatur pro termino. De citation. & ord. proced. c. si dies. 41.

Dies termini, vel citationis à iudice, vel à lege datus non computatus in termino. eo. ti. c. cum admonitio. 41.

Difamans aliquam virginem, vel viduam honestæ vitæ condemnetur. De verb. iniur. c. 2. 138.

Difamans si non potest soluere pœnam, in carceribus detinetur. De verb. iniur. c. 2. & 3. 138.

Dilatatio prima in causis ordinarijs, est. xv. dierum. Secunda x. dierum. Tertia. v. Quibus elapsis partes deponere faciant testes suos infra octo dies. De citat. & ord. proced. c. lite autem. car. 41.

Dilatatio danda ad reprobanda dicta testium, & instrumenta post publicationẽ processus non debet excedere. x. dies. De citat. & ordi. procede. c. lite. in fin. car. 41.

Diuisio facta per minorem. xx. annis, & maiorem xviij. non valet, nisi seruata forma. c. j. ver. si autem diuisio. de aliena. & oblig. car. 92.

Dominus directi domini habens eius in re vendita per liuellarium, vasalum præfertur in præsentationibus omnibus agnatis, & vicini coherentibus. Quibus lic. acquiri. bon. c. si quis de cætero in fi. 89.

Dominus feudi non potest probare refutationem feudi factam in se, vel in alio nisi per publicum instrumentum per duos notarios confectum. De feudis. c. 2. car. 107

Dominus directi tenetur recognoscere eum in quem peruenit liuellus, vel locatio ad non modicum tempus. De liuellarijs. cap. 2. car. 109

Dominus, cui debetur decima, dicitur iusto titulo possidere, si possederit per xx annos, allegando in vetustiuram, & probando possessionem per dictum tempus. De decim. c. si quis possederit in fi. 108.

Dominus directi etiam cum iudicis auctoritate non potest vassallum, vel emphiteotam expellere de possessione, nisi eo citato. De liuelarijs. c. non audeat. car. 110.

Dominus inueniens aliquam bestiam damnum dante in suo fundo potest eam retineri pro pignore, & testimonio damni dati. De regul. & dam. dat. c. nulla sit. 121.

Domino, vel eius filio, vel famulo, vel colono de damno

dato creditur vsque ad tres libras. De saltuarijs. ca. contra quemcunque. car. 114

Dominus & domina possunt impune verberare famulos, & famulas suum habitantes in domo ad vnum panē, & ad vnum vinum, dummodo &c. De accusat. & ordi. proced. c. parentes. car. 234

Dominus fundi omnibus alijs creditoribus in frugibus natis in fundo præfertur. De villanu. c. quilibet qui. car. 116

Domino terræ iuramento credendum est, si infra mensem accusatio facta fuerit. Quod nulls faci. trans. c. i. car. 133

Donationis insinuatio quomodo fiat, & donatio non insinuata non valet. De insinuati. instru. c. i. si quis de cætero. 83.

Donans aliquid immobile, quod est suum, vel suum esse videtur, & postea cum aliquo contrahens, si in eo contractu bona sua obligauit, & tempore contractus detinet bona nullum præiudicium facit creditoribus per talem donationem, nisi fuerit facta, & insinuata, De alien. &

oblig. c. si quis de cætero car. 98

Domus scholaribus locata ad modicum, vel non modicum tempus, finito tempore locationis, non intelligitur propterea quod sit domus scholaribus deputata. de villanis & inquilli. ca. quilibet ciuis. 113.

Domus appellatione continetur etiam porticus, & statio, vbi quis stat ad laborandum. De carcerib. c. aliquis qui. 150

Domus pro debito communis, vel condemnationis prosterni non debet, sed locari, vel vendi. De confisca. bon. ca. nulla car. 168

Dos non potest constitui per maritum nouercę filiorū suorum in eorum pręiudiciū. De successi. mul. c. si maritus. 104

Dos, vel augumentum dotis post quinquennium a tempore contractus matrimonij constitui non potest. cod. ti. ca. si maritus car. 104

Dos si durante matrimonio est restituenda vxori viuenti, vel aliter ei sint alimenta præstanda; interesse & alimenta erunt decem pro

 cen.

centenario dotis suæ in ratione anni. De successi. mul. c. si. 106.

ECclesia non potest auferre pro officio ingrossatorum alicui terras, nec e contra. De offi. ingossat. c. nulla. 315.

Aedificium si fuerit male factum, quommodo procedatur. De citati.&ord. proc. si una persona. 34.

Electio non est danda creditori, an velit dare iudicias quinquenales debitoris, vel accipere cessionem bonorum. De aliena, & oblig. c. statuimus. 97.

Electiones ad officia hodie fiunt per consilium, non autem per imbussolationem. De reform. statu. c. i. ver. tenor autem capitulorum. 174.

Emphiteota alienans prædium ignorante cuius nomine possidet, non præiudicat ei,& ipse iudicis arbitrio tanquam falsarius est puniendus. De liuellar. c. si aliquis colonus. 110

Emphiteota negans in iudicio se esse emphiteotam cadit a iure suo, domino volente, & punitur. co. ti. c. si, car. 109.

Emphiteota tenetur cognoscere dominum directi, De liuellar. c. 2. 109.

Emphiteota si commiserit homicidium, ius vtile transit ad dominum directi, saluo iure homicidæ, si reuersus fuerit ad gratiam. De villa. c. si liuelarius alicuius. 116.

Emphiteota non potest incidere, vel incidi facere arborem viuam de terra in emphiteosim data. De villan. & inqui c. aliquis. 118.

Emphiteota quomodo teneatur gubernare vineas, vel terras ad plantandum. co. ti. c. liuellarij. 117.

Emens, vel accipiens dono, vel alio titulo acquirens ecclesiam, capellam, sepulturam, arcam, monumentum, locum sacratum, vel ius sepeliendi, quod fuerit, vel si alicuius personæ, vel familiæ viuentis, aut defunctæ, etiam si nemo de familia super esset, grauiter punitur. Quibus. lic. acq. bon. c. nullus mominum 88.

Emens rem immobilem tenetur eam remittere, & tradere agnato, vel vicino præsentanti. Quibus lic acqui. bo. c. si quis de cætero. ver. & hoc casu teneatur. car. 89.

Emptor primus, cui facta est venditio de re immobili, vel

vel datio insolutum, si dixerit se pluris emisse, quam emerit, vel insolutum acceperit, condemnatur in solidis x pro qualibet libras prætij per eum nominati. eo. ti. c. si quis de cætero ver. Et emptor ille primus. 89.

Emens, vel vendens vuas de monte ante festum. S. Iustinæ, punitur. De vuis. c. nemo vendat. 128.

Episcopus non potest imponere datium, vel gabellam sub pœna publi. De factionib. imp. c. non liceat. 199.

Æstima ciuitatis Paduæ quomodo fiant, remissiue in titulo æstimis & fact. ciui. Pad. per. tot. ti. 203.

Æstima villarum, vel castrorum quo facienda sint, & quo ordine, De æstim. villarum. c. 2. 297.

Æstimi reformatio. De refor. stat c. 1. ver. item supplicare. 174.

Ætas filii qualiter probetur. Quòd pater non compelletur. c. in fi. 107.

Ætas in maleficiis considetatur ex aspectu. De accus. & ord. proc. c. non teneatur. in fi. 224.

Euaginans arma, licet non vulneret, tamen condemnetur. De insultib. c. 1. Pro ad- menatione. 238.

Euntes ad villam, & redeuntes possunt portare arma non terribilia. De arm. ver. c. euntes. 287.

Exceptio præsumitur frustatoria, si opponens infra terminum a iudice statutum eam non probauerit. De cit. & ord. proced. c. decernimus. 38.

Exceptio etiam si summarie agatur, debent decidi infra quinque dies. De citat. & ord. proced. c. quilibet. car. 39.

Exceptio contra sententiam Henrici Imperatoris opponi non potest. eo. ti. c. statuimus. 39.

Exceptio falsitatis debet decidi in termino a statuto concesso. De cit. & ord. proc. c. quælibet. 39.

Excussio bonorum debitoris contra tertium possessorem qualiter facienda sit. De citati. c. cum excussio. 31.

Excussio contra tertium possessorem qualiter facienda sit, eo ti. c. quis conuentus, vel, postquam excussio car. 30 & c. cum ex cussio. 31.

Executio præceptorum potest fieri die feriata, dummodo sit comissa die iuridica. De iurid. c. præcones. 12.

Executores vltimarum voluntatum. vide commissarij.

Executores testamentorũ, vel aliarum vltimarum voluntatum si mortui fuerint, antequã executioni mandẽt, illa executio ipso iure deuoluitur ad hęredes scriptos in testamẽto tã masculos quam feminas, pręlatis tamen filijs, & filiabus hæredibus institutis cum extraneis. De testam. c. fi. 101

Executio sententiæ non est fienda, pendente appellatione, vel termino, in quo soluere condemnatus debet. De cita. & ordin proced. c. quilib. iudex. ver. saluo quod. 56.

Executio sententiæ fit summariæ sine libello, & figura iudicij. d. c. quilibet iudex. ver. Et fiat executio. 56.

Exiens de religione habetur pro forbannito. De forbãni. c. quicunq; 142.

Exiens de districtu Paduæ occasione belli contra dominum nostrum perpetuo bannitur, & eius bona confiscantur. De assass. c. si aliquis. car. 252

Eximens quicunq; detentum de manibus familiæ punitur. De carce. c. nullus audeat. 153.

Expensarum taxatione petita, intelligantur quecunq; acta producta. De citat. & ord. proced. c statuimus. 56.

Expensarum taxatio pertinet ad iudicem de medio. col. ti. c. iudex de medio. 56.

Expensarum taxator debet deferre iuramentum aduocato, & procuratori, si præstiterit officium vsq; ad finem litis d. c. iudex de medio. ver. Et taxatur. 56.

Expendens, vel accipiens falsam monetam punitur. De falsis testib. c. fi. 266.

Extetitus si venerit ad accusandum, non admittitur eius accusatio nisi & ext. De homicidijs. c. si quis. 248.

FAbricans falsam monetam punitur de falso. De falsis. c. fi. 266.

Faciens fieri sequestrum, vel interdictum debet obseruare contenta in c. de cætero ver. Et tenetur, illic. De cita. & ord. proced. 23.

Faciens malo modo aliquem poni in libro forbannitorum pro debito tenetur. De forbannitis. c. cæterum. car. 139

Faciens detineri aliquem, qui re vera non est debitor, vel pro maiori quantitate, quam habere debet, punitur

in libris quinquagintis, & debitor sine expensa est relaxandus. de carc. c. quicunq; fecerit. 151.

Faciens fugere aliquem debitorem, vel reum de manibus officialium, an & quã do, & quomodo puniatur. De carceribus c. nullus audeat. car. 151

Faciens aggressuram, vel deprædationem contra aliquod monasterium quomodo puniatur. De blasphem. deum. c. fi. 237.

Faciens aliquem pensate percuti, qualiter puniatur. De insaltib. c. si quis fecerit. car. 242

Faciens herbam in pratis & tramitibus alienis punitur. Quod nullus fac. tran. c. nullus herbam. 133.

Faciens malo modo aliquẽ poni in libro forban. cap. fi. car. 145

Factum post sonum tertiæ campanellæ non tenet ipso iure, nisi in duobus casibus. De iuri. dieb. c. quolibet. ver. quod factum. 10

Falsificans vel falsificari faciens aliquod instrumentum, vel aliam scripturam publicam qualiter puniatur. De falsis testi. c. i. 264.

Falsitatis punitio est arbitraria. De fals. test. c. in omnibus. c. 275.

Familia quælibet non teneat vltra vnam capram. De bestijs. c. aliqua familia. car. 130

Famulus saltuarius esse non potest. De saltuarijs. c. nullus. 124.

Fœnerator tenetur assignare dignus massario pignorum post elapsum tempus. De pignor. c. massario. ver. quod dictum. 76.

Fœnerator, vel alius mutuans super aliquo panno, laboretio non completo punitur. De furtis. c. nullus. car. 263

Fœnum vltimi anni est domini, si colonus in primo anno illud habuerit. De villan. licen. c. i. ver. idem dicimus de fęno & in fi. 110.

Fœmina agnata excluditur a masculis agnatis in præsentationibus, non autem a vicinis cohærentibus. Quibus lic. acqui. bon. c. si quis de cætero. ver. si autem nullus. 89.

Fœmina allegans se maiorem perdit beneficium restitutionis in integrum. De alienat. & obliga. c. i. car. 93.

Fœmi-

Fœminæ collaterales, & masculi venientes ab eis non succedunt ab intestato alicui defuncto, vel defunctæ extantibus agnatis. De succeſſi. mul. c. i. ver. idem intelligatur. 101.

Ferens arma terribilia qualiter condemnetur. De arm. veti c. quilibet. 283

Ferens lanzetam diuersimode condemnatur. De arm. veti. c. pro lanzeta. 283.

Ferens spontonum curtum vel maziam ferri, vel serratam, vel plombatam, qualiter condemnetur. co. ti. c. pro spontono. 283.

Ferens spatam, vel spontonum non curtum qualiter condemnetur. co. ti. c. pro spata. 283.

Ferens bacchulum fraudulentum, qualiter condemnetur. de arm. veti. c. pro baculo. 283.

Ferens arma defensibilia, an & quando puniatur co. ti. cap. qui portauerit. 284.

Ferens stuchum longum, duobus pedibus quomodo puniatur. De arm. vet. c. pro stocho. 284

Feriæ solemnens in honorem dei quæ dicantur. De jurid. dieb. c. nemo vocetur. car. 11.

Feriæ messum, & vindemiarum non intelligantur esse solemnes. d. c. nemo voce iur. ver. quæ feriæ. 11.

Feriæ messium fiunt à festo. S. Bernabæ vsq; ad. xv. dies post festum S. Petri. De iuri. dieb. c. nemo vocetur. ver. Et intelligantur. 11.

Feriæ non possint iudici, nisi de voluntate maioris patris consilij. d. c. nemo vocetur. ver. Et feriæ non possint. 11.

Feriarum messium & vindemiarum tempore redditur ius summariæ pro afflictibus, redditibus, de mercede, de operibus, & salarijs. d. c. nemo vocetur in fi. 11.

Feriarum natiuitatis, vel resurrectionis domini tempore nemo pro debito priuatæ personę detineri potest. De iuri. diebus c. non possit. car. 13.

Feudi refutatio non potest probari nisi per instrumentum confectum per duos notarios. De feudi. c. i. 107.

Fideiussores plures, vel intercessores obligati pro aliquo debito regulariter non possunt conueniri pro toto debito, sed virıliter tantum. non obstante, & cætera. De alienat. & oblig. c. si. de cætero.

extero. 95.

Fideiussor soluens pro debitore habet regressum contra principalem debitorem cum omni damno, & interesse. eo. ti. c. si quis fideiussor. car. 97.

Fideiussor constituti non potest, nisi presens si is, pro quo fideiubet. De alie. c. statuimus. 97.

Fideiussoris bona si fuerint accepta in solutum per creditorem, vel aliter satisfactum fuerit creditori, potest fideiussor absque alia cessione agere contra debitorem, vel contra eius bona, vel illius haeredes. De alien. & obli. c. si qua bona. 93.

Fideiussor, qui pro aliquo soluit, potest principalem detineri facere, & in carceribus communis poni. De carcer. c. quilibet fideiussor. car. 146

Fideiussor in causa praesentationis ad carceres tenetur ad condemnationem soluendam, si reus ad terminum a iudice assignatum non comparuerit. De accusati. c. quilibet. 233.

Fideiussor interueniens pro obligatione de aliquo praesentando ad carceris, si reus aliquo modo peruenerit in forciam communis, totaliter eximitur ab obligatione. De accus. c. si quis de Padua. car. 233

Fideiussor interueniens in obligatione de aliquo praesentando non tenetur pro alio malefic o per reum post obligationem commisso, sed pro ipso tantum maleficio, pro quo fideiusit. d. c. si quis. car. 239

Fideiussor fideiubens de praesentando aliquem ad carcerem, non tenetur illum praesentare, nisi potestas affidauerit ipsum pro maleficio commisso post fideiussionem. de accus. c. si aliquis car. 234

Fideiussio fieri non potest absente principali. De aliena. & obliga. c. statuimus. car. 97.

Filia non succedit matri, vel alijs ascendentibus per lineam maternam extātibus fratribus vtrinq; coniunctis, vel extantibus masculis descendentibus ex dictis fratribus per lineam masculinam. De successi. mul. c. i. ver. idem intelligendum. car. 101

Filia non succedit patri, vel matri tam ex testamento, quam ab intestato, extante

tante filio masculo, vel alio descendente per lineam masculinam. De successi. mul. reform. cap. j. in princ. car. 179

Filia a successione per statutum exclusa debet dotari, vel alimētari secundum morem ciuitatis, & qualit. personæ. d. c. j. 179.

Filia venit ad successionē patris in dimidiam, qñ defuncto extant fratres, uel filij fratrum, qui veniunt ad alterā dimidiam in stirpes & non in capita. De. suc. mul. refor c. 2. 180.

Filia minor. xx. annis, & maior xiiij. potest facere finem & remissionem patri de dote recepta. de alien. ca. j. in fi. 92

Filiusfa. alieno nomine sine cōsensu patris, si habet legitimum mandatū, potest esse in iudicio. De audi. iudi. c. filiusfa. 18.

Filiusfam. sine consensu patris pōt esse in iudicio pro sequendo propria iniuriam, vel a crimine obiecto se defendendo d. c filiusfam. 18

Filiusfam. maior. xviij. annorum exercēs mercantiam, publice emendo, & vendendo, vel aliter contrahendo, non pōt se defendere, quod sit minor, & in potestate. De mercator. c. filiusfa. 59

Filiusfam. non pōt mutuo pecuniam accipere, nec aliter se obligare sine consensu patris, & alie nare, nisi de castrensi vel quasi peculio. De alie. & obliga. c. filiusfam. car. 95.

Filiusfam. negans se habere patrem, vel auum, in cuius sit poetstate, vel dicēs se emancipatum, condemnatur in lib. xxv. pro mendatio & eius fideiussor omnino tenetur. De alie. & obli. c. si contingat. 95.

Filius emancipatus asserēs in iudicio se esse in potestate patris, punitur. De citationibus. c. filius. 41.

Filij & alij descendentes, ad quos, deuoluta sunt bona materna sunt mittendi in possessionem summarie. De successi. mul. ca. mulier aliqua. ver. Et filij & alij. car. 105

Filij naturales tantum. & eorum filij, licet legitimi & naturales sint, non tamen sunt agnati, nec excludunt mulieres, alias exclusas a statutis. De succe. mul. refor. c. fi. 183.

Filius pro patre potest agere de damno dato. De regu. & dam

& dam. dat. c. nullus cedat car. 138

Forbannitus non intelligitur quis nisi in forbannitione sit proprium eius nomen cum prænomine, & cognomine expressum. De forban. c. non forban. 137

Forbânitus non intelligitur hęres forbanniti nisi proprio nomine fuerit forbannitus vt d. c. non forbaniatur. car. 137

Forbannitus bis, quia citatus non venit in termino assignato responsurus; pro confesso habetur, & de libro exire non potest, nisi soluto debito. co. ti. c. si quis fuerit. car. 137

Forbannitus qui intelligatur. vide. c. forbanniti intelliguntur. De forbaniatur. car. 139

Forbannitus si quis fuerit iniuste, & per fraudem descriptus, nec cancellatus, quid agendum sit. De forban. li. si aliquis farban. 139.

Forbannitus potest constituere procuratorem, qui eum, & res suas defendat, nisi sit forban. pro maleficio in l. 50 vel supra co. ti. c. liceat forban. 139.

Forbanniti pro debitis generalibus possunt cancellari de libro, si sunt concordes cum suis creditorib. De forban. c. omnes & singuli. 139

Forbannitus scriptus in libro forbannitorum pro debitis generalibus, si steterit per mensem forbannitus, non pōt iterum &c. co. ti. c. si quis in libro. 139.

Forbannitus non potest aliquem facere forbaniri, & si fecerit, est cancellandus de lib. illius expensis. co. ti. c. aliquis forban. 140.

Forbannitus pro debito non potest accidi, nec vulnerari, & contrafaciens punitur, ac si non fuisset forban. co. ti. c. forbannitus aliquis. car 140.

Farbanniti scripti in libro forbannitorum pro debito si per xv. dies non soluant, nullum offitium, potestariam, vicariam vel aliquod ciuile minus non habeant. de foraban. c. forban. scripti. car. 140

Forbanniti omnes de Padua, & Paduano districtu sunt expellendi, si fuerint inuenti diuersimode condēnentur. De forban. c. potestas Paduæ. 140.

Forbannitus pro debitis generalibus an & quando possit capi, & detineri. co. ti. c.

ti. c. quicunque de cætero. car. 141

Forbannitus non potest regulariter affidari per potestatem, vel iudicem, nisi de voluntate creditorum. eo. tit. c. potestas Paduæ. car. 141

Forbannitus de licentia creditoris affidatus non potest durante affidatione per aliquem accusari pretextu illius forbannitionis, pro qua fuit affidatus. De forbanni. c. forbannitus aliquis. 141.

Forbannitus non potest per se, vel per procuratorem agere in causa ciuilis coram potestate, vel alio iudice. eo. ti. c. forbnanitus aliquis. car. 139

Forbanniri non potest pupilli, furiosi, & menteca pti, neque etiam capit. eo. ti. c. notarij quilibet in fin. car. 136

Forbanniri non põt quis pro summa minori. xx. solidorum eo. ti. c. non forbanniatur. 137.

Forbanniri non potest quis pro debito generali, nisi fuerit legitime citatus, & fuerit contumax eo. ti. c. nullus possit. 137.

Forbanniri non potest quis etiam condemnatus, nisi seruatis seruandis. De forbani. c. aliquis etiam. 137.

Forensis non potest constitui procurator, sindicus, actor, vel curator ad lites, nisi &c. *De* aud. in iu. c. non possit. 14.

Forensis vocantur aliquem Paduanum in iudicium non est audiendus, nisi prius satisfdederit de iudicio sisti, & iudicato soluendo. eo. ti. c. si aliquis. 18.

Forensis conducens merces suas ad ciuitatem Paduæ potest conuenire debitorem suum coram vicario, vel iudice ad officium mercantiæ deputato, præstita tamen fideiussione de stando iuri, & expensis restituendis, si succubuerit. De mercatorib. c. cuilibet forensis. 59.

Forensis committe homicidium contra aliquem habitantem Paduæ, & sustinentem ciuitatis onera qualiter puniatur. De accusa. c. si aliqua. 234.

Forensis faciens aliquem pensate vulnerari, qualiter condamnetur. De insultib. c. si quis forensis. car. 143. & de homicid. c. pe. 149.

Forensis non subiectus potestati *Paduæ* si vulnerauit aliquem de mandato illius, qui

qui est subiectus, quid agendum.
De insultibus. capitulo si quis non subiectus.
244.
Forenses an & quando admittendi sint ad ciuilitatē Paduæ. De forensibus c. 1. car. 263
Forensis semel cōdemnatus causa armorum, si iterum condemnetur, debet condemnari in duplum. De arm. vet. c. si forensis. 286.
Forensis veniens Paduam potest secum portare sua arma vsque ad hospicium eo. ti. c. quilibet. 280.
Forensis si fuerit inuentus de nocte sine lumine occulto, & cum armis vetitis, quid agendum. De arm. veti. c. si forensis. 290
Forensis non potest habere aliquod officium in aliqua villa. de fuctum. villa. c. statuimus il 2. 306.
Forensium appellatione in casu. ca. omnes pœnæ de accussationibus non intelliguntur Veneti. d. c omnes. car. 231
Forma peocedendi super inquisitione, vel deuuncia, vel accusatione ponitur in ca. si accusatio. De accusat, & ord. proced. 226.
Flumini cursu prohiberi non potest, ne currat, & prohibens in quingentis libris damnatur. De posse. rur. c. nullus cursus. 206.
Fossata, quæ sunt inter terras suas, & vicini quomodo sint cauanda remissiue. De consortibus. c. vt fossata. car. 188
Franges alienam clausuram, condemnandus est. Quod nullus faci. trans. c. si aliquis. 133.
Fratalea non possunt condere statuta sine licentia domini potestatis. De statu. communis Paduæ. cap. aliqua fratalea. il 1. & il 2. car. 192
Frater venit ad successionem fratris defunctis in dimidiam, quando ipse defunctus reliquit filiam. De suc. mul. refor. c. 2. 180.
Frater potest impune verberare fratres, & sorores secum habitantes vsq; ad xviij. annum. De accusati. c. parentes. 224.
Fraus de persona ad personam, & de contractu ad contractum quando fiat. vide. De alienat. & oblig. c. in odium. 94.
Fructus venientes ex fundo in tenutam retento, pro rata

rata temporis sunt illius qui fundum restituere cogitur, De pignoribus. c. si. in fi. car. 81.

Furiosus mentecaptus detineri non possunt. De carcerib. c. aliqua persona in fi. car. 152

Furtum si fuerit commissum in aliqua villa, vel territorio villæ, vbi sit aliquis dominus qui habet forciam, quid agendum. De malefact. cap. c. si aliquod damnum. car. 274

Sequestrum potest fieri per iudicẽ ad instãtia petẽtis, nulla etiã citatione præmissa in causa affictus, & pro mercede non soluta. De citationib. c. iudex cum c. seq. 23
Sequestrũ nõ debet cõmitti cõtra possidẽtes ĩmobilia, nisi pro affictu,& mercede non soluta, nisi reus esset positus in cõtumacia, e.ti.c.de cętero. 23
Sequestrati faciẽs tenetur infra mẽs.a die facti sequestri leuari ipsũ pignus, aliter habet. pro nõ facto d.c.de cęt ĩ fi. 23
Sequestrũ cõmitti, vel fieri nõ põt, nisi ĩ casi.a iure permissis vel per statuta, de pig. c.2.73
Sequestrũ nõ potest impediri per aliũ iudicẽ ad petitionẽ alicuius, nisi &c.e.ti.c.pig. 77
Seruus negãs se habere dominũ, ĩ cuius sit potestate, cõdenatur in l. xxv.& fideiussor debitũ integraliter soluere tenetur. De alien. & oblig.cap. si contingat. 93.
Serui habitantes in villis tenẽtur ad partẽ sibi tangẽtẽ de damnis datis occasione regulari.de ęsti.vill c.serui. 304
Serui nullũ officiũ in ciuitate, vel in castris, vel in villis habere possunt.d.c. serui. 304
Sindicis & officiales villarũ tenentur infra x.dies cuilibet ciui.quãdo,& pro quẽ damnũ datũ est.de salt. c.sindici. 123
Sindici villarũ soli admittũtur ad faciendas securitates pro suis villis. De æsti. villa.c. quandocunque. 308
Soceda bouũ, vel vacarũ pręsumitur vsuraria, si tẽpore cõtractus creditor erat publicus vsurarius, nisi soceda sit cum laboratoribus. De alienat. & oblig. c. contractus qui. 97
Soceri ancillarũ nullũ officiũ in ciuitate, vel in castris, vel in villis habere possunt. De æsti. villa. c. serui. 304
Socius lienans rẽ immobilẽ ignorãte eo, cuius nomine possidet, nullũ sit ei p ꝛiudiciũ,

& iudicis arbitrio tãquã falsarius punitur. De liuellarijs. c. si aliquis colonus. 110

Sodomita agẽs cõburitur, patiẽs vero aliter castigatur, vel absoluitur. De adult. c. qui mulierem. 260

Soluẽs pro aliquo creditore volẽte habet actionẽ ipso iure contra debitorẽ perinde ac si cessio facta foret. de alien. & oblig. c. si quis. ver. si quis pro alio. 95.

Soluens pro aliquo obligato cõmuni Pad habet regressũ cõtra debitorẽ, vel ius bona, & contra eius hæredes. De alie. & oblig. c. si qua bona in fi. 97.

Soluens decimam, vel affictum per quinq; annos continuo in futurum prestare cogitur, nisi doceat, quare præstare non debet. De liuellarijs c. si quis crediderit. 110

Solutio affectus, & redditus potest probari per testes, non obstante pacto in instrumẽto apposito. De citati. c. contra car. 22. De cit. & ord. proc. c 2. ver. saluo quod. 26.

Soror minor. xx. annis, & maior xiiij. potest facere finẽ, & remissionem fratribus, & eorum filijs de dote recepta, non seruata forma, De alie. & oblig. c. 1. in fi. 92

Soror tenetur pro eius fratre, vel sorore vel minore xiiij. annis faciente furatolã. De vnis c. fin. 129.

Spingens aliquem sine sanguinis effussione condemnatur in lib. v. De insoluti. c. 1. ver. pro spinta. 238

Spingens aliquem cũ sanguinis effussione condemnatur in lib. xx. vt d. ver. pro spinta. 238

Statutum, quod incipit statuimus, quod porrecto &c. De citation. & ordin. proced. non habet locum in causis summarijs, vel quãdo proceditur vigore debiti stipulatione vallati. de citati. c. contenta. 38

Statuta omnia in hoc volumine cõtenta intelligenda sunt ad literã, vt iacent. De sta. communis Pad. c. statuta omnia car. 191. & de mal. & arb. domini potes. c. fi. 214

Statuta scripta in hoc volumine debent obseruari, exclusis statutis descriptis in alijs voluminibus, si & inquãtum. De statut. cõmunis Pad. c. fi. 192

Statuta de regulis, & damnis datis non possunt, nisi ciuibus Pad. & sustinentibus onera cum ciuitate. Quod nullus fac. transi. c. fi. 235.

Statuta si deficiunt in causis criminalibus ius, & consuetudo seruanda est. De maleficijs. cap. vbicunque. car. 212

Statuta de maleficijs intelligantur ad literam, vt iacent. De maleficijs. cap. si. car. 214

Statutum loquens de virgine quomodo intelligatur. De adulterijs c. vbicunque. car. 261

Statuta de præsentando aliquem bannitum per bannitũ vt a banno liberetur, sunt reuocata. De malefact. capiend. c. Thomas. ver. Et quoniam in quibusdam. 273

Stipendiarij cuiuscunque conditionis conducentes domos alicuius ciuis vel aliter habitantes coguntur soluere pensionem, sicuti alij priuati, & super causa summarie proceditur. De citat. c. si aliquis stipendiarius. 22

Stridatus per publicas proclamationes si non comparuerit, condemnetur per iudicem, delato iuramento actori super re, de qua agitur. De citat. & ord. proced. c. si aliquis absens. 21

Stuprator potest exhæredari ab vtroq; parente. De adulterijs. c. semper. 259

Stuprans virginẽ a x. annis inf. a vltimo supplicio damnatur. eo ti. c. si mulier. 260

Stuprãs sclauas emptitias, vel deuians, vel transfugans qualiter condemnetur. De scla. c. vnico. 296.

Subscriptio iudicis, & vicarij in quibus casibus fieri debeat, & quod salarium debeat habere. De citat. & ord. proced. c. omne instrumentũ per totum. 54.

Succedens ab intestato vniuersaliter mulieri, debet mulieri exclusa per statutum aliquid dare pro ea maritanda, vel monachanda secundum dignitatem eius, & morẽ ciuitatis. de succes. mul. c. i. ver. saluo quod in quolibet. 101.

Succedens ab intestato tenetur facere expensas victus illi, qui de iure cõmuni successio ab intestato debeteur secundũ formã traditã in c. i. ver. Et similiter si ille. 101

Succedens in feudo debet illud habere, & tenere cũ iisdẽ cõditionib⁹, quib⁹ primus habebat. De feudis. c. i. 107.

Successor singularis tenetur stare locationi factę per eũ, cui successit. De villa. c. re locata. car. 115

Succedens in liuello facto ad non modicum tempus tenetur

Sequestrum committi, vel fieri non potest, nisi in casibus a iure permisis, vel per statuta, de pigno c. 2. car. 73.

Soror non succedit fratri, vel sorori ab intestato, extantibus fratribus, vel nepotibus ex fratre. De success. muli. c. 1. ver. Idem similiter observetur. c. 101

Spingens aliquem sine sanguinis effusione condemnatur in lib. v. de insulti c. 1. ver. pro spinta. car. 138

Spingens aliquem cum sanguinis effusione condemnatur in lib. xxv. vt. d. ver. pro spinta. car. 238.

Statuta ubi deficiunt, recurrendum est ad jus cōmune, & ad antiquas consuetudines. De comp. iudi. c. 1. in fi. car. 3.

Statutum loquens in stipendiariis non solventibus pensionem domus conductæ habet etiam locum in civibus Paduæ. De citati. c. contra. car. 22.

Statutum dicens, quod procedatur summarie, & de plano quomodo intelligatur. De cit. c. quicunque. car. 34.

Statuta, & jura, quæ in causis principalibus observantur, in cognitione, & decisione appellationum sunt observanda. De appella. c. si sententia. ver. item provideatur per secundum c. 66.

Statuta locorum, quæ subjecta sunt dominio Veneto servari debent ab auditoribus novis. De appella cap. quoniam pro parte. car. 69.

Statutum de præsentationibus, quæ fiunt per agnatos, & cohærentes. Quib. lic. acqui. bon. c. si quis de cætero. car. 89.

Statuta omnia loquentia de debitoribus fugitivis sút favorabilia creditoribus, & odiosa debitoribus. De fugitivis c. fi. car. 160

Statutum communi Paduæ quibus prosit, & qui eo gaudent. De stat. com. Pad. c. 1. & 2. car. 191.

netur soluere, sicut prior. De liuellarus, c. 1. 109

Sutor accipiens pannum pro facienda veste, vel alio indumento, si illud sine licentia domini retinuerit, punitur. De furtis. c. nullus. 263

Tabellio vide notarius.

Tabernarii de villa non possunt aliquem capi facere pro debito cōtracto pro ipsis. De carcer. c. ad hoc. 153

Taxator expensarum debet deferre iuramētum aduocato, & procuratori, si præstiterint officium aduocationis vsq; ad finem litis. De citati. & ord. proce. c. iudex de medio. ver. Et taxator. 56

Taxationi expensarū standum est, & ab ea appellari non potest. d. ver. Et taxator. 56.

Taxatio expensarū quando fit intelliguntur acta esse producta. De cita. c. statuimus. 56

Taxa plaustrorū seruientiū exercitus quāta sit. vide a. 314

Tempus non modicum intelligitur quinq; annorum. De liuellar. c. 1. & 2. 109.

Tenuta an sit facta super bonis alterius, vel per alium possessis, vel alteri obligatis, iudex de medio cognoscet, & habē i potiora iura tribue. de citati. c si sub prætextu. 25

Tenuta nō potest impediri pro alium iudicem ad requisitionem alterius, nisi. &c. de pignori. c. pignora. 77

Tenuta, vel illud, quod habitū est in tenutā, qua forma, & quo ordine sit subhastanda. De pignor. c si. per totum. 81

Tenuta si est data per debitorem de re, per alterum possessa, qualiter puniatur debitor eo. ti. c. quicunq; 78

Terminus quā lo circūduci debeat, actore, vel reo citato non cōparente. De cita & ord. proce. c. si ad petitionem. 21.

Terminus solutionis pensionis domus locatæ si non est expressus, intelligitur esse in festo resurrectionis domini, & S. Iustinæ. De citat. & ord. proced. cap. si aliquis stipendiarius. ver. Et termini. 22.

Terminus ad habendā copiam processus est v. dierum. De citati, c. lite autem ver. Et partes. 41

Terminus si inciderit in diem feriatam, differtur in die sequenti non feriata. cod. tit c. si dies. 42.

Termini maiori pars si lus erit feriata nullus dies feriatus computatur in dilatatione, sed tantum vtiles dies cōputantur. eod. ti. c si maior. 42.

Terminus instantiæ causæ in sūmariis iud. ciis continuo

tēpore currit.d.c.si maior. 42

Terminus lite contestata, vel habita pro contestata potest constitui etiam parte absente legitime tamen citata. De cita. & ord. proc. c. quicunque. 42

Terminus soluendi debet dari confitentibus debitum secundum quantitatem debiti. eo. ti.c si quis citatus. 26

Terminus soluendi affictum in dubio quis intelligatur. De villan.c quandocunq; 113

Termino instantiæ elapso, non durat vitium litigosi. De citati. c. si durante. 57

Terra vegra, quæ dicatur vide vegra.

Terra, quæ cauatur de fossatis, quæ sunt iuxta vias publicas,& consortinas, quomodo sit proicienda. De consortib. c.quilibet habens.ver. terram autem. 188

Tertius si compareat, & dicat, quod bona data in tenutam sunt sua, vel sibi obligata, quid agendum. De pignori. c. si tertius. 78

Tertius cuius bona sunt accepta in tenutam, vel sequestrum, potest cōparere elapso anno, & vti iure suo. De citati.c.si sub pretextu.ver.elapso autem anno. 25

Tertius medio tempore possidens præsumitur in fraudem possidere. De citati. c. si quis conuentus.ver. Et si alius tertius. 30

Testamentum vltimum valet, non obstante aliqua conditione in primo testamento inserta. De testam.c.1. 100

Testamenta nuncupatiua post mortem testatoris, & in scriptis a tempore publicationis sunt repræsentanda registro. De regi. instr. c. 1. in prin.& in fi. 183

Testamenta, codicilli, & aliæ vltimæ voluntates illorum, qui per iustitiam decapitantur, an, & quando valeant. De confisca. bon. c. 1. in fi. 267

Testator potest iure legati relinquere quicquid voluerit his qui non possunt succedere ab intestato. De successi. mulie. c. 1. ver. Possit tamen ille. 101

Testes, qui iurauerunt in termino, examinari possunt infra terminum arbitrio iudicis dandum. De cit & ordi. proced. c. quælibet, Ver. quo casu. 35

Testes quomodo examinandi sint, & quid obseruandum in eorum examinatione. cod. tit. c. in quacunque causa. 45

Testis citatus personaliter,

vel bis ad domum ad testifi. candū in aliqua causa, & non veniens, quomodo puniatur. eo.ti.c. si quis personaliter. 45

Testes qūo reiterentur in testificando ad petitionē partis, eo. ti.c. si negocium. ver. Et super prædictis. 46

Testes in causa principali examinati non possunt recipi in causa appellationis super eisdem capitulis, secus autem super alijs. De appella. c. testes illi. 65

Testis citatus in criminalibus debet venire ad perhibendum testimonium coram iudice maleficiorum, & qui non venerit, condemnetur. De accus.c.ad prohibēdū 235

Testificans scienter falsum qualiter puniatur. De falsis testib.c. quicunque. 265

Tractans de accipiendo castrum, vel fortiliciam dominij, qualiter puniatur. De assalli.c. quælibet persona 253

Tractans in Padua, vel paduano districtu per se, vel per alium de occidendo aliquem, qualiter pronunciatur. De assassi.c. 1. 250

Transferens bona sua in aliquem ciuem fraudulenter, vt euitet onera, quomodo puniatur. De facti.impon.c.quicunque rusticus. 201

Transiens per terram seminatam, vel vitibus plantatam vel per pratum cum plaustro, vel cum equo, vel aliis bestiis quomodo cōdemnetur. Quod nullus faci.trans.c.1. 132

Transiens cum bestijs vltra publicam aquam punitur pœna lib.v. pro qualibet bestia. Et solidorū.xx. pro plaustro. De pos.tur.c.nullus deb. 207

Transiens aggeres cum bestijs causa pascendi, nisi per vadum qualiter condemnetur. eo.ti.c. transire. 207

Transcendens muros ciuitatis, vel foueas, vel alia vetita, qualiter condemnetur. De assassi.c.quicunque. 254

Transducens de die, vel de nocte vxorem alicuius volentem, inuito marito, qualiter puniatur. de adulteriis.c.qui vxorem. 261

Tramites pratorum appellatione non continentur. De bestiis. c.liceat in fi. 134

Translatio iuriū, & actionum sine cessione an & quando fiat. De alien.& obli. c. si quis vel vt. 95

Tributator qualiter puniatur. De tributa.c. i.in fi. 266. & c. 2. car. 297.& c. fi. 269

Tutor producens falsum instrumentum repertum in inuentario per ipsū cōfecto nō

puni-

punitur. De falso test. c. cum contigerit 265

Tutor negligens in petendo, vel obtinendo missionem in possessionem virtute hæreditatis delatæ eius pupillo, tenetur ei ad suum interesse. De cita. & ord. proc. c. si ad aliquem in fi. 33

Tutor tenetur pro eius pupillo minore. xiiii. annis faciente furatolam. De vuis. c. fi. 129

Tutor potest habere pacem cum homicida patris sui pupilli. De homi. c. i. post prin. car. 246

Tutor potest accusare homicidam patris sui pupilli co. tr. c. tutor. 248

Tutor, vel curator non producens instrumentum tutelæ, vel curæ in criminalibus condemnatur. De accusati. c. quicunque. 234

Vasallus alienans fundũ, de quo est vasallus, domino directi non præiudicat, immo arbitrio iudicis tanquam falsarius punitur. De liuella. c. si aliquis colonus car. 110

Vasallus coram iudice negans se esse vasallum cadit a iure suo, domino volente. De liuella. c. fi. 110

Vastatores euntes ad exercitum, & ducentes equas quid debent habere. De æstim. villarum. c. item armigeri 309

Vbi deficiunt statuta, ius commune seruandum est & antiqua cõsuetudo. De comp. iudi. c. i. in fi. 5

Vbicunque summarie, & de plano proceditur, ea die, vel sequenti peti potest, quod exceptiones decidantur. De citati. c. quælibet. ver. Et in omnibus. 3

Vectigal non soluitur de lignis, & victualibus, quæ portantur ad ciuitatem Paduæ, nisi & cæ De facti. impon c. 2. 199

Vegræ terræ dicuntur illæ quæ non sunt laboratæ, & quæ non fuerunt cultæ per tres annos proximos elapsos. cum aratro, vel in quibus &c. De bestiis. c. Beccarij. 130

Venator potest ferre spetum ab apris, cum venatum vadit, vel reuertitur. De armis veti. c. licitum sit. 288

Vendens rẽ immobilẽ tenetur eam vendere agnato, vel vicino, qui præferendus est. Quib. lic. acqu. bona. c. si quis de cætero. ver. si vero instrumentum. 89

Vendens, vel dãs in insolutum si dixerit per mendatium se plutis vendidisse, quã ven-

vendiderit, condemnatur in solidis. x. pro qualibet libra prætij per ipsum nominati. Quibus lice. acqui. bon. c. si quis de cętero. ver. Et in tantundem puniatur. 89

Vendens rem immobilem, de qua est colonus, vel inquilinus, vel emphiteota, ignorante eo, cuius nomine possidet, non præiudicat domino nec contra eum currit præscriptio, n. si a tempore scientiæ; & vendens aliquam falsa ius punitur. De villanis. c. si aliquis colonus 119

Vendens rem duobus pœna falsi puni tur. c. quicunque vendiderit. De possef.tur. 206

Vendens vuam de monte ante festum. S. Iustinæ puniatur. De vuis. c. nemo vendat. car. 128

Venditio, vel datio infolutum rei immobilis in præiudicium agnatorum, vel cohærentium, non valet. Quibus lic. acqui. bon. c. si quis de cætero. 89

Venditio facta per debitorem ante fugam præsumitur facta in fraudem creditorum, & non valet. c. omnis venditio de fugitiuis. 155

Veniens ad nundinas est securus per octo dies ante festum diui Antonij, & per octo dies post. De iuridi. dieb. c. tempore. Et huic statuto renunciari non potest. vt ibi notatur. 13

Vetans pignora dare si fuerit de ciuitate condemnatur in solidis 60 si de villa in solidis. 40. nisi &c. De pignorib. c. si aliqua persona. 77

Via est danda terris non habentibus per terras proximiores. De consorti. c. via terris. 189

Viam publicam, vel consortiuam deuastans, claudens, vel impediens qualiter puniatur, remissiue in c. quicunque sua. De possef. turb. 205

Vicarius potest ex officio contra quoscunque tam in causa principali, quam appellationis committere sequestra, interdicta, & pignoratus. De cita. & ord proced. c. de cætero. ver. possit tamen. 13

Vicarij Paduani districtus nullam habent iurisdictionem vltra. x. libras. nec possunt cognoscere de causis criminalibus. De comp. iudi. c. potestates. 4

Vicarius potestatis debet se subscribere sententiis diffiniuis, vel interlocutoribus habentibus vim diffinitiuæ

latis

latis per dominum potestatem. De cita. & ord. proce. c. omne instrumemtum. ver. saluo quod prædicta. 54

Vicarius potestatis, alius iudex ad mercaturam deputatus est iudex ordinarius in causis mercatorum. De merca. c. i. in prin. 58

Vicarius, vel iudex ad officium vel mercaturę deputatus dubitans super quæstione emergente debet conuocare duos, vel plures in arte illa expertos, & secundum eorum dicta pronunciare, De merca. c. si aliqua quæstio. 58

Vicarius potestatis est iudex carceratorum pauperum, & miserabilium personarum tā in agendo quoque in defendendo. De cau. mis. per. c. i. 61

Vicarius potestatis in causis carceratorum, & miserabiliū personarum debet procedere summarie, de plano, qualibet, die, & sine iuris ordine tam in cognoscendo, quam exequendo. d c. i. 61

Vicarius vel eius officiales eligi nō possunt a partibus in arbitros: nec in hoc possunt aliquem astringere. De regist. instr. c. si. 186

Vicarius potestatis debet decidere, qui sint mercatores, & quę sit causa mercantię. De mercato. c. i. in fi. 58

Vicarius postquā tulit sententiam in causa mercantiæ, debet eam exequi facere. De merca. c. Vicarius. 59

Vicinantia sancti Martini de Abbano per se facere debet angarias. De æstim. villa. c. statuimus. 301

Vicinantia sancti Laurentij, Puthei de Mazza, & vltra fossa de dicta villa Abbani faciunt per se angarias. d. c. statuimus. ver. Et similiter faciant. 301

Vicinus, & cohærens excluditur ab agnatis tam masculis, quoque fœminis in eorum præsentationibus. Quibus lic. acqui. c. si quis de cætero. ver. si autem nullus, car. 89

Vicinus non potest tenere prope domum, vel curiam, vel hortum vicini ad xx. pedes arborem non fructiferam. De consortibu. cap. nullus de Padua. 187

Vicinus tenetur conferre ad expensas, quando alter vicinus vult facere murum inter se, & vicinum suum: alias &c. De consorti. c. quicunque voluerit. 187.

Vicinus si habet murum eleuatum super suo terreno, quid agendum sit. co. ti. c. si

vicinus habuerit. 187
Victor in causa principali si succubuerit in causa appellationis potest se appellare ad iudicem competentem. De appellati. c. si lata. ver. Et victor in caus. 63
Victus victori in quacunq; causa debet expensis legitime condamnari. De citation. & ord. proced. cap. in quacunque. 55
Victus in causa appellationis si fuit victor in causa principali, est ab expensis absoluendus. d. c. in quacunque in fi. 55
Villa quelibet debet habere porcarium. De bestijs. c. quælibet. 130
Villa minor centum, & quinquaginta campis tenetur emendare damnum cum villa proximiori, quæ sit maior, & e contra. De saltuarijs. cap. quælibet. 125
Villæ in quo quarterio intelligantur esse occasione maleficij. vide De offi. iud. mal. c. fi. 217
Villa quælibet, vel castrum, tenetur continuo habere decanum, & sindicum legitimum constituere pro communi. De ęsti. villa. c. quælibet. 300
Villa vallis dominæ Dalię, & Turmentum est vna, & eadem villa, & idem commune. De æstim. villarum. c. villa vallis. 30
Villa Balledeli, & Triuisanellæ sunt vna villa, & vnum commune. De æstim. villa. c. villa Baledelli. 300
Villa Marsagij, & villa Marsangelli pro vna reputantur. De æstim. vila. c. villa Marsagij. 300
Villa Tognanæ est vnita Plebisacci. eo. ti. c. villa Tognanę. 301
Villa Carbonarię est eadem villa cum cõmune Reuoloni. De æstim. villa. c. villa Carbonariæ. 301.
Villa Canpagnolæ tanquã pars vniuersitatis plebis teneatur tantummodo cum villa plebis factiones subire. De æstim. villa. c. statuimus. 301
Villæ, quæ faciunt factiones cum ciuitate Paduæ, quid agere debeant. eo. ti. c. villæ. car. 302
Villa aliqua si noluerit parere præceptis potestatis, & iudicum, quid agendum. De æsti. vil. c. statuimus il 2. 302
Villa de fratis cum villa Storna priæ est vnum commune, & vna decania. De æsti. villa c. statuimus. 305
Valle tenentur subire onera

secundum

secundum impositionem focorum, & non secundum statuta. De æstim. villa, ca. statuimus il 2. 307

Villanus, vide colonus.

Vilipendẽs præcepta prætoris, iudicis, & militis quomodo puniatur. De malefi. & arb. domini potesta. c. potest, & eius iudices, &c. potestas Paduæ cum sua curia. car. 210. & 211

Vindemia quando faciẽda sit in villis Pedilnendæ, seu Montanearum. vide de liuel. lis. c. aliquis. 128.

Virgo secundum statutum quomodo intelligatur. De adulterijs. cap. vbicunque. car. 261

Vitium litigiosi non durat, termino instantiæ elapso. De citati. & ord. proced. c. si durante. 57.

Voluntas vltima testatoris seruanda est, non obstante aliqua conditione in primo testamento inserta; vel quod primus testamentum transiuisset in contractum, vel ad codicillos, nec obstante iuramento. De testa. c. 1. 100

Vsuram nemo faciat; nec per se, nec per interpositam personam. De alie. & obli c. in dubium. 94

Vsura præsumitur, si quis vendiderit possessionem, & emptor promiserit eam venditori restituere. eod. tit. c. si aliquis vendiderit. 96.

Vsura præsumitur, si post venditionem venditor habet tenuam, vel detẽtionem possessionis venditæ. eod. tit. c. si aliquis emit. 96.

Vsurarij non gaudent beneficio statuti de capiendis pro aflictu. De carcerib. ca. statuimus ver. Et quod beneficio. 147

Vsufructuarius alienans fundum, de quo est vsufructuarius, domino proprietatis non præiudicat, immo arbitrio iudicis tanquam falsarius punitur. De liuellarijs. c. si aliquis colonus. 100

Vua non potest vendi in platea Montis Silicis, & Este. De vuis cap. communicia. car. 128

Vulnerans cum sanguinis effusione qualiter puniatur. De insultib. ca. pro quolibet. car. 240

Vulnerans in facie qualiter puniatur, distingue vt d. c. pro quolibet. 240

Vulnerans, vel percutiens tenetur ad omnes expensas factas a vulnerato, eo. ti. cap. quam aliquem. 242

Vulnerans officialem, vel

alias persona ratione sui officij punitur in triplum. De iniurian. offi. c. 1. 255.

Vulnerans officialem punitur in amputatione manus destræ. eo. ti. c. qui vulnerauerit. 256.

Vxor non admittitur ad agendum sine consensu mariti, vel nisi satisdederit. De audien. in iudi. cap. aliqua. car. 17.

Vxor si durante, vel soluto matrimonio vult poni in possessionem bonorum mariti, vel solutionem habere de dote, summariæ audienda est. De citationib. & ordin. proced. cap. si qua mulier. car. 32

Vxor exercens mercantiã. Vide mulier.

Vxor mercatoris potest secundum iuris ordinem ratione dotis defendere bona mariti, De mercator. c. vxores car. 60

Vxor, cui dos restituenda est, debet habere. x. pro centenario a tẽpore mortis post moram restitutionis faciẽdæ, De successi. in ul. c. si. 106.

Vxor debitoris fugitiui habet meliora, & potiora iura, si vult vendicare dotem suam. De fugit, c. pen. 159

FINIS.

INCIPIT LIBER STATVTORVM PADVÆ DE RATIONE reddenda tam in ciuilibus, quàm in criminalibus causis.

PROHEMIVM.

Voniam omnis bene, ac beatè viuendi institutio necesse est à iustitia velut à fonte virtutum omnium ad cæteras honestatis partes proficiscatur, nullũ magis necessarium officium, his, qui præsident vrbibus videtur, quàm id curare, vt homines, quàm optimis legibus perpetuo, si fieri potest, regantur. Sed quia cæteris in rebus, quæ ad humanitatem attinẽt, ita comparatum est: vt omnia, quæ in admirationem hominum, magnitudinemque excreuerunt, si ad principium suum reuocentur, exigua prorsus, humiliaq; videantur. Sic in hac ipsa legum edendarum parte contingere plane intelligimus, vt quæ à primis le-

gum nostrarum latoribus inuenta, atque edita fuerunt, nisi studio, & cogitatione posterorum, & meliora, & maiora facta essent, nũquam vel vrbes ipsæ, vel principatus, ac imperia in hanc, quam videmus, pulcherrimam rerum omnium formam peruenissent. Operæ igitur pretium est, vt omnes qui vel reipublicę amplificandæ, vel communi vrbium vtilitati augendæ consulere, in primis volunt leges, quæ a veteribus conscriptæ sunt, & meliores facere, & nouas inuentis addere magnopere studeant. Cuius rei diligentia cum minimis etiam vrbibus sit ab earum rectoribus adhibenda, tamen multo magis illis, quæ & vetustate conditorum, & omnium bonarum artium dignitate multis præstant. Quæ res quantam in se tum vtilitatem, tum etiam decus, ac ornamentum haberet, cum magnifici, ac insignes viri Marcus Dandulo Benedicti viri olim grauissimi, ac sapientissimi filius prætor noster, & Laurentius Bragadenus spectati, & præstantissimi Viri Marci filius Vrbis præfectus animaduerterent, Legatos Viros quidẽ lectissimos ad serenissimum ducale dominium Venetiarum cum publicis mandatis miserunt. Qui ex auctoritate senatus licentiam corrigendi, mutãdi, subtrahendi, addendi, declarandi, vetus ius ciuitatis nostræ referrent. Quibus cum patres conscripti pro singulari, ac pręcipua in hanc nostram vrbem charitate, ac summa beneuolẽtia prompte se quod postulassent, facturos respondissent, & ad eam rem perficiendam publicum decretum ad hos nostros

cla-

clarissimos rectores super ea re ab eisdem patribus conscriptis legati retulissent: ne quid aduersus morem ciuitatis decerneretur, idem rectores delegerunt ex omni ordine viros præcipuos, qui tum in iure ciuitatis cognoscendo, cum in moribus hominum in conditione vrbis, in loci, regionisq; natura penitus perspiciendo egregie colerent: quorum sétentia quoad illis iustum esset, vterentur. Cætera vero, quæ magna, & difficilia essent, suo ingenio, suaque sapientia moderarentur. Cuius immortalis beneficii magnitudinem si metiri animo voluerimus, quis satis dignis laudibus hanc serenissimam ducalem dominationem efferre poterit? Quis clementiam, benignitatem, iustitiam huius felicissimi principatus congruis literarum monumentis prædicabit? Cum enim multa in nostris legibus continerentur partim iniqua, partim huic tempori, his moribus, huic vsui communia, partim diminuta, superflua, obscura. Quod magis necessarium potuit huic vrbi nostræ beneficium hæc Illustrissima dominatio conferre, quam id suo decreto, sua auctoritate statuere, vt legibus, in quibus salus ciuitatis est posita, quam emendatissimis vteremur. Huiusq; tam salutaris, tamque opportunæ rei officium, his rectoribus committeretur, a quibus omnia sapienter excogitari, prudenter disponi, seuere corrigi, accuratissime suppleri, diminui, declararique possent. Ab his itaque vniuersum ius ciuitatis nostrę tanto nostro studio correctum, enucleatum, perfectum, expolitum est, vt neque attentiore cu-

ra; neque maiore ingenio, aut sapientia corrigi, enucleari, perfici, expolirique potuerit. Fortunatam igitur nostram hanc regiam ciuitatem dicere iure optimo possumus, quę instituta, ac leges a maioribus nostris inuentas, ad eam formam redactas vidit, qua præsens, status fœlix, ac faustus non solum confirmetur, sed multo etiam illustrior, beatiorque reddatur. Ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, atque Virginis Mariæ, sanctorumque Marci Euangelistæ, Prosdocimi, ac Danielis, quorum auspiciis Serenissimum nostrum Ducale dominium, & ciuitas hæc gubernatur, Currente anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi Millesimo quadringentesimo vigesimo. Inditione tertiadecima.

DE

DE COMPETENTIA IVDICIS, ET IVDICIS SVSPITIONE. RVBRICA.

DOMINVS Poteſtas Paduæ, & Aſſeſſores ſui, videl. dominus Vicarius, & iudex Aquilæ, & iudex Victualium, & Vnicornij, & quilibet iudex Palatij, & communis Paduę ad reddendum rationem ſecundũ formam ſtatutorum deputatus, ſint, & intelligantur eſſe iudices ordinarij generaliter in omnibus, & ſingulis quæſtionibus, & cauſis ciuilibus. Et poſſit, ac debeat quilibet eorum venire ad palatium communis Paduæ, vbi ius redditur: & quibuſcunq; diebus, & horis ordinatis per ſtatuta Paduæ ſedere pro tribunali ad banchũ officio ſuo deputatum: & reddere ius bona fide, & ſine vlla perſonarũ acceptione, animo ęquo omnibus, & ſingulis coram officio ſuo cõparentibus: & ſibi ius fieri in agendo, & defendendo petẽtibus: ſiue diuites, ſiue pauperes, ſiue mediocris cõditionis homines ſint. Et in cauſis quibuſcunq; corã ſe vertentibus, & ad ſuam cognitionem pertinentibus

teneātur audire, cognoſcere, & determinare, atq; obſeruare in omnibus, & per omnia, prout & ſecũdum quòd ſtatuta, & ordines ciuitatis Paduę diſponunt, ſub pęna librarũ cẽtum paruorũ applicandà communi Paduæ, & auferendà a quolibet cõtrafaciente pro qualibet vice. Et vbicunque deficerent ſtatuta Paduæ, tunc ſequi teneantur, & debeant formam iuris communis, & facere ſecundum bonas, & antiquas conſuetudines ciuitatis Paduæ.

Poteſtate Domino Marino Faletro 1239.

DOminus Poteſtas Paduæ ſit, & intelligatur eſſe iudex, & maior in omnibus, & ſuper omnes magiſtratus, & iudex ciuitatis Paduæ, & ſuper omnes Poteſtates, & vicarios omnium, & ſingulorum locorum, & terrarum Paduani diſtrictus in ea parte, qua ſubiecti ſunt iuriſdictioni ſuæ.

Poteſtate D. Vberto de Canzellerijs 1316.

NOn poſſit dominus Poteſtas Paduæ, nec aliquis iudex, ſeu officialis de curia ſua aliquo modo ſub pœna ducentarum librarum ſe intromittere de iuriſdictione alicuius iudicis palatij, & communis Paduæ, vel aliqualiter prohibere iudices palatij, & communis Paduæ cognoſcere de quæſtionibus, & cauſis, quæ de iure agitarentur coram ipſis, vel prohibere ipſos vti iuriſdictione ſua, & exercere officium ſuum, niſi quando eſſent inhabiles ſecundum formam iuris, & ſtatutorum com-

communis Paduæ. Et si super hoc coràm ipsis mo-
ueretur quæstio, vel inquisitio de inhabilitate secū-
dum formam statutorum, vel quando per appella-
tionem, aut nullitatem, restitutionem, suspitionē,
vel alios legitimos modos ordinatos per statuta
Paduæ quæstio ad ipsum dominum Potestatē, seu
ad iudicem aliquem de curia sua deuolueretur de
iure, in quibus casibus possint de iure se intromit-
tere, & non aliter, nisi quatenus forma statutorum
Paduæ patiatur, & non vltra. Neq; possit dominus
Potestas, aut iudex, vel officialis aliquis de curia
sua impedire executionem alicuius cedulæ com-
missę per aliquem iudicem palatii, & communis
Paduæ, & factæ ad tenutam accipiendā, vel seque-
strum, seu interdictum faciēdum de bonis alicuius,
vel ad detinendum aliquem debitorem pro debito
ad petitionem alicuius personæ, nec possint in hoc
habere aliquam excusationem, nec dicere, quòd
velint inquirere, & examinare verum, cedula sit
legitime commissa, seu facta, vel non. Sed teneàn-
tur quandocunq; fuerint requisiti ad pœnam libra-
rum centum dare baroderios, qui vadant cum præ-
conibus pro executione talium cedularum, & suffi-
ciat creditoribus habere cedulam per iudicem sibi
commissam. Si autem quæstio oriretur, vtrum ce-
dula aliqua fuerit commissa legitime, tunc debeat
examinari solum coram iudice, qui eam commisit:
& non coram alio aliquo iudice etiam superiori,
nisi iudex, qui commisit cedulam illam, fuerit legi-
time recusatus. Quo casu possit examinari tantum

 coram

corám illo iudice, qui secundum formam statutorum sit loco iudicis recusati.

Potestate D. Thoma Iustiniano 1271.

IVdex aliquis post depositum officiũ suum nullam iurisdictionem habeat in litibus, quæstionibus, seu quærimoniis, quæ dum esset in officio agitarentur coram eo, licèt terminatæ non essent. Sed iudex succedens sibi in officio ad illum banchum, possit cognoscere, & terminare, nisi habitus fuerit suspectus: quo casu delegetur causa alteri iudici. Et procedatur secundum formam statuti, quod incipit. Non possit alligari suspicio, positi infra sub rubrica præsenti.

Potestates, vicarij, & rectores terrarum, & locorum Paduani districtus suppositi iurisdictioni communis Paduæ non possint cognoscere de aliqua quæstione criminali, vel ciuili, aut ex causa datij venientis. Possint tamen potestates, vicarij, & rectores prædicti cognoscere de regulis, & damnis datis in locis pertinentibus iurisdictioni suę, & reddere ius quibuscunque subiectis iurisdictioni suæ, & cognoscere de causis ciuilibus tantum vertentibus coram ipsis inter subiectos suos vsq; ad summã librarum decem paruorum, & non vltra. Et vltra iurisdictionem suam non excedant in pœna librarum ducentarum paruorum pro qualibet vice: & partes aliquo modo non possint consentire, vel ampliare iurisdictionem, vel cognitionem suam

etiam

etiam per viam compromissi, arbitri, vel arbitramenti, vel aliquo alio modo, siue ingenio. Et si cõsentirent partes, non valeat tamẽ, quod fiet: saluo quod rectores positi per consilia dominij, & communis Venetiarum in Montagnana, & Bassiano, & in aliis locis Paduani districtus habeant cognitionem secũdum formam priuilegiorum suorum.

NOn debeat aliquis facere citari aliquem corã aliquo potestate, rectore, aut vicario alicuius terræ, vel loci Paduani districtus propter aliquod negocium, vel quæstionem, quæ non spectaret ad eius iurisdictionẽ. Si quis autem contrafecerit condemnetur in solidis centum ex sola citatione, & in libris decem si perseuerauerit in prosecutione quęstionis pro quolibet actu, & nihilominus non valeat, quod factum fuerit: & cadat actor ab actione, & iure suo: & reus sit liberatus à debito, siue re sibi petita. Et si reus id non denunciauerit domino Potestati Paduæ, vel suis iudicibus infra octo dies, incidat in pœnam solidorum centum: & notarius scribens acta aliqua de vetitis prædictis per statuta incidat in pœnã librarum 25. paruorum pro quolibet actu, quem scripserit. Et si fuerit de fratalea notariorum ciuitatis Paduæ extrahatur, & cancelletur de ipsa fratalea per gastaldiones ipsius frataleæ. Et quilibet possit accusare quemlibet prædictorum contrafacientem, & habeat medietatem banni. Et dominus *P*otestas *P*aduæ facta denunciatione de prædictis inquirere teneatur de hoc.

Statutum

dio, vel alius nuncius, qui parte alicuius interdictum, vel minas fecerit, puniatur in libris quinquaginta. Et, qui pœnam non soluerit, forbanniatur, & non cancelletur, nisi pœnam soluat.

Potestate D. Marino Faletro 1339.

OMnes homines de Padua, & Paduano districtu subiecti iurisdictioni domini Potestatis, & communis Paduæ teneantur, & debeat venire coram domino potestate Paduę, vel coram aliquo iudice ordinario constituto secundum formam statutorum communis Paduæ ad petendũ, & respondẽdum de iure super omnibus causis, & quæstionibus suis, & etiam in causis feudorum, quæ tamen de re ecclesiastica nõ sint, & aliquis habebit aliquod feudum, vel libellum seu ius, aut possessionẽ in Padua, vel Paduano districtu, non intelligendo de rebus ecclesiasticis. Et si veniat aliquis quicunq; & qualiscunq; fuerit volens ei mouere quęstionem, vel cõtrouersiam de dicto feudo, vel libello, seu iure, aut possessione cognosci debeat de causa huiusmodi solum in ciuitate Paduæ, vel in castro Paduani districtus, vbi cognitio ista pertineret, & non alibi. Et pro aliqua causa nõ possit, nec debeat aliquis de Padua, vel Paduano districtu citari, vel modo aliquo conueniri, vt vadat extra ciuitatem Paduę, vel districtum ad respondendum de iure, vel aliquid auditum, vel faciendum coram aliquo ius dicente. Et qui contrafecerit extrahendo, vel citando, seu

ex-

huius statuti, etiam si reus admonitus, vel citatus contradixerit admonitioni, vel citationi, vel si contra contumacē commissa est tenuta, vel cum iudex cæpit audire partes litigantes porrecto libello. Et intelligatur hoc statutum solum de conuento, seu de quo deposita est quærimonia, & non intelligatur si actor alium conuenire vellet, nisi esset conuentus, vel confideiussor, vel cohæres, vel coobligatus in eo debito: & consors eiusdem litis, qui tunc pro debito prædicto, & dicta lite debeat solú corā eo iudice conueniri, & quærimonia intelligatur finita: quoad vitandum pęnam huius statuti sententia lata, vel finito officio illius officialis, coram quo incepta fuerit, nisi fuerit coram illo facta contestatio litis, si fieri debuit in causa, vel factus sit alius actus habens vim contestationis litis. Quibus casibus intelligatur causa finita per sententiam, vel causa perempta secundum formam statutorum. Super tenuta tamen accepta, vel commissa procedi possit ad vlteriora, non obstante quod sit finitum officium iudicis committentis.

Potestate D. Ioanne Dandulo 1347.

STatuimus, & ordinamus, quod si ad petitionem alicuius aliqua inhibitio facta fuerit per curiam Episcopalē alicui iudici sæculari, quòd ille, qui impetrauerit dictam inhibitionē, teneatur facere expediri causam inhibitionis infra triginta dies, & si succubuerit in causa inhibitionis, qui inhibitionem

im-

impetrauit, condemnatus intelligatur absque aliquo processu, & condemnatione in libris viginti-quinque paruorum, dum tamen pęna non possit excedere dimidium sortis, de qua fuerit quæstio. Cuius pœnæ medietas sit communis, & alia partis aduersæ. Si verò inhibitio ipsa non fuerit infra triginta dies expedita, iudex sæcularis in causa procedere possit, non obstante inhibitione. Et ille, ad cuius instantiam inhibitio facta fuerit, si causam inhibitionis infra alios triginta dies fecerit expediri, & in ea obtinuerit, in nullam pœnam cadat. Si autem infra vltimos triginta dies in causa inhibitionis succubuerit, condemnatus intelligatur in libris vigintiquinque, vt supradictum est. Si verò infra alios triginta dies causam inhibitionis non fecerit expediri, pęnam suprascriptam soluat omni exceptione iuris, & facti remota, etiam si post vltimos triginta dies in causa inhibitionis, & principali obtineret. Et prædicta locum habeant contra illum, in cuius fauorem facta est inhibitio, etiam si per officium iudicis ecclesiastici, absque alicuius petitione fiat inhibitio. Et idem intelligatur si fiat inhibitio, vel præceptum parti, vel eius procuratori, vel aduocato.

Potestate D. Vberto de Canzelerijs de Pistorio 1316.

NOn possit allegari suspitio, vel iudex haberi suspectus, nisi semel tantum in causa pro qualibet parte: saluo, quòd tam actor, quam reus suc-

cessorem

cessorem iudicis in officio possit habere suspectum; semel tantum. Et si iudex habitus fuerit suspectus in aliquo casu, iuretur suspitio coram vno ex iudicibus potestatis ea die, vel sequenti prima iuridica, si sequens feriata esset. Et iudex ille, coram quo iuratur suspitio ea die, vel sequenti, qua iurata fuerit suspitio, vel subsequenti prima iuridica, si sequens esset feriata absque consilio sapientum, teneatur alium iudicem in officio positum, & partibus non suspectum dare. Et quod pars aliqua non possit dare vltra duos suspectos non computato iurato suspecto de iudicibus officialibus palatii. Et teneatur ille, qui iudicem suspectum dixerit, delegationem facere fieri suis expensis ea die, vel sequenti prima iuridica: & dictam delegationem pręsentare iudici delegato, & facere citari partem coram iudice delegato, vt debeat comparere ad procedendum in causa sub pœna solidorum quadraginta paruorum, quorum medietas applicetur iudici delegato suspecto, altera medietas parti aduersæ. & in continenti cogatur ad soluendum pignoribus captis sine aliqua citatione per iudicē habitum suspectum. Et nihilominus causa intelligatur esse remissa ad iudicem allegatum suspectū, & non possit iudex allegari suspectus causa remissa. Possint tamen partes si voluerint concorditer eligere, & adire quemcunque iudicem velint. Et ille iudex electus per partes, seu delegatus a iudice donec erit in officio, debeat de quęstione ipsa cognoscere, & eam si poterit sine debito determinare. Si

autem

autem eam finire non poterit, ſucceſsiue intelligatur hoc idẽ de aliis iudicibus, & officialibus ad banchum illum ſuccedentibus, & proceſſus continere coram iudice delegato, ſeu coram eo, quem partes concorditer elegerint, ſecundum quod erat coram iudice allegato ſuſpecto, & donec iuretur ſuſpitio, vel alius iudex delegetur, nõ currat terminus. Aliter autem, quam ſupraſcriptum eſt, iudex non poſſit allegari, vel haberi ſuſpectus: nec ſubrogatus loco ſuſpecti, niſi noua cauſa, & legitima ſuſpitio emerſerit: quæ probari debeat infra tertiam diem vtilem per ſacramentum allegantis. Et ſi allegata cauſa non fuerit probata modo prædicto, vel probata nõ fuerit approbata legitima, tunc iudex, qui cognouerit de ſuſpitione abſque conſilio ſapientũ remittat partes ad primum iudicem, & cõdemnet illum, qui allegauerit ſuſpicionem ſine aliquo proceſſu in expenſis legitimis parti aduerſæ, & in ſolidis quadraginta paruorum applicandis vt ſupra. Saluo quod ſit iudex poteſtatis loco recuſati, & dari poſſit dominus poteſtas Paduæ, ſeu vicarius, vel iudex maleficiorum, nec poſſit iudex maleficiorum haberi ſuſpectus. Et ſi aliqua partium, vel pro ea interueniens allegauerit iudicem, qui de cauſa cognoſcit ſuſpectum, & dictam ſuſpitionem non iurauerit, vel non fecerit id, quod poſſit, vel vt debuit ad eam iurandam coram iudice poteſtatis ea die, vel ſequenti prima iuridica: quod iudex, qui allegatus ſuſpectus fuerit, condemnet eum in ſolidis viginti paruorum ſtatim dandis, & ſoluendis

parti

parti aduersæ:& amplius dictum iudicem allegare non posſit ſuſpectum, eo, quia fruſtratus eſt, & decepit iudicem,& partē aduerſam:& posſit in quæſtione poſtea procedere,ac ſi nō eſſet allegatus ſuſpectus.Et in cauſa appellationis,nullitatis,reſtitutionis, & reductionis ad arbitrium boni viri posſit haberi iudex ſuſpectus ſolum ſecundum modum, & formam ſupraſcriptam:& in caſu, in quo posſit haberi ſuſpectus in principali quæſtione. Et aliquis, qui fecerit aliquem detineri, vel interdici in carceribus,vel pignorari, ſeu de bonis alicuius ſequeſtrari,vel intromitti, vel tenutam accipi, vel forbanniri,non posſit allegare ſuſpectum iudicem qui prædicta commiſerit, niſi finita quæſtione detentionis,interdicti,pignoris,ſequeſtri,tenutæ, intromisſionis,vel forbannitionis,ſi quæſtio emerſerit vel inciderit, quòd prædicta non fuerint legitime facta,vel reuocatio prædictorum fieri petatur.

Qvelibet partium, ſi putauerit iudicem de Iure, vel ex forma ſtatuti non poſſe eſſe iudicem: puta forbannitum,vel excommunicatum,vel non legitime electum, vel non legitime ſubrogatum loco alterius: vel aliquam exceptionem opponat, per quam iudex detegatur incompetens ratione perſonæ ſuę,vel officij,poſsit illud idem opponere vſque ad conteſtationem litis, niſi illa contentio poſt illam litis conteſtationē orta,ſeu nata fuiſſet.

Et facta oppoſitione tunc iudex non posſit pronunciare ſe competentem, ſed remittat ſe ad iudicem Vnicornij,coram quo infra. x. dies continuos

à die remissionis cognoscatur de dicta exceptione, & terminetur summarie, breuiter, & de plano. Etsi apparuerit dictam exceptionem veram esse, tunc det statim ea die, vel sequenti prima iuridica alium iudicem officialem sine suspitione, & sine obstaculo prædicto, cui postea opponi non possit de prædictis. Et si quæstio incompetentiæ infra tempus prædictum terminata non fuerit, intelligatur ipso iure causa esse remissa, & sit ad priorem iudicem: et perinde possit primus iudex de causa cognoscere, ac si exceptio ipsa nunquam proposita fuisset, & vlterius ea instantia durante similem exceptionem proponere non possit. Et à pronunciatione facta super propositione exceptionis incompetētiæ appellari non possit, & valeat, quod factum fuerit quandocunque etiam lite contestata, vel habita pro contestata coram tali iudice, qui pub. se pro officiali gerat tanquam communi errore factum, donec prædicta, vel aliquid prædictorum non oppositum fuerit. Et si super huiusmodi exceptione succubuerit opponens, puniatur vt supra dictum est de iudice habito suspecto.

TAbellio iudicis, coram quo fuerit quæstio ciuilis, vel criminalis, possit recusari, & haberi suspectus etiam non specificata causa. Et iudex medius recepto sacramento suspitionis, & receptis suspectis à partibus committat alteri notario, & vni tantum in officio suo posito acta causæ scribenda, dumtamen non nisi semel possit in eadem modula officialium, & in eadē quæstione tabellio recusari.

DE IVRIDICIS DIEBVS, ET FERIATIS. RVBRICA.

Potestate Domino Marino Faletro 1339.

RATIO fiat in ciuitate Paduæ in palatio iuris ad discos deputatos die qualibet hebdomadæ ante nonam, & post, horis debitis, & consuetis, exceptis diebus feriatis solemnibus, & vetitis per statuta communis Paduæ. Et saluo tempore quadragesimæ, quo semel tantum in die, vel ante nonam, vel post ad potestatis beneplacitum, & arbitrium ius reddi debeat. Et saluis diebus, quibus Potestas Paduæ ex antiqua causa, ius dici inhiberet.

Potestate D. Guitifredo de Turre 1274.

ANte nonam, & post quolibet die, quo ius reddi debet, pulsetur vna campana magna, quæ in turri communi deputata erit, & pulsetur qualibet vice per spatium mediæ horæ, vt illo signo intelligant omnes, quod ius reddi debet, & sonetur dicta campana de mane per mediam horam post ortum Solis tam in hyeme, quam in æstate. Post nonam vero si fuerit tempus æstatis sonetur hora decima octaua. Si autem fuerit tempus hyemis, sonetur hora vigesima, possit tamē sonari dicta campana & præstius & tardius prout qualitas temporis esset. Et post sonum dictæ campanæ quandocunque iudices ad banchum ituri erunt, teneatur & debeat iudex Victualium, & Vnicornij face-

re pulsare campanellam, quæ in dicto palatio ad hoc deputata est, & sonetur dicta campanella per vnum præconem communis Paduæ iussu dicti iudicis qualibet die iuridica ter ante prandiũ, & ter post nonã. Et sit spatium à primo sono dictę campanellæ per vnam horã ad secundum sonum dictæ campanellæ: & similiter sit spatium a secundo sono per vnam horam vsq; ad tertium sonum dictæ campanellæ. Et quando pulsatur tertius sonus dictæ campanellæ, præco debeat dare botos saltem quatuor, vt cognoscatur, quod illa sit tertia cãpanella. Possit tamen iudex ipse spatium maior, vel minus interponere inter vnum sonum, & alium, vt sibi videbitur expedire. Si vero dictus dominus iudex non veniret ad banchum, tunc qui erit iudex ad discum equi, teneatur facere sonare dictam campanellam, vt dictum est, & iudex quicumque fuerit siue victualium, siue iudex equi fuerit, qui dictam campanellam modo prædicto sonare non fecerit, puniatur in solidis viginti, & quilibet possit accusare, & habeat medietatem banni.

Potestate D. Guidone de Rubertis 1276.

QVolibet die iuridico siue ante tertias, siue post nonam ius reddatur, debeant ad primum sonum dictæ campanellæ dominus potestas Paduæ, & vicarius, assessores sui, ac omnes & singuli iudices palatij & communis Paduæ ad ius reddendum deputati, atque omnes & singuli notarij exercẽtes

officium

officium notariæ ad banchos, vbi ius redditur in dicto palatio, ire ad banchos officio suo deputatos, & ibi continuo sedere pro tribunali, & ius dicere petentibus, & inde non discedere, neque descendere vsque ad tertium sonum dictæ campanellæ. Et iudex, seu notarius quilibet, qui ad primum sonum dictæ campanellæ non venerit ad banchum suum, seu recesserit sine licentia domini potestatis, vel suorum iudicum ante tertium sonum dictæ cāpanellæ, solutat pro qualibet vice solidos quatuor, & colligi debeant ista banna per vnum ex notarijs sigilli, & diuidi æqualiter vel æquaminiter inter iudices seu notarios, qui obediētes erunt. Et iudex de medio possit per se tantum statuere terminos peremptorios ad secundum sonum dictæ campanellę, & pronunciare post dictum sonum secundum dictę campanellæ vsque ad tertium sonum.

Et completo sono tertio campanellæ, quilibet iudex debeat descendere de bancho. Et nullum vlterius audire in iure possit sub pœna solidorum viginti, & quilibet possit accusare, & habeat medietatem banni & altera pars sit communis. Et quod factum fuerit post tertium sonum dictæ campanellæ, non valeat, nec teneat de iure, vel de facto, nisi esset de voluntate expressa vtriusque partis. Saluo tamen, quòd iudex, qui ante tertium sonum dictæ campanellæ incepisset legere consilium, vel sentētiam ferre, possit remanere ad banchum suū, & complere, & impune legere, pronunciare, & proferre sententiam suam. Et hoc casu valeat sen-

tentia ipsa perinde, ac si lata esset ante tertiũ sonũ dictæ campanellæ statuto aliquo non obstante.

Potestate D. Matthæo Quirino 1278.

NEmo vocetur ad iudicium, nec præcepta fiãt à festo S. Thomæ vsque ad Epiphaniam. Item in festiuitatibus B. Mariæ Virginis: videlicet Annunciationis, Purificationis, Assumptionis, Natiuitatis, & Visitationis eius, quę venit secunda die mensis Iulij. Item in festo eius, quod dicitur festum Sanctæ Mariæ à Niue, & Conceptionis eiusdem. Diebus Dominicis. Diebus duodecim Apostolorum. Diebus quatuor Euangelistarũ. Sanctæ Agnetis. Conuersionis Sancti Pauli. Sancti Blasij. Sanctæ Agatæ. Cathedræ Sancti Petri. Dominica Carnispriuij vsque ad diem Mercurij subsequentem inclusiue. Sanctæ Iulianæ. Sancti Gregorij. Sancti Benedicti. Et a Dominica Oliuarum vsque ad octauam Paschæ. Inuentionis Sanctæ Crucis. Ascensionis Domini nostri Iesu Christi. In die Pẽtecostes cum duobus diebus sequentibus. In festo Corporis Christi. Sancti Barnabæ. Et à die Sancti Barnabæ vsq; ad quindecim dies post festum Sancti Petri inclusiue. Sanctæ Margaritæ. Sanctæ Mariæ Magdalenæ. Vincula Sancti Petri. Dominici confessoris. Laurentij martyris, & Leuitæ. Sãcti Saluatoris. Sancti Maximi. Sancti Augustini. Decolationis Sancti Ioannis Baptistæ. Sancti Egidij, Sancti Ludouici. Sancti Petri Martyris. Sancti

Thomæ

Thomæ de Aquino. Sancti Firmi. Exaltationis sanctæ Crucis. Et à festo natiuitatis sanctæ Mariæ de mense Septembris vsque ad quatuor dies post festum sanctæ Iustinæ inclusiue. Et a festo omnium sanctorum vsque ad festum Sancti Martini. Et in festo Sanctæ Ceciliæ. Sancti Clementis. Sanctæ Catharinæ Virginis. Sancti Nicolai. Sancti Georgii. Sancti Ambrosij. Sanctæ Luciæ Virginis. Primo die Iouis Maij, quo die sit festum Bursæ. Vigiliæ Sancti Antonij confessoris post nonam, & die festiuitatis eius, ac die octauæ suæ. Item die festi Sancti Canciani. Sancti Vrbani. Sanctæ Vrsulæ & vndecim millia Virginum. Sancti Hermacoræ. In solemnitatibus mortuorum. Sanctæ Barbaræ. Sancti Antonij de Viena. Beati Antonij Peregrini. Sancti Leonardi. Et intelligantur omnes, & singuli dies prædicti in hoc statuto nominati esse solemnes, exceptis feriis, quæ fiunt occasione messium à festo Sancti Barnabæ vsque ad quindecim dies post festum Sancti Petri. Et exceptis ferijs, quæ fiunt occasione vindemiarum a festo natiuitatis Sanctæ Mariæ de mense Septembr. vsq; ad quatuor dies post festum sanctæ Iustinæ vt supra dictum est. Quæ feriæ messium, & vindemiarum non intelligantur esse solemnes, & in ipsis possint causæ summarie agitari. Aliis vero omnibus diebus, exceptis prædictis, possit & debeat ius reddi, & reddatur. Et iudices officiales teneantur, & possint sedere ad banchos officio suo deputatos pro iure reddendo. Et notarij officiales teneantur,

& possint sedere ad banchos officio suo deputatos, seu ordinatos coram iudicibus suis: & scribere impune in palatio ad eorum libitum. Ita tamen, quòd quolibet tempore potestas possit exercere officiũ suum contra latrones, & illos, qui mala commiserunt. Et feriæ non possint indici, nisi de voluntate maioris partis cõsilii, excepto quòd potestas possit ferias indicere pro rumoribus, & caualcatis, vel pro alia causa, ex qua vtilitas eiusdem, vel necessitas vrgens: vel pietas ampla potestati appareret. Excepto, quòd ius reddi possit, & debeat pro affictibus, & redditibus, ac de mercede, operibus, & salarijs qualibet die. Et summarie, exceptis festiuitatibus solemnibus.

PRæcones tam diebus solemnibus, quàm feriatis possint exequi præcepta, & commissiones eisdẽ iniunctas & datas, dummodo commissio facta sit, vel fuerit die iuridica. Et dummodo relationes faciant ipsi præcones die iuridica & infra tempora contenta in statutis communis Paduæ. Et si vltima dies, qua fieri debeat relatio, fuerit feriata, tunc possit præco facere relationem sequenti die non feriata. Saluo quòd prædicta non vendicent sibi locũ in ferijs natiuitatis; & Paschæ resurrectionis.

Potestate Domino Vberto de Canzelerijs de Pistorio.

AD hoc, vt facilius dies vtiles, siue iuridici sciri, vel sequi possint, statuimus, & ordinamus, quòd ad quẽlibet discum palatij, vbi ius redditur, notarius nouus, qui debeat sedere in medio aliorũ

nota-

notariorum ad discum, vbi euenerit sibi officium, vel notarius vltimo extractus, vbi non esset notarius nouus ad dictum discum, teneatur & debeat scribere ab vno capite libri actorum suorum omnes & singulos dies iuridicos & feriatos per ordinē de mense in mensem declarando annum, & incipiendo primum, secundum, tertium, & quartum mensem, & incipere à primo de mense: & sequi ordinate vsque ad vltimum diem mensis exprimendo nomen & numerum cuiuslibet diei: verbi gratia hoc modo 1420. die Lunæ primo Martij. die Martis secundo Martij. & sic continuate per ordinem vsque ad finem primi mensis. & ita successiue facere de aliis mensibus, quibus debet stare in officio illo. Et si aliqua die erit festum, vel impedimētum aliquod, ex quo ius non reddatur in palatio tota die vel semel tantum: scribat hoc modo. Die Lune primo Martij nō fuit redditum ius ante tertias & post nonam, seu ante tertias, vel post nonam tantum, quia fuit tale festum, vel fuit factum consilium, vel fuit tale impedimentum, vel quia iudex non sedit ad banchum & similia, exprimendo causam, qua ius non est redditum illa die, pro qua veritas erit. Et similiter ad discum victualium & sigilli & Aquilæ scribantur dies vtiles & feriati per vnum ex notarijs exercentibus officium ibi, qui notarius eligatur per iudicem suum ad illum banchum deputatum. Et eo modo scribere debeant notarij exercentes officium ad discum Vulpis, & vēditionum rerum immobilium. Et teneatur qui-

libet

libet notarius, qui ſcribet dies vtiles & feriatos facere ad diſcum ſui officii copiam ipſorum dierum cuilibet petenti in quæſtionibus ibi pendētibus, & recipere poſſit pro qualibet vice ſolidū vnum paruorum pro labore ſuo oſtendendi dies ipſos à quolibet petēte, & credatur circa iſtos dies vtiles actis ipſorum notariorū, quibus hoc conceſſum eſt ſcribere, niſi error euidens eſſet in contrarium. Et prædicta facere teneantur quilibet de dictis notariis ad hoc deputatis tempore ſui officij in pœna ſolidorum ſexaginta paruorum. Et iudices, ſub quibus erunt dicti notarii, poſsint, & debeant cogere ipſos notarios dictos, & officiales ſuos ſcribere in actis ſui libri dies vtiles, & feriatos, (vt dictum eſt) mulctando eos, & officium etiam interdicendo ſibi ſi contrafacerēt, pęna cuilibet iudici poteſtatis prędicta non obſeruanti librarum 50. paruorum.

NOn poſsit aliquis pro debito alicuius priuatæ perſonę in ferijs natiuitatis, ſeu Paſchę reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti capi, detineri, vel interdici, aut accuſari de banno libri, aut denunciari ſibi quòd intret carceres.

TEmpore nundinarum, quæ fiūt Paduæ quolibet anno in prato Vallis ad feſtum S. Iuſtinæ de Menſe Octobris, & ſimiliter tempore nundinarum, quæ fiunt ad dictum pratum Vallis ad feſtum S. Proſdocimi de menſe Nouembris non poſſit durātibus ipſis nundinis aliquis ciuis, vel forenſis detineri pro aliquo debito, ſaluo quàm pro debito vel contractu aliquo in nundinis contracto, ſeu ce-

lebrato

lebrato prædictis. Et quælibet persona volens venire Paduã ad festũ S. Antonij confessoris de mense Iunij possit venire, stare, & redire libere & secure cũ personis & rebus per octo dies ante ipsũ festũ & per octo dies post, non obstantibus aliquibus represaleis. Et huic statuto renũciari non possit, neq; per pactum vel iuramentum modo aliquo remitti.

DE AVDIENDIS IN IVDICIO, ET PERSONARVM LEGITIMATIONE. RVBRICA.

AVDIANTVR in iure tam in agendo, quàm in defendendo omnes & singuli, qui suo, vel alieno nomine in iudicio compareant, exceptis illis tantum, qui lege ciuili, vel municipali audire prohibentur.

QVælibet persona, seu vniuersitas, vel collegiũ possit constituere sibi ad causas in agendo, & defendendo vnum & plures procuratores, sindicos, seu actores quoscunq; velint: dummodo non constituatur aliquis, qui de iure ciuili vel municipali constitui non possit.

NOn possit aliquis constitui procurator, sindicus, actor, vel curator ad lites, vel nomine alieno in iudicio modo aliquo comparere, nisi sit ciuis Paduæ origine propria vel paterna, vel nisi sit factus ciuis Paduæ ex decreto, & possideat bona immobilia in Padua, vel Paduano districtu valoris librarum quingentarum paruorum ad minus:

&

& ſuſtineat onera & factiones cum communi Paduæ ſub pęna librarum 25. cuius medietas ſit communis, & altera medietas accuſantis. Et quod actũ fuerit in fauorem partis ſuæ non valeat ipſo iure: ſaluo quòd forenſis conſtitutus procurator vel ſindicus ad ſubſtituendum poſſit ſubſtituere alium procuratorem vel ſindicum ciuẽ origine: vel priuilegio ciuitatis Paduæ: & habilem ſecundum formam ſupraſcriptam. Et ſimiliter executores, & commiſſarij vltimarum voluntatum pro exequẽdis vltimis voluntatibus conſtituere poſſint procuratores ad iudicia etiam ante litem cõteſtatam; & patres quoque in bonis filiorum ſuorum non ſolum ad negocia, ſed etiam ad iudicia conſtituere procuratorem poſſint quemcũque velint ciuẽ Paduæ origine: vel priuilegio vt ſup. præmiſſum eſt.

SI aliquis ciuis Paduę, vel Paduani diſtrictus, vel alius forenſis habitans in ciuitate Paduæ, vel diſtrictu, & ſuſtinens onera, & factiones cum ciuitate Paduæ vel diſtrictu, vel habitans cum ſuſtinẽte vocabitur, ſeu vocatus fuerit ad iudicium corã aliquo rectore, vel iudice in ciuitate Paduæ, vel Paduani diſtrictus rationem reddente ad petitionem alicuius forenſis non ſuſtinentis onera, & factiones cum ciuitate Paduę, vel diſtrictu, vel ad petitionem alicuius non ſubiecti temporali iuriſdictioni cõmunis Paduæ, quod nullatenus audiatur in agendo talis forenſis non ſuſtinẽs onera cũ ciuitate Paduæ vel diſtrictu, vel non ſubiectus tẽporali iuriſdictioni communis Paduę, niſi prius & ante

omnia

omnia legitime coram rectore vel iudice illo, corã quo causa mota vel mouenda erit, satisdedegit cum fideiussore idoneo de iudicio sisti, & iudicato soluendo: & de expensis restituendis si succubuerit, vel nõ prosequeretur in causa infra tempus in statutis communis Paduæ comprehensum, dummodo dicta satisdactio per reum comparentem postulata fuerit ab actore. Quæ postulatio fieri possit etiam post legitimationem paruorum in quacunq; parte iudicij ante sententiam. Et quòd post requisitionem ipsam per reum factam, si fideiussio per forensem actorem illum præstita non fuerit, processus omnis, qui fieret post requisitionem ipsam, non valeat ipso iure quantum forensis illius, seu nõ subiecti temporali iurisdictioni communis Paduæ requisiti fauorem inspiceret, ita tamen, quòd processus factus vsque ad petitionem seu requisitionẽ satisdationis valeat etiam in fauorem suum tanquam ab initio litis fideiussio ipsa data esset. Et quod quilibet ciuis Paduanus possit per forensem dictam fideiussionem præstare & facere. Et quod aliquis aduocatus, vel procurator non possit dicere, vel allegare contra statutum istud pęna aduocato solidorum centum, procuratori vero solidorum quadraginta, contra prædicta dicenti vel modo aliquo alleganti.

Potestate D. Ioanne Baduario 1258.

DOminus potestas Paduæ, & quilibet iudex sacramento suo teneatur non audire aliquem clericum vel regularem personam, nisi pro facto

suo

suo proprio, & facto sui monasterij, seu Ecclesiæ suæ sub pœna librarum 25. paruorum, cuius banni medietas sit communis, & altera pars accusantis; & nihilominus quod factum fuerit in fauorem partis suæ non valeat ipso iure.

Potestate D. Ottolino de Mandelo 1289.

SI aliquis laicus conueniatur, vel recõueniatur à clerico, vel ab ecclesiastica, siue regulari persona: vel ab aliquo habẽte iura cessa ab aliquo clerico, seu persona ecclesiastica, vel regulari mediate vel immediate, & lata sententia contra ipsũ laicũ, vel ipso laico ante sententiã recognoscẽte debitũ dicat laicus per sacramentũ se non posse soluere in totum, vel in parte, nõ procedatur contra eum vlterius: sed præstet iuratoriam cautionem, si dixerit se aliam præstare non posse, quod satisfaciet cũ venerit ad pinguiorem fortunam. Et huic statuto renunciari non possit, nec per pactum, aut iuramentum remitti. Et prædicta omnia habeant locum etiam aliquibus alijs statutis non obstantibus, ac si de ipsis specialis mentio facta foret.

NVllus possit agere nomine suo in aliqua causa coram aliquo iudice, qui sibi coniunctus sit cõsãguinitate, vel affinitate tali gradu, quòd inter eos non posset esse matrimoniũ. Et si contractum fuerit, nõ valeat quicquam, quod in fauorẽ contrafacientis actum esset. Et nihilominus cõtrafaciens quisq; condemnetur in lib. 25. paruorum, & quilibet

bet possit accusare,& teneatur in credentia:& habeat medietatem banni,& altera medietas sit communis Paduæ.

ALiquis non possit esse procurator, sindicus, actor, vel aduocatus alicuius personę vel vniuersitatis in aliqua causa vertēte coram aliquo iudice, qui eius pater, aut filius, vel frater sit sub pœna libr.25. paruorum, cuius pęna medietas sit communis,& altera denunciantis,& quilibet possit accusare, & teneatur in credentia; & quod actum fuerit in fauorem partis contrafacientis, non valeat ipso iure.

QVicumque fuerit de collegio iudicum, vel aduocatorum ciuitatis Paduæ non possit constitui, vel modo aliquo substitui ad lites procurator, vel sindicus, aut actor, siue curator alicuius personæ, vel vniuersitatis. Et si contrafactum fuerit, nō valeat in fauorem partis suæ aliquid, quod per eū actum esset: saluo, quòd liceat sibi tanquàm aduocato iura partis suæ allegare, & officio aduocati tam in iudicio, quàm extra frui.

Potestate Domino Thoma Iustiniano 1271.

NOtarius aliquis, qui sit in officio pro se, vel alio nō possit in agēdo cōparere nomine suo, vel alieno in aliqua causa, quæ agitetur coram iudice suo ad illum banchū, ad quem ipsum officium notariæ exercet. Si quis autē contrafecerit, puniatur in solidis cētum qualibet vice: & quod factū fuerit in fauorem eius vel partis eius, nō valeat ipso iure,

Po-

Potestate Domino Marco Quirino 1261.

SColaris aliquis nõ debeat aduocare, nec aliquis alius, qui non sit scriptus in collegio iudicum, seu aduocatorum ciuitatis Paduæ, non obstante, quod esset ciuis origine vel priuilegio.

Potestate Domino Marco Dandulo, & Capitaneo Domino Laurentio Bragadeno 1420.

NOn possit aliqua partium habere vltra duos aduocatos in aliqua causa: etsi aliqua persona voluerit alicui causam, vel litem mouere, non possit a pluribus, quàm vno ex Doctoribus Paduæ consilium in scriptis recipere per se, vel alium mutatis nominibus, vel nõn mutatis: sub pęna quarti totius litis, siue æstimationis eius, quam ex post facto inchoauerit, cuius pęnæ medietas cameræ cõmunis applicetur, altera vero medietas alteri parti. Etsi in eadẽ causa voluerit aduocatum habere, teneatur primo adire iudicem, coram quo quæstio ventilabitur, & eidem suum propositum exprimere altera parte præsente citata, vel admonita. Qui iudex suo officio vel etiam ad instantiam partis teneatur deferre iuramentum dicto actori, seu agere volenti, vt dicat veritatem, si aliquem, vel aliquos in causa, quam facere intendit ex doctoribus Paduæ consuluit: & eos nominet. Et si dictus iudex reperit contrafactum: statim condemnet dictum actorem (vt supra dictum est) in quarta litis seu æstimationis eius. Si verò (vt supra præmissum est) ab vno tantum vnum consilium habuerit, illũ

aduocatum

aduocatum habere possit & intelligatur habere in causa predicta, nec alium in eadem causa possit eligere vel habere, nisi pro alia pars duos, quos voluerit, elegerit, & habuerit. Quo casu tunc dictus actor possit habere alium aduocatum ad libitũ, nec vltra numerum dictum duorum aduocatorum aliqua dictarum partium, vel aliquis alter litigator possit recipere vel habere sub pœna prædicta. Et quod in actore dictum est, vt non possit nisi ab vno consilium in scriptis recipere ante litem inchoatã, idem intelligatur etiam post litem contestatã siue inchoatam. Et non solum hoc in actore dictis casibus locum habeat, sed etiam in reo locum habere intelligatur.

Potestate Domino Iacobo de Ragonibus 1225.

QVilibet ante litem cõtestatam, vel etiam post infra duntaxat dilationem, seu dilationes datas ad probandum in causa, lite, seu quæstione facere debeat scribere in actis aduocatum seu aduocatos suos, & procuratorem suum. Qui aduocatus seu aduocati & procurator iurare debeant (quando requisitum esset) secundum formã statuti quod incipit. Statuimus quod facta litis contestatione, positi sub rubrica de Citationibus, sub pœna librarum 25. paruorum pro quolibet aduocato & procuratore contrafaciente.

Potestate D. Simone de Lupis de Parma 1366.

ALiqua mulier non admittatur ad agendũ, nisi de cõsensu mariti. Quo casu maritus teneatur

pro vxore ad expensas litis. Vel nisi mulier satisdederit de soluendo expensas legitimas. Si vero pubes tamen possit, procuratorem si habet, in iudicio esse, vel per procuratorem auctoritate curatoris legitime ordinatum. Si autem curatorem non habet, possit per se in iudicio comparere prius impetrata auctoritate iudicis. Et si vult procuratorem constituere ad lites in agẽdo, & defendendo etiam sine curatoris auctoritate possit, dum tamen interueniat auctoritas iudicis, & dummodo quando vel per se, vel per procuratorem comparet sine curatoris auctoritate constituenda, dicat quòd vult subire iudicium, vt maior, & se maiorem asseueret, & corporaliter iuret nõ cõtrauenire ratione minoris ætatis, & se curatorem, neq; in agendo, neq; in defendendo habere. Et in hoc seruetur sibi electio per quem modum ex prędictis velit in iudicio esse, & quemcunque de prædictis modum elegerit seruata solemnitate præmissa in quolibet iudicio ciuili vel criminali habeatur tunc pro maiore, & valeat quod factum fuerit cum ipso, vel curatore aut procuratore suo taliter constituto, ac si pubes ipse maior esset. Dumtamen ex confessione sua, vel procuratoris, nel curatoris sui super facto principali facta tacita, vel expressa, vera vel ficta, vel præsumpta de nouo nõ obligetur, nisi secundum formam statutorum, & maxime statuti, quod incipit. Si quis, vel quasi sui iuris. Alioquin beneficium restitutionis in integrum, & omne ius ei competens sit ei saluum.

Pote-

Potestate Domino Fantino de Rubeis 1284.

CVrator datus ad litem, vel lites non teneatur facere inuentarium, nec satisdare.

FIliusfamilias nomine alieno si alias sit idoneus, et habeat mādatum legitime, possit esse in iudicio, nec exigatur consensus patris. Idem sit si criminaliter accuset suo nomine prosequens propriā iniuriam, vel se defendens a crimine obiecto.

SI venerit aliquis vocatus, vel nō vocatus ad iudicium, tunc Iudex medius si putauerit expedire, interroget a partibus si volunt aliquid opponere contra personas litigare intendentes, vel partes ipsę opponant, & si partes dixerint quòd non, tunc Iudex pronunciet personas legitimas, & procedat in causa. Si vero partes, vel aliqua earum dixerit aduersarium, vel personam pro eo interuenientem non esse legitimam, vel non posse esse in iudicio, tunc Iudex medius statuat terminum trium dierum, vel minus (si ei videbitur) partibus ad habendum copiam instrumentorum facientium ad legitimationem personarum, & opponendum quicquid voluerint contra personam aduersarij sui, vel personam interueniētem scilicet procuratoris, sindici, actoris, tutoris, & curatoris, vel similium personarum. Et si aliquid fuerit oppositum, tunc Iudex examinet id, quod oppositum est, & si opponat de iure frustratorio opponi reijciat, quod oppositum est, & pronūciet personas legitimas, & eius pronunciationi stetur, & ab ipsa pronunciatione appellari non possit, & intelligatur procura-

tor, sindicus, curator, ad lites legitime constitutus, & solemniter releuatus ab omni satisdatione quantum ad actus iudiciarios, vt possit esse in iudicio eo ipso, quòd est constitutus ad agendum, & defendendum, si constituentes & constituti habuerint personas legitimas, & procurator legitimatus non possit renunciari, nec reuocari etiam lata sentētia vsque ad libellum appellationis ad quem, & vsque ad tempus securitatis prestandæ de expensis inclusiue, nec etiam postea si alias de iure causam appellationis prosequi teneatur, nisi ex causis, quibus possunt post litem contestatam. Si vero apparent eidem non frustratorie opponi, tunc Iudex medius iubeat personam, vel personas, contra quam, vel quas oppositū fuerit, legitimari infra tempus, quod crediderit commode fieri posse exprimēdo in quo debet legitimare personam suam, & in quo est defectus, & iubendo ipsum defectum suppleri & legitimari deberi, quod si factū fuerit possit, & debeat Iudex medius similiter pronunciare personas legitimas. Si vero non fuerit factum, tunc Iudex mittat aduersarium in possessionem bonorum eius, qui nō legitimauerit personam suam, si fuerit reus, vel ex parte rei, qui eam nō legitimauerit vsq; ad quantitatem, quam petit vel quam putauerit conuenire. Si autem fuerit actor vel ex parte actoris nunquā audiatur, donec fecerit legitimationem suæ personæ secundum præceptum iudicis. Et semper ille, siue actor, siue reus, qui non legitimauerit personā suam secundum iudicis præceptum infra terminū

eidem

eidem assignatum condemnetur eidem aduersario in expensis legitimis, quas sustinuit ex eo, quod eius aduersarius non legitimauerit personam suam, & non fuerit legitime in iudicio. Et nihilominus teneatur dare parti aduersæ suis expensis instrumenta secundo producta facientia ad legitimationem personarum, si non fuerit legitima.

SI aliquis vocatus fuerit ad iudicium, vel etiam non vocatus in iudicio comparuerit per procuratorē facta legitimatione personarum, vlterius ipse in eadē causa citari non possit, nisi ad eos actus qui requirunt principalē personam interuenire, & si contrafactū fuerit non valeat, nec teneat ipso iure citato, & quicquid scriptum fuerit ex eo.

Saluo tamen, quòd principalis persona possit producere testes, & instrumenta, & facere probationes in causa, & adesse in quolibet actu causæ expresse dicendo se velle adesse illi actui. Et valeat quicquid cum principali etiam solo factum fuerit, etiam si per procuratorem vel alium eius nomine interueniente fuerit lis contestata, ita tamen quòd aduersarius etiam cum ipso principali etiā inuito possit eo die quemlibet alium actū iudiciariū exercere, nec propter hoc intelligatur pars principalis in se transferre iudiciū, vel reuocare mandatū.

Potestate D. Vberto de Canzeleriis de Pistorio. 1316

INstrumēta procuratoris, sindicatus curarię, tutelæ, & omnium aliorum alieno nomine inter-

uenientium, quæ faciunt ad legitimationem personæ, & etiam inuentarium, exceptis rebus in inuentario positis postquam facta fuerit legitimatio personarum, & personæ fuerint declaratæ legitimæ, quæ alieno nomine in causis interueniũt, ponatur in actis notarij, qui scribit acta causæ, & quæstionis distinctæ cum signo & nota tabellionis, qui ea scripserit, vel saltim ponatur tẽpus confecti instrumenti, nomen constituentis, & constituti, & nomẽ notarij qui instrumẽtum illud scripsit cum effectu, seu substantialibus instrumenti, & valeat hoc ad faciendum quandocunque fidem de mandato, ac si estense scriptum esset. Et notarius medius, qui hoc non seruauerit, puniatur in libris 25. paruorum, & priuetur ab officio per quatuor menses pro qualibet vice.

De inuentario producto ad legitimationem.

PErsonarum fiat copia, contra quam producitur inuentarium ad legitimationem etiam cum rebus in eo positis, seu scriptis rationibus in eo contentis prout scriptum est inuentarium in quantum produceretur ad decisionem causæ.

DE CITATIONIBVS, ET ORDINE PROCEDENDI IN CAVSIS CIVILIBVS. RVBRICA.

Statutum vetus conditum anno 1236.

I quis de aliquo querimoniam deponere voluerit, faciat citare personaliter illũ, de quo voluerit conqueri, si commode poterit inueniri in Padua, vel Paduano

districtu

districtu, & credatur relationi præconis, si referat quòd personaliter ipsum citauerit, vel quòd ipsum reperire non possit, & possit præco quilibet cõmunis Paduæ facere huiusmodi citationes absq; aliqua citatione iudicis ad petitionẽ cuiuslibet requirentis. Et si personaliter citatus non venerit, tunc sit in electione actoris, vtrum velit dari sibi possessionem rei, quam petere intẽdit, vel tenutã de bonis citati vsque ad summam eius, quod petere vult, an velit quòd citatus forbanniatur, & tunc citatus, qui in termino non comparuerit, forbanniatur si actor elegerit eum forbanniri, & si elegerit actor quod velit possessionem rei, quam petere intẽdit, vel tenutam vsque ad summum eius, quod petere vult, concedatur eidem secundũ quod petit.

Si vero personaliter inuentus non fuerit, tunc citetur bis diuersis diebus ad domũ habitationis suæ.

Et si non habitat in Padua, vel Paduano districtu, tunc cridetur ante domum, in qua consueuit habitare bis alta voce audientibus vicinis, si qui erunt, & dilatio detur pro qualibet cridatione.

Si autem etiam à tempore contractus vel quasi, seu à tempore maleficij vel quasi ciuiliter agendo, si habuerit habitationem in ciuitate Paduæ, vel districtu, tunc cridetur super vna schalarum palatij spatio octo dierum interueniente inter primam cridationem & secundam, & figatur vnum breue talis citationis in vna ex portis palacij communis, in quo ius redditur mansurum ibidem durante dilatione, & non possit fieri secunda dila-

tio, nisi elapso termino primæ cridationis. Et si ille qui (vt dictum est) bis vel ad domum, vel super schalis palatij cridatus fuerit, nõ venerit in secũdo termino, tunc actor habeat electionem prædictam. Et si elegerit quòd forbanniatur, tunc ad petitionem ipsius actoris possit forbanniri ille citatus qui non comparuit. Si autem actor elegerit, quòd velit possessionem rei, quam petere intendit, vel tenutam de bonis contumacis vsque ad summam, quam petere vult, concedatur eidem secundum quod petierit. In processu autem causæ, quando conuentus deberet de iure ad aliquẽ actum citari, intelligẽdo quanda contra cõtumacẽ ageretur, sufficiat vna sola proclamatio vel ad domum habitationis suæ, vel si non haberet habitationem super vna schalarum palatij faciendo vna die pro altera die, & absque affixione alicuius breuis in aliqua portatum palatij, ita tameo, quòd ad sententiam audiendam duæ fiant proclamationes (vt dictum est) si personaliter nõ reperiretur secundum quod dictum est de citationibus, siue proclamationibus eorum, qui tempore obligationis, vel contractus non habuerit habitationẽ in ciuitate Paduę vel Paduani districtus. Idem similiter obseruetur in citandis hæredibus defunctorum, quando sunt incogniti vel non certi illi, seu penes illum, qui vult eos cõuenire citari facere. & credatur de incertitudine vel cognitione sacramento illius principalis personæ, vel pro eo interuenientis, qui vult facere ipsos citari, ita tamen quòd duæ primæ proclama-

tiones

tiones etiam fieri debeant ante domum, in qua habitabat defunctus tempore suæ vitæ & mortis si habuerit habitationem in ciuitate Paduę vel districtu, alias vero cridationes fieri ante alicuius domū non oporteat. Reus autem veniens, vel aliter comparens possit recuperare tenutā semel tātum, & exire de banno libri semel tantum in ea instantia, non tamē audiatur volens recuperare tenutam contra eum datam, seu volens exire de libro forbannitorū, nisi prius soluat omnes expensas actori taxatas arbitrio iudicis, & iudex inter cætera arbitretur, quòd expensæ etiam primæ citationis restituantur, si conuentus fuerit in mora, vel interpellatus extra iudicium per actorem, & an interpellauerit eum, stetur sacramento eius. Et si tenuta accepta fuerit in actione personali, teneatur reus, si trāsacto mense voluerit recuperare tenutam ipsam soluere actori etiam vltra expēsas pro interesse solidos viginti pro quolibet centenario librarum, & in ratione cuiuslibet centenarij librarum debiti declarati. Si autem in actione reali data fuerit tenuta, & annum steterit quòd eam non recuperauerit, tunc efficiatur de possessore petitor, & reus ipse infra annum recuperans debeat vltra expensas soluere solidos viginti pro centenario librarum, & in ratione centenarij librarum pro quolibet mense computando a die acceptæ tenutæ inclusiue pro valore rei, in qua est tenuta facta. Et non debeat iudex aliquis, siue potestas, siue vicarius, siue alius quicunque iudex fuerit, reuocare dictas tenutas,

vel

vel aliquam earum, nisi prius solutis expẽsis, & soluto interesse in ratione solidorum viginti pro cẽtenario vt dictum est, sub pœna librarum viginti-quinque paruorum pro qualibet vice, quarum medietas sit communis, & alia denunciantis, et nihilominus reuocatio ipsa facta contra formam prædictam non valeat ipso iure. Et ad pignora, seu tenutas accipiendas & sustentandas & consignandas procedatur secundum formam statutorum positorum sub rubrica de Pignoribus & tenutis.

Potestate domino Henrico Dauro 1281.

SI aliquis absens a ciuitate, vel districtu, & alibi habitãs cridatus fuerit per publicas proclamationes, quæ fieri debeant arbitrio iudicis, & non comparuerit, deferri debeat agenti sacramentum per iudicem super quantitate, vel re de qua agitur, & eius sacramento stetur, & secundum eius sacramentum realiter & personaliter fiat per iudicem condemnatio.

Et hoc casu locum habeat solum contra habitãtes in terris, vel locis, in quibus sit consuetudo, vel de more seruetur, quòd ciues Paduę, vel habitantes in ciuitate Paduæ per proclamationes factas condemnẽtur etiã absentes delato sacramento petẽti.

Statutum vetus conditum anno 1236.

SI ad petitionẽ alicuius fuerit aliquis citatus, vel admonitus, vel fuerit alicui terminus locatus, quod si tali die, vel vsq; ad talem diem coram tali iudice ad respondendũ de iure, vel quod sit ad faciendum,

vel audiendum aliquid in iudicio, & in die comparationis, seu termini assignati neutra pars cõparuit aut si reus comparuerit, & ille, ad cuius petitionem facta fuerit citatio, vel admonitio, vel terminus locatus, non comparuerit, tunc quolibet istorum casuum circũducatur terminus, & fiat citatio vel admonitio vt locetur terminus de nouo. Et si reus tãtum venerit, & actor non comparuerit, cõdemnetur actor in expẽsis, & nihilominus licẽtictur reus, si fuerit de ciuitate vsque ad quindecim dies. Si autem fuerit de villa, tunc licentietur per vnum mẽsem, ita quòd interim non possit reus ipse licẽtiatus vocari ad petitionem illius actoris coram aliquo iudice. Et si infra dictum terminum vocaretur, non valeat, quod factum fuerit contra ipsum, & nihilominus puniatur actor, qui fecerit eam citari in solidis viginti paruorũ pro qualibet vice. Idem intelligatur si reus & actor venerint, sed actoris culpa defecerit, quin procedatur. Possit tamen reus conuenire actorem coram quocunque iudice voluerit, non obstante, quòd reus ille licentiatus sit.

SI aliquis stipendiarius, vel forensis cuiuscunque linguæ, & conditionis sit, conduxerit, vel intrauerit, vel aliquo modo habitauerit domum alicuius ciuis ciuitatis Paduæ sustinẽtis vel scripti ad sustinendum onera, & factiones dominij, & ciuitatis Paduæ, dominus potestas, seu Capitaneus Paduæ & Vicarius potestatis, & quilibet præsidens dictis stipendiariis & forensibus, & alii officiales communis Paduæ, qui præerunt iuri reddendo, debeant,

debeant dicto ciui ius reddere summarie pro pensione domus exigenda, & ipsos stipendiarios & forēses pignorari facere, & cogere ad solutionem omnibus alij remedijs sicut coguntur ciues ciuitatis Paduæ inter se. Et nihilominus massarij seu camerarij dominij & communis debeant pro pensione debita solutionem facere dominis domorum de stipendijs & prouisionibus ipsorum stipendiariorum & forensium in terminis, de quibus erunt in concordia. Et si non essent de termino vel pensione in concordia, intelligatur pēsio prout domus solita est locari. Et si non appareat de solita pensione, intelligatur pro pēsione, pro qua potuit uel potuisset locari arbitrio iudicis de medio. Et termini soluti intelligantur esse in festiuitatibus paschæ resurrectionis domini nostri Iesu Christi, & sanctæ Iustinæ secundum cōsuetudinem ciuitatis Paduæ, & ad prædicta facienda cogantur ipsi massarij, seu camerarij per dominū potestatem, vel capitaneū Paduæ. Et uirtute sacramēti sui regiminis in principio prēstiti dominus potestas, & dominus capitaneus obseruent, & obseruari faciant hoc statutū inquantū non veniant cōtra voluntatē & intentionē dominii, & inquantū ipse Potestas vel Capitaneus possit. Idem seruetur in damnis datis per stipendiarios, & forenses in domibus, vel possessionibus ciuium, & non possint per stipēdiarios, & forenses tales opponi exceptiones bāni ciuilium causarum.

CONtenta omnia, & singula in statuto præcedenti habeant locum etiam in ciuibus ciuitatis

Paduæ,

Paduæ , & etiam in diſtrictualibus Paduani diſtrictus, & ſummarie pignorentur, & cogantur ad ſolutionem penſionum debitarũ in terminis paſchæ reſurrectionis domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſanctæ Iuſtinæ ſecundum conſuetudinem ciuitatis Paduæ, & probatio etiam per teſtes ſolutio de affictibus, & redditibus poſſit.

Poteſtate D. Vberto de Cancellerijs de Piſtorio 1316.

IVdex quilibet ordinarius ſecundum formam ſtatutorum communis Paduę poſſit ad petitionem cuiuſcunq; petentis etiam nulla citatione pręmiſſa committere pignorationem, interdictum, & ſequeſtrum pro mercede non ſoluta, & pro affictibus & redditibus non ſolutis in bonis cuiuſcunque, qui alienam domum vel terram conduxiſſet, ſeu laboraſſet, delato tamen ſacramento petenti, & ipſo iurante, quod debet habere ex cauſa mutui, mercedis ſeu affictus, vel redditus non ſoluti domus, vel poſſeſſionis talis, exprimendo locum, vbi domus, vel poſſeſſio ſita eſt, & ſuperinde procedatur ad cõſignationem & ſubaſtationem pignoris ſeu tenutæ ſecundum formam ſtatutorum infra, ſub rubrica de Pignoribus, & tenutis.

Poteſtate Domino Vberto de Cancellerijs 1316.

DE cætero nullus iudex, vel officialis committere poſſit ad petitionem alicuius perſonæ interdictum, vel ſequeſtrum, pignorationem, vel intromiſsionem aliquam in bonis aliquibus alicuius

perſonæ

personæ,quā iudex sciat, aut præsumat euidenter, ꝙ illa persona, cōtra quā petitur, sit idonea ad soluendum debitum, vel possideat bona immobilia in Padua vel Paduano districtu sufficientia ad debitū illud, nisi illa persona fuerit in cōtumacia legitime constituta, vel nisi pro affictibus & redditibus non solutis secūdum formam statutorum suprascriptorum. Si vero iudex non cognoscit personam illam, contra quam petitur, tunc iudex ipse in casibus tantum a iure ciuili premissis committere possit interdictum, & sequestrum etiam nulla citatione præmissa in bonis cuiuscunque persone, contra quam petitur, delato tamen prius parti petenti sacramento, & ipsa corporaliter iurante, quod ille, contra quē petitur, est debitor suus in tāta quantitate. Et quod est persona suspecta & fugitiua, & nō possidet bona immobilia sufficientia ad debitum suum in ciuitate Paduæ, vel districtu, & quod non videt, quod aliter non possit sibi satisfieri de suo debito, nisi per viam interdicti, vel sequestri. Quo sacramento sic delato, & in actis scripto iudex committere possit cedulam ad interdicendum, vel sequestrandum vt petitur, & ipsam cedulam manu sua subscribat ipse iudex. Possit tamen dominus potestas eiusque vicarius quandocunque, & contra quemcunque, & in quocunque casu, & tam in causa appellationis, q̄ in causa principali cōmittere interdictum, sequestrum, pignoratus, ex officio suo, & ad petitionem cuiuscunque personæ secundum quod sibi melius, & vtilius videbitur. Et

in

in omnibus & singulis casibus suprascriptis res sequestratæ, interdictæ, vel intromissæ non possint sequestrari, interdici, vel intromitti ad petitionem alicuius personę, nec de commissione alterius iudicis, nisi de commissione illius iudicis, qui primum interdictum, sequestrum, vel intromissionem cõmisit, nisi prius reuocato sequestro, interdicto, vel intromissione fuerit restitutio facta illi, contra quẽ prima cõmissio facta erat. Et si aliter factum fuerit per alium iudicem siue sciat, siue ignoret, factũ non valeat, nec teneat ipso iure. Et teneatur ille, ad cuius petitionem sequestrum, vel interdictum factum erit, facere infra decẽ dies à die facti sequestri, vel interdicti facere citari legitime illum, contra quẽ prædicta fecit fieri, quod si vult vti aliquo iure in re illa sequestrata, vel interdicta, & contradicere, ne tenuta detur ipsi actori, debeat cõparere vsque ad tertiam diem coram tali iudice, de cuius commissione factum est sequestrum, & pars ad cuius petitionem factum est sequestrum, vel interdictum, si (vt dictum est) citationem ipsam fieri non fecerit, puniatur in solidis centum paruorum, nisi ille, contra quem hæc commissa & facta sint, præueniat faciendo eum citari, quo casu ad dictam pœnam non teneatur. Et possit quilibet præco etiam incontinenti facto sequestro, siue interdicto etiam sine aliqua citatione, vel cõmissione iudicis facere citationem ipsam ad petitionem eius, qui sequestrum, seu interdictum fieri fecit. Et si ille, contra quem factum est interdictum, vel se-

questrum

questrum veniet ad iudicium, & citato aduersario, præstet idoneam fideiussionem de iudicio sisti, & de restituendis expensis, & de rebus sequestratis, & interdictis saluandis, & non baratandis, tunc siue præsente siue absente aduersario iudex de medio cum notario suo accepta securitate prædicta nomine & vicæ partis aduersæ sine aliquibus expensis reuocet statim interdictum & sequestrum, saluo iure partis aduersæ, & salua condemnatione expensarum tempore sentētię, & procedatur in causa. Si autem ille, contra quem factum est interdictum, vel sequestrum, veniat ad iudicium, & citato aduersario noluerit securitatem (vt dictū est), sed firmo manente sequestro, seu interdicto paratus est probare, quòd iniuste factum est sequestrum seu interdictum, ex eo quod est persona idonea, & sufficiens ad soluendum debitum, vel quòd possidet bona immobilia ad sufficientiam in Padua, vel Paduano districtu, vel quòd non est debitor; vel aliam exceptionem opponat, vel habeat quominus sequestrum, vel interdictum valeat, vel teneat, tunc iudex locet sibi terminum arbitrio suo secundum qualitatem facti ad probandum prædicta, & si non probauerit prædicta, sibi imputetur. Si vero probauerit prædicta, vel aliquod prædictorum, tunc incontinēti summarie, & sine strepitu & figura iudicij cognito de prædictis iudex de medio interloquendo pronunciet illud sequestrū, seu interdictum reuocandum esse, & illud reuocet sine aliquibus expensis. Et ipsa reuocatione facta con-

demnet

aduersarium ipsi debitori in solidis viginti paruorum,& in expensis, damno, & interesse, eo quia decepit iudicem, & male iurauit. Si autem ille, de cuius bonis factum est sequestrum, vel interdictum, non comparuerit, vel si comparuerit, & legitime non probauit de iure suo, tunc ille, ad cuius petitionem factum est sequestrum, seu interdictum, teneatur, & debeat infra vnum mensem à die facti sequestri, seu interdicti computandum facere accipi & leuari pignus, sequestrum, seu innterdictũ de custodia & manu eius, penes quem positum est & consignatum est, alioquin mense elapso, sequestrũ, seu interdictum illud habeatur pro non facto, nisi fecerit id, quod potuit vt in termino leuaretur.

SI sub prætextu bonorum alicuius de bonis alterius, seu per alium possessis, vel alteri obligatis accepta dicatur tenuta, vel sequestrum, interdictũ, pignoratio, aut intromissio, & missio ex aliqua causa quicunque sit in possessione facta, & ille qui dicit bona in tenutam accepta, seu sequestrata, intromissa, interdicta, vel etiam in quibus facta erit missio sua esse, vel sibi obligata, vel se habere meliora & potiora iura, seu per eum possessa adiuerit iudicem, Iudex medius cognoscat de possessione, & etiam de potioritate iuris, seu etiam obligatione, si tertius comparens voluerit cognosci, vtrum possessio sit apud illum tertium, aut apud debitorem, siue eum, in cuius bonis facta est missio in possessionem, aut intromissio, aut etiam missio facta cum de possessorio solo tractetur, vel quis eorum: vide-

D licet

licet tertij comparētis,& illius ad cuius petitionē, vel fauorem facta sunt prædicta, habuerit potiora iura in proprietate, seu hypotheca rei, & terminū statuat secundum quod sibi visum fuerit, vtrique parti, infra quem terminum vtraque pars probet. Quo termino transacto si repererit possessionem illius rei fuisse apud illum tertium, vel ipsum habere meliora & potiora iura in proprietate, seu hypo theca, & obligatione ipsam possessionem restitui sibi faciat cum damno & expensis. Si vero apparuerit possessionem illius rei fuisse apud debitorē, seu illum, in cuius bona facta est missio, vel ipsum creditorē habere meliora, vel potiora iura in proprietate, seu obligatione quantum in præiudicium ipsius tertij, pronunciet pro eo, qui tenutam accepit, vel prædicta committi fecerit, & cōdemnet illum tertium ad restituendum expensas. Et prædicta omnia locum habeāt in tenutis iam acceptis, & accipiendis, in sequestris, & interdictis, pignoribus, intromissionibus. Et etiam in missionibus in possessionem, & super prædictis summarie in quolibet tempore iuridico, & non iuridico procedatur sine libelli oblatione, litis cōtestatione, & sine strepitu & figura iudicij, breuiter & de plano. Et prędicta locum habeant etiam facta confirmatione ex secundo decreto, vel venditione ad incantum si venerit tertius infra vnum annum post ipsam confirmationem, vel venditionem rei in tenutam acceptæ, sequestratæ, interdictæ, pignoratæ, vel intromissæ vel post factam missionem in pos-

sessionem

sessionem ex quacunq;causa factam. Elapso autem anno tertius comparens valeat vti iure communi, ita tamen quod inchoata lite elapsus anni nō præiudicet,nisi perierit instātia. Et quod possessio probari possit per colonos etiam partiarios, & per inquilinos in quolibet casu, extra etiam casus huius statuti ad hoc intelligantur coloni & inquilini filij vxoris & famuli colonorum & inquilinorum,dum tamen prædicta locū non habeant in ijs, qui fuerūt missi in possessionem bonorum,quæ possidebantur per defunctū tempore mortis suę secundum formā statuti,quod incipit. Si ad aliquem fuerit deuoluta hæreditas. Quòd si tertius comparens negaret defunctum possedisse tempore mortis, volēs ipse tertius comparēs eius interesse probare, & se vel aliū tempore mortis defuncti possidere & non defunctum,tunc in contradictorio iudicio hoc examinetur,& terminetur modo & forma prædicta.

Statutum vetus conditum anno 1236.

SI quis citatus fuerit ad iudicium, vel non citatus sponte venerit,& se debitorem confessus fuerit precipiatur,& detur ei terminus ad soluendum secundum quātitatem debiti. Si debitum erit à libris decē infra,detur sibi terminus arbitrio iudicis, minus tamen quindecim dierum. Si vero debitum fuerit à libris decem supra vsque ad libras viginti-quinque, habeat terminum quindecim dierum. Si autem debitum fuerit à libris vigintiquinque supra

quantumcunq;fuerit sũma,detur ei terminus vnius mensis,saluo si partes cõcordarent se de maiori vel minori termino, tunc iudex statuat terminum secundum partiũ voluntatem. Quæ præcepta præsentibus tribus testibus fieri possint etiam per notarium, & officialem palatij vel curiæ potestatis qualibet die & hora, dummodo non introducta in honorem Dei. Non possit tamen scriptura talium preceptorum fieri,nisi per notarium,& officialẽ ad discum, vbi factum erit præceptũ, & si facta fuerit per alios non valeat. Præcepta vero quæ secundũ formã huius statuti facta erunt, habeant vim sententiæ,& qui non soluerit infra terminũ sibi datũ, possit termino transacto forbanniri, & pignorari.

Potestate D. Ioanne Baduario 1258.

SEcundũ quod quis in aliquo instrumento,vel instrumentis se obligauerit, potestas, & quilibet iudex ex eo modo seruando formam pacti creditoribus facere teneatur indistincte,etiam si obligatio esset ad factum præcise, seruata tamen electione actorum,vt in executione possit consequi interesse inquantum non contradicerent alijs statutis. Et saluo statuto B. Antonij Confessoris super cessione bonorum. Cui statuto renunciari modo aliquo non possit, nec per pactum, vel iuramentum remitti modo aliquo, excepto quod nullus possit, licet ad hoc fuerit obligatus,nisi fuerit admonitus,vel citatus personaliter,vel ad domum,in qua habitat, vel

habitare

habitare consueuerat secundum formam statutorum communis Paduæ, vel nisi pro executione sententię quis forbanniretur. Saluo quod de affictibus & redditibus possit probari solutio, etiam per testes pacto aliquo in instrumentis apposito non obstãte. Et saluo quod aliquis secularis nõ possit se obligare per pactũ, quod supponatur, vel subijciatur iurisdictioni domini episcopi Paduę. Et hoc habeat locum solum in contractibus laicorum, & tabellio, qui subscripsit talem obligationem, incidat in pœnam librarum vigintiquinque paruorum. Et nihilominus non valeat contractus in ea parte.

QVicunque voluerit agere ex instrumento aliquo stipulatione vallato, & sentẽtia, vel præcepto iudiciali contra debitorem suum, vel contra eius hæredem, aut contra aliquam personam, quæ sibi ad dandum, soluendum, vel faciendum aliquid obligata sit, possit (si voluerit) hoc modo procedere, videlicet per hęc, vel similia verba. Primo faciat admoneri aut citari personaliter illum, quem velit conuenire, si commode potuerit inueniri in Padua, vel Paduano districtu, quod vsq; ad tertiã diem debeat sibi soluisse, dedisse, vel fecisse id, quod debet vigore instrumenti, sentẽtiæ, aut præceptorum vt erit, aut debeat comparere vsq; ad dictum terminũ coram tali iudice ad videndum, & audiendum talẽ creditorem suum producere iura sua, & procedere contra eum secũdum formam statutorum, & credatur relationi pręconis, si referat, quod personaliter ipsum citauerit, vel ꝙ ipsũ reperire non potuit

Et si personaliter non inuentus fuerit,& nõ fuerit citatus, & habitet in Padua, vel Paduano districtu, tunc cridetur bis & diuersis diebus ad domum habitationis suæ pręcipiendo,quod vsq;ad tertiam diem debeat soluere, vel comparere (vt dictum est) & non possit fieri secunda cridatio,nisi elapsis tribus diebus primæ cridationis. Et si reus ipse non haberet tempore citationis habitationem in Padua, vel Paduano districtu, tunc alta voce præconis, vicinis si erunt audientibus, cridetur bis ad domum, in qua consueuerat habitare tempore contractus,vel sententiæ, pręcipiendo,quod talis debeat vsque ad octo dies soluisse, vel comparuisse, vt dictum est. Et hoc casu non debeat fieri secunda cridatio, nisi elapsis octo diebus primæ cridationis, ita vt terminus soluendi, vel comparendi sit octo dierum pro qualibet cridatione. Et possit præco quilibet communis Paduæ facere dictas citationes, & cridas ad petitionem cuiuslibet requirentis sine aliqua iudicis cõmissione.Et quantum ad hoc intelligatur,& præsumatur præco habere commissionem à iudice citandi personaliter, vel cridandi ad domum (vt dictum est) & valeat hoc casu citatio,vel cridatio talis perinde, ac si de iudicis commissione facta esset. Si autem reus neque tempore contractus, vel sententiæ, neque tempore citationis habuerit habitationem in ciuitate Paduæ, vel districtu,tunc de commissione iudicis cridetur super vna schalarum palatij communis Paduæ,in quo ius redditur,quod talis debeat vs-

que

que ad octo dies soluisse, vel cõparuisse coram tali iudice (vt dictum est) & figatur in vna dicti palatij portarum vnum breue, in quo dicta citatio contineatur. Et finito dicto termino dictæ primæ cridationis, iterum fiat secunda cridatio similis tenoris, & figatur simile breue locis & formis supradictis. Et citato personaliter reo, seu factis cridationibus (vt dictum est) debeat actor producere coram iudice in citatione nominato instrumentum, seu instrumenta sua, cuius, seu quorum vigore petere intẽdit. Et sufficiat, quod actor corã iudice dicat, quod quando instrumentum, vel instrumenta sua producit, quod petit per iudicem condemnari, & condemnatum cogi talem ad soluendum, dandum, vel faciendum, quod debet vigore talis instrumenti, quod producit. Et in casu aliquo huius statuti non sit necessaria aliqua alia libelli, seu productio petitionis, vel expositio, teneatur tamen actor declarare, si petit totum, vel partem debiti in instrumento declarati, & non requiratur aliqua litis contestatio sed summarie breuiter, & de plano procedatur & fiat superinde. Et si reus non contradixerit, tunc elapso termino citationis, seu cridationum, cõmittatur & fiat cedula ad accipiendum per vim tenutam de bonis talis citati, vel cridati non contradicentis, seu ad forbanniendum ipsum, si actor viam forbãnitionis elegerit, & nõ possit tenuta reuocari vel de libro forbannitionũ cancelari, nisi suo satisfecerit creditori, aut nisi legitime doceat se indebite pignoratũ, seu forbãnitũ esse, probãdo solutionẽ

vel pactum factum de non petēdo, vel aliam conditionem, vel modificationem, aut falsitatem, vel nullitatē instrumenti, vel sententiæ, vel præcepti. Vel probando aliquid aliud, propter quod nō teneatur, soluere, dare, vel facere illud, quod ab eo petitur. Possit etiam dicta tenuta reuocari, & de libro forbannitorum cancelari, si reus contradicere & probare prædicta volens deponat rem, vel pecuniam petitam penes idoneam personam. Quo casu deposita remoueri possit nullo modo vsq; ad causæ decisionem. Et quandocunque secundū formam huius statuti ageretur, non sit necessaria cedula aliqua ad petendum tenutam, vel pignus voluntarie, sed possit præco, cui cedula, seu commissio data fuerit (si actori placuerit) ire cum baroderiis ad domum habitationis rei, & perinde pignus seu tenutam de bonis rei accipere, & superinde procedi posſit secundum formam iuris, & statutorum communis Paduæ loquentium de prædictis.

SI autem reus per se, vel per procuratorem legitimum comparuerit ante, vel post tenutam acceptam, & cōtradicere velit, tunc & casu isto reus ipse computando à die vltimo exclusiue termini, vt supra, in admonitione, seu citatione, vel crida vltima assignati habeat ipso iure terminū ad probandum decem dierum, & probatum habendum solutionem, compensationem, & satisfactionem, & omnem aliam, seu alias exceptiones dilatorias, & procuratorias, & cuiuscunque alterius generis exceptiones, & defensiones suas ad ostendendum

omnia,

omnia, & quæcunque iura ſua, & quicquid vult ex quo, vel quibus non tenetur ſoluere, dare, vel facere id, quod petitur. Et ſi voluerit reus copiã inſtrumenti, ſeu inſtrumentorum in iudicio productorum, detur ſibi ſine die & conſule, videlicet ſine anno, inditione, menſe, & die. Et ſi reus in dicto termino x. dierum dixerit & iurauerit ſe fuiſſe impeditum in prima dilatione, & nõ potuiſſe probare de iure ſuo, & ſe hoc non facere animo calumniandi, ſeu dilatandi iudicium, tunc & hoc caſu ſi deponet rem, vel pecuniam petitam cum pęna & expenſis legitimis penes aliquam perſonam idoneã, habeat ipſo iure facta depoſitione & non aliter (vt dictum eſt) ſecundum dilationem, & terminum viginti dierum ad probandum, & probatum habendum quicquid voluerit. Et ſi reo ſecundam dilationem non petente actor voluerit finita prima dilatione habere ſecundam dilationem, tunc detur ſibi terminus 20. dierum & minus arbitrio ſuo. Et hoc caſu non teneatur petere actor ſecundum dilationem, quandocunq; pendẽte prima dilatione. Et quocũque caſu dicti termini ſint, & eſſe intelligantur communes, ita quod tam actor, quã reus poſſit de iure ſuo probare, ac teſtes, & poſitiones, ſeu capitula, & alia quæcunque facienda ad probationẽ iurium ſuorum producere, & teneatur reus reſpõdere poſitionibus, & capitulis rei, nullis obſtantibus pactis, obligationibus in inſtrumentis appoſitis. Saluo, quod actor non teneatur reſpondere poſitioni exceptionis nõ numeratæ pecuniæ, ſi in in-

ſtrumento

ſtrumento producto non cõtinetur, quod dictæ exceptioni renũciatũ eſt, & excepta poſitione ceſsionis, quæ diceretur fuiſſe ſimulata, vel quod commodum non ſpectaret ad agentem. Et ſic debitor, ſiue reus obligatus in inſtrumento poſſit probare ſolutionem compenſationis, & quodlibet aliud pactũ, de quo inter partes conuenit per duos teſtes idoneos, & omni exceptione maiores, non obſtãte aliquibus appoſitis in inſtrumento per actorẽ producto. Quibus terminis trãſactis proceſſus ſit ipſo iure publicatus, ita quod iudex medius non debeat, neq; poſſit aliũ terminũ partibus, vel alicui earũ locare, niſi prima die, vel ſequenti poſt diem publicationis ad probandũ exceptionẽ in facto cõtra teſtes productos per partem aduerſam, vel eorum dicta. Quo caſu iudex poſsit locare terminum arbitrio ſuo ad prædicta probandũ, & probatũ habendum, dummodo terminus iſte non excedat quinq; dies vtiles, ita quod poſtmodũ iudex per ſe, ſi partes voluerit, vel de cõſilio ſapientis reũ abſoluet, vel cõdemnet, ſeu pronunciet ſententiã, vel præceptũ mereri executionẽ, vel non mereri, aut aliter vt de iure debet ac ſi facta eſſet libelli oblatio, & litis conteſtatio. Et in caſu huius ſtatuti duret inſtantia quatuor menſes computãdos à die productionis, ſeu expoſitæ petitionis. Et terminus inſtantiæ non currat in caſu huius ſtatuti poſtquam quæſtio fuerit cõmiſſa conſilio ſapientis, neq; currat in aliis caſibus, in quibus curſus inſtantiæ in cauſis ſummariis impedit, ſed pendeat inſtantia in omnibus, & per omnia, vt per ſtatuta

de

de prædictis loquentia ordinatum est, & habeant locum quæcunque alia statuta communis Paduæ etiam in causis, quæ secundū formam huius statuti agitarentur vbicunque per statutū istud prouisum non esset. Et in dictis terminis instantiæ non computetur etiam tempus quo cessatum fuisset per aliquem sapientem dari consilium suum super aliqua interlocutoria, quæ habeat differre processum.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

DOminus potestas, seu vicarius suus possit ad petitionem cuiuslibet ciuis, & habitatoris Paduę facere pro debitis in ciuitate Paduæ contractis detineri quandocunque debitorem in aliquo casu, seu loco non subiecto in ciuilibus iurisdictioni domini potestatis Paduę repertum in ciuitate Paduę, dumtamen extet casus detentionis secundū formā statutorū communis Paduæ. Et similiter possit cōmittere pro debitis in ciuitate Paduæ contractis, liquidis sequestrum, seu interdictum in bonis talis debitoris repertis in ciuitate Paduæ. Et conuerso quilibet potestas camarorum Paduani districtus habens plenam cognitionem in ciuilibus possit facere contra quemcunq; ciuem, & habitatorem Paduæ pro debitis in eo loco contractis & liquidis.

Statutum conditum 1420.

CReditores, & habentes causam ab eis habeant electionem conueniendi debitorem suum, vel possessores pignoris, seu hypothecæ, cum pos-

sessoꝝ

ſeſſor habeat cauſam ab ipſo debitore mediate, vel immediate. Et ſi volunt cõuenire poſſeſſorem, petant iudicem coram quo vult ipſum conuenire, quod eidẽ tertio poſſeſſori aſſignetur terminus vnius menſis, & in omnibus & per omnia procedi poſſit ſecundum formam ſtatuti, quod incipit cum excuſſio bonorum, & in caſu quo agatur contra poſſeſſorem cauſam habentem a debitore mediate vel immediate ſufficiat creditori probare debitorẽ ſuum bona fide poſſediſſe tempore obligationis, vel poſt ſuo nomine rem, quam per hypotecariam auocare intendit. Si vero fuerit extraneus poſſeſſor non habens cauſam à debitore, ſufficiat creditori probare debitorem ſuum nomine ſuo poſſediſſe tempore obligationis, & ante vel poſt per x. annos continue, & ſit pręciſum.

Poteſtate D. Vberto de Cancellerijs de Piſtorio 1316

SI quis conuentus reali actione, vel quacunque perſonali dixerit ſe poſsidere rem aliquam, vel re vera tempore conuentionis, vel controuerſiæ motæ poſſederit, vel tenuerit, etiamſi non reſponderit ſe poſsidere, præſumatur tempore libelli, ſeu conuentionis, & tempore conteſtationis, & ſentẽtiæ, & excuſationis & toto medio tempore quantum in ſui præiudicium poſsidere nõ omiſſa debiti repetẽdi inſtantia ſi actor cõtinuato tẽpore prout potuerit proſequutus fuerit quęſtionẽ, ita quod cõueniri poſsit, & executio etiam fieri poſsit contra ipſum perinde, ac ſi poſsideret. Et ſi alius tertius

medio

medio tempore factus fuerit possessor; præsumatur in fraudem actoris facta alienatio in præiudicium conuenti, & perinde ac si in eodem iudicio, & instantia posſit contra ipſum conuentum primum procedi, ac si non posſideret, niſi conuentus oſtenderit per manifeſtas probationes ſe per vim expulſum de poſſeſsione à tertio poſſeſſore, & de expulſione, & inuaſione ipſa detulerit coram domino Poteſtate, vel iudice maleficiorũ, vel ſaltim denunciauerit inſtanter proſequendo cauſam violentiæ, vel niſi per iudicem auocata fuerit ab eo poſſeſsio, non tamen per ſuam confeſsionem, vel contumaciam, ſed per probationem teſtium, vel inſtrumentorum conuento legitime denunciante, & notum faciente ei, qui conuenit de controuerſia, quæ ei ab alio fit. Poſsitque executio fieri etiam cõtra tertiũ poſſeſſorem qualitercunque cęperit medio tempore poſsidere, & eiſdem actis perinde, & ſic ſummarie quemadmodum fieret contra cõuentum in rebus ipſius cõuenti poſſeſsis, & detentis per ipsũ tertium poſſeſſorem, niſi tertius poſſeſſor oſtenderit per legitimas probationes ſe habere potiora iura in ipſis rebus tempore, quo cœpit poſsidere, & ante cogatur, quàm tertius poſſeſſor, qui cœpit poſsidere poſt reumconuentum, vel poſt depoſitum de eo querimoniã, ſeu controuerſiam motam dicere, & reſpondere in iure, quando incepit titulũ ſuæ poſseſsionis oſtẽdere. Et ſi auocata fuerit poſſeſsio a tertio poſſeſſore, ſaluũ ſit propter euictionem legitime factam, niſi expreſſe remiſſa foret.

Et

Et omnia prædicta locum habeant, si aliquis citatus fuerit, vel requisitus quod de bonis expeditis illius, quẽ voluit conuenire actione hypothecaria teneat occasione alicuius rei, declarando rẽ, quam auocare intendit, dummodo infra mensem porrigat libellum de hypothecaria post prędictam citationem, vel requisitionem, aut post pronunciationem excussionis bonorum ad hoc vt citatus habeatur pro possessore, mense vero elapso incumbat onus probandi agenti ipsum fore possessorem.

Statutum conditum 1420.

CVm excussio bonorum debitoris, vel personæ faciẽda erit, fiat summaria breuis, sine strepitu & figura iudicij, & sine libello, ac sine cõtestatione litis citato legitime possessore, vel eo, qui conueniendus est. Et fiat excussio hoc modo videlicet, quod facta fide de debito creditor faciat citare tertium possessorem, & petat coram iudice, quod illi tertio possessori assignetur terminus vnius mensis ad inueniendũ, & consignandum de bonis expeditis talis debitoris sui vsque ad summam debiti sui. Et intelligatur ex hoc legitima facta excussio esse. Et si tertius possessor in dicto termino non consignauerit creditori de bonis debitoris ad sufficientiam debiti, possit elapso termino non facta consignatione sufficienti bonorum, creditor contra ipsum tertium possessorem agere de hypothecaria. Nec alia solemnitas necessaria sit, & habeatur pro possessore ille, cui terminus locatus est, si tempore lo-

cationis termini possidebat, ita tamen, quod sit securus, si docuerit etiam fuisse positā ad discum vēditionū, & secundum formam statuti venditionū; seruatis solemnitatibus processum & pronunciatū fuisse, saluo alteri iure, quod habet. Et quod excussio bonorum facta contra vnū ex possessoribus bonorum debitoris faciat ius contra quoslibet alios detinentes bona obligata, ita tamen, quod illi alij, quandocunq; dare possint de bonis expeditis ipsi creditori.

Statutum conditum 1410.

SI qua mulier vxorata vult accipere tenutā, vel possessionem bonorum mariti sui durante, vel soluto matrimonio, seu habere solutione pro dote sua, fiat sibi ius summarijssime, & de plano, sine strepitu, & figura iudicii, siue contradictorem habeat, siue nullus sit, qui contradicat. Et si probauerit maritum suum esse in tali casu, quo possit & debeat fieri solutio dotis, vel aliter extare casum dotis exigendæ, tunc iudex pronunciet & ponat eam in possessionem tot bonorum mariti sui, quanta sit eius dos, & parum plus. Et debeant æstimari talia bona per duos bonos homines, & in aliis bonis mulieri ipsa se intromittere non debeat. Quilibet tamen creditor mariti habens ius in dictis bonis, seu alius cuius intersit, si voluerit, possit recuperare dicta bona, dumtamen offerat, & soluat mulieri dotem suam, seu partem illam dotis, pro qua sibi assignata erunt. Et hoc habeat

locum,

locum,si comparuerit infra annum, computãdum a die, quo per iudicem bona erunt mulieri soluto matrimonio assignata. Si autem constante matrimonio talis assignatio mulieri facta esset, tunc quandocunque durante matrimonio, vel eo dissoluto vsque ad annum reuocatio bonorum (vt dictum est)possit fieri, & quando aliqua mulier constante matrimonio vult sibi satisfieri in bonis mobilibus mariti sui, vel ea defendere contra debitores mariti dicendo quod habet meliora & potiora iura in dictis bonis vigore dotium suarum, tunc debeant dicta bona æstimari per vnum, vel duos homines in talibus expertos deputandos per dominũ potestatẽ,& assignentur mulieri si habuerit meliora & potiora iura pro eo pretio, pro quo fuerunt æstimata. Et hoc casu debeat instrumentum dotis ipsius mulieris de mandato domini potestatis incidi, & annullari. Et si bona ipsa mobilia dictæ mulieri assignata non caperent integram solutionem dotis,tunc de mandato domini potestatis per vnum ex notariis sigilli fiat vnum instrumentum ipsi mulieri, in quo in effectu contineatur qualiter data sunt ei in solutis talia bona ęstimata, declarãdo factũ taliter,quod intelligi semper possit,nominando in dicto instrumento resti instrumentum dotale, & tempore, quo factum fuit illud instrumentum dotis, & nomen notarii,qui illud scripsit, & qualiter ipsa mulier restat habere tantam quantitatem pro dotibus suis. Et hoc casu mulier ipsa vigore illius instrumenti facti sibi de mandato po-

testatis per notarium sigilli habeat idem ius, & priuilegium, quod habuit ex primo instrumento dotis suæ pro ea quantitate, quam restat habere. Et in aliquo casu huius statuti non præiudicetur statuto loquenti de vxoribus fugitiuorum, posito sub rubrica de Fugitiuis.

SI ad aliquem deuoluta, vel transmissa, seu translata fuerit hæreditas siue ex testamẽto, siue per fideicommissum etiam restitutione reali, vel verbali nondum fideicommisso facta, siue ex vltima aliqua voluntate, vel ab intestato, vel ex forma statutorum communis Paduæ, vel aliquo alio modo, ille, ad quem deuoluta, trãsmissa, tradita, vel translata fuerit hæreditas, mittatur in possessionem earum rerum, quas defunctus habuerit, vel tenuerit, & possederit, vel visus fuit habere, tenere, & possidere tempore mortis. Et missio prædicta fieri debeat summarie sine controuersia, questione, querela, de plano, sine strepitu, & figura iudicii.

Et possessio, vel quasi possessio, quæ erat apud defunctum, intelligatur incontinenti, & immediate eo defuncto transmissa ad hæredem, siue ad illũ, ad quem deuoluta, transmissa, tradita, vel translata fuerit hęreditas eius, eo quod intelligatur apprehendisse ipsam possessionẽ, ita tamẽ, quod propter hoc non intelligatur se intromisisse hæreditati, vel eam adiuisse. Ita tamẽ quod ante ipsam missionẽ citari debeant personaliter, si reperiri possunt, detinentes siue possidentes ipsa bona, & si reperiri nõ poterunt, cridari debeant ad domum suarum habi-

tationum,ſi habuerint habitationes in ciuitate Paduæ vel diſtrictu,& ſi non haberēt habitationes(vt ſupra dictum eſt)citari debeant ſecundum formam primi ſtatuti huius rubricæ,quod incipit.Si quis de aliquo querimoniam deponere voluerit.Et nihilominus citari debeant tenētes poſſeſſiones ad laborandū ab eis,ſeu tenētes domos ab eis,quod debeāt comparere corā tali iudice, ſi contradicere volūt, ne talis miſſio fiat,& quod certificēt,ſi volūt illos, à quibus poſſeſſiones laborāt, vel domos tenēt aut habitant,ſi putant ſua intereſſe contradicere dictę miſſioni.Et ſi apparuerit aliqua perſona oſtendens inſtrumentum aliquod, in quo cōtineatur perſonā illā,de cuius hæreditate agitur, donationē, vel cōtractum aliquē feciſſe alicui perſonæ de re aliqua, vel de bonis ſuis, vel de aliqua parte bonorū, illud inſtrumentū non credatur verum,& vires non habeat,etiamſi in inſtrumento contineatur,quod vēdens,vel alienans conſtituerit ſe precario nomine poſſidere, vel aliquo alio modo tradiderit poſſeſſionē. Et hoc in caſu miſſionis petitæ ex forma huius ſtatuti,niſi fuerit oſtenſum,& probatū,quod viuēte illo,de cuius hęreditate agitur,illud inſtrumētum fuerit legitime inſinuatum ſecūdum formam ſtatutorū,eo,de cuius hæreditate agitur, poſſidēte nomine ſuo, ac etiam manente in poſſeſſione ſuo nomine vſq;ad tempus ſuæ mortis. Et intelligatur de poſſeſſione defuncti probare, etiam ſi probetur defunctum fructus præcedētes tēpore mortis ſuæ collegiſſe,vel colligi feciſſe ſuo nomine,& eas poſ

ſeſſiones

sessiones laborasse, vt laborari fecisse post fructus perceptos. Et quod missio prædicta peti non possit vigore, vel ex beneficio prȩsẽtis statuti elapso decennio à tempore, quo competere cȩpit ius petẽdi dictam missionem, saluo sibi iure in proprietate.

Et si mittendus foret minor pubertate per totum tempus decennij, tutor suus, qui fuerit negligẽs in petendo, vel obtinendo missionem, teneatur eidẽ ad interesse suum, reseruato ipsi minori omni iure sibi competenti etiam in possessione ex forma, & vigore huius communis. Et habeant locum prædicta in præsentibus, præteritis, & futuris.

Statutum conditum 1420.

IN omni casu, vbi opponatur officiali, vel ipse sibi opponet, quod non possit esse officialis, vel quod sit electus contra formam iuris, vel statutorũ communis, vel quod de iure esse nõ possit, vel quod ad munera & honores vocari quis non debuerit, vel non potuerit, vel quod vocatio vel electio non teneat, vel sit iniusta, vel nulla, fiat summaria cognitio breuis sine strepitu & figura iudicij, & sine dilatione & præceleriter expediatur, saluo iure appellandi post sententiam, si victo competit. Et possint fieri oppositiones in prædictis & per viam exceptionis, & per modum agendi, & inquirendi quatenus patitur forma iuris, & sit præcisum.

Potestate D. Belenzino de Capignano 1302.

QVicũq; in aliquo statuto reperitur quod procedatur sũmarie, vel de plano, vel aliquid simile

verbum, debeat & possit procedi breuiter & summarie, vel de plano sine strepitu, & figura iudicij etiam diebus feriatis non introductis in honorem Dei, nisi per alia statuta prouisum aliter esset.

SVper omnibus quæstionibus regularum, damnorum datorum in villis, socedarum, & represaliarum, de datiis, & factis villarum, de saltuarijs, & libellarijs agricolis, de colonis & inquilinis, de villanis licentiandis, de vindemia & vua, & in omnibus causis mercatorum ac pauperum, & miserabilium personarũ, & de operibus & mercede quolibet tempore summarie & de plano, & breuiter cognoscatur, & terminetur, & sit præcisum, saluis etiam aliis statutis, in quibus continetur, quod quolibet tempore summarie procedatur.

Potestate Domino Simone de Lupis 1376.

SI qua persona debuerit facere aliquod ędificiũ, & non fecerit prout debuerit, procedatur summarie sine strepitu & figura iudicii, & absq; libello, sed facta querimonia apud acta, & eidem facta responsione, statim, si placuerit illi, cuius est ædificiũ faciendum, assumatur vnus, vel duo pro parte, & iudex medius det tertium vel quartum qui considerent damnum & interesse illi, cuius est ædificium faciendum. Et secundum quod maior pars eorum tassauerit, sic per iudicem terminetur. Et nihilominus ille, qui non fecerit ædificium, prout debuerit, puniatur per iudicem absque alia condemnatione, & processu in libris decem paruorum, si

ædificium

ædificium erit æstimatum ad summam librarum quinquaginta vel abinde infra. Si vero ædificium erit æstimatum maioris librarum quinquaginta, tunc puniatur in libris 25. paruorum.

Statutum conditum 1420.

QVælibet causa ciuilis, quæ summam vel valorem librarum centũ non excedat, sit & intelligatur esse sũmaria, & in ea neq; libellus, neq; litis cõtestatio, neq; alia iuris solẽnitas exigatur, sed reiectis oppositionib. & allegationibus frustratorijs, & cauillationibus, calũniosis quibuscunq; in ea procedatur summarie, & de plano, breuiter sine strepitu & figura iudicij, sola, pura, & mera veritate inspecta, & habeant partes dilationes, ac duret instãtia, secundum quantitatem, seu valorem rei, de qua orta est quæstio, videlicet. Si quæstio fuerit a libris quinquaginta supra exclusiue quantacunque fuerit summa vsque ad libras centum inclusiue, duret instantia quatuor menses tantummodo & non vltra, numerando a die illa qua petitio producta erit. Et facta legitimatione personarum sufficiat, quod simpliciter producatur qualisqualis petitio, & pars aduersa si voluerit copiã petitionis, faciat illã sibi fieri expensis suis, & habeat terminum trium dierum ad respondendum. Quam responsionem possit facere etiam verbo si voluerit tãtum illam scribi in actis notarij de medio. Et in omnibus & singulis causis, in quibus summarie proceditur, possit ea die vel sequẽti iuridica, peti, quod exceptio-

nes decidantur, & tunc decidi debeant infra tertiã diem postquã decidi petitum est, & si nõ fuerint decisæ, vel si non fuerit petitum eas decidi, tunc intelligantur reseruatæ tempore diffinitiuæ sententiæ. Et facta vel nõ facta respõsione termino prædicto elapso, habeant partes absque mora terminũ decẽ dierum ad producẽdum quicquid voluerint ad probationem iuris pro prima dilatione, qua elapsa, si vtraq; pars vel altera earum finita prima dilatione infra tertiam diem petierit secundam dilationẽ, & iurauerit se non animo calũniandi petere, & fuisse impeditum in prima dilatione, habeant pro secunda dilatione terminum quinq; dierum ad probandum quicquid volunt; & inde nullus terminus ad probandum sibi detur, nisi quantum de voluntate vtriusq; partis esset. Quo casu possit iudex locare tertiam dilationem quinque dierum vel minus vti partes volent, posit tamen vtraque pars facere examinari testes suos, qui in termino iurassẽt, infra terminum arbitrio iudicis dandum. Finitis autem terminis prædictis intelligatur esse, & ipso iure sit processus publicatus Et habeãt terminum partes trium dierum ad habendam copiam processus, & opponendum quicquid volunt. Et iudex assignet terminum partibus arbitrio suo ad probandum ea, quæ opposita fuerunt. Quibus terminis elapsis intelligatur esse, & sit ipso iure conclusum in causa, saluo si exciperetur contra testes vel instrumenta de falso, quo casu procedatur contra talem exceptionem secundum quod per alia statuta Paduæ in

hoc

hoc determinatum est. Et iudex medius secundum quod sibi de iure videbitur ex productis, & allegatis, si partes vel altera earum instar, teneatur infra terminum instantiæ ferre sententiam suam per se sine aliquo salario, vel de cõsilio sapientis, si vtraq; pars, vel altera earum patierit causam committi consilio sapientis, sub pœna declarata in statuto quod incipit. Si durante instantia.

Si vero quæstio erit de libris quinquaginta inclusiue abinde infra, tunc duret instantia mẽses duos tantum, & non vltra, computando à die qua petitio, seu querimonia producta, vel ore tenus exposita erit. Et sufficiat tunc si petitio sit scripta in actis notarij de medio, dummodo contineat, quis petit, cui, & quid petitur, & causam, qua petitur in effectu. Et teneatur reus respondere ea die, vel sequenti, & exinde facta, vel non facta responsione partes habeant terminum ad probandum, & opponendum, vt proxime declaratum est, & minus arbitrio iudicis secundum qualitatem facti, & personarum. Elapsis vero terminis iudex de medio infra terminum instantiæ sub pœna prædicta teneatur, & debeat ad petitionem cuiuslibet partis requirentis ferre sententiam suam, & expedire sine aliquo salario per se, & sine consilio sapientis, nisi vtraque pars concorditer petat causam committi consilio sapientis.

Et si quæstio erit librarum 25. paruorum, vel ab inde infra, tunc neq; appellari, neq; sententia nulla dici possit, sed victus soluere debeat infra octo

dies id, in quo condemnatus fuerit, & expensas legitimas arbitrio iudicis taxandas. Si autem libras decē non excedet, tunc liceat iudici si voluerit minorare terminos ad probandum, & examinare testes palam, vel secrete, vt sibi placuerit, & præcipere absoluendo, vel condemnando, vt sibi de iure videbitur. Et sententiam siue suum processum exequi summarie per cedulam pignorationis, vel tenutæ sine aliqua citatione, vel admonitione, & absque eo, quod sententia, vel præceptum non sit redactum in publicem formam, neq; subscriptum manu iudicis. Et secundum formam pręsentis statuti procedatur, & intelligatur in quacunq; causa, quæ summaria sit, etiamsi quantitatem, seu valorem librarum centum excederet, nisi causa talis esset quod ex forma statutorum Paduæ haberet aliū specialem ordinem procedendi. Possit tamen iudex in causis excedentibus summam librarum centum suo arbitrio dilationes maiores assignare. Et per statutum istud non intelligatur derogatum alicui statuto, quod non solum in ordinarijs, verum etiam in summarijs loqueretur.

SI res vel quantitas petita fuerit tāta, quod in valore, vel summa excedat libras centū, tūc, & eo casu intelligatur, & sit causa ordinaria, & in ea procedatur iure ordinario secundum ordinem, & modum datum per statuta Paduæ in causis ordinarijs.

Saluo nisi causa talis esset, quæ ex forma statutorum Paduæ, vel iuris communis summaria esset, vel nisi haberet alium specialem ordinem proce-

dendi. Quibus casibus procedatur secundum quod per statuta paduæ de ipsis ordinatum est, etiamsi valorem, vel quantitatem librarũ centum excederet, In causis autem ordinarijs duret instantia sex menses tantum, computando à die qualis erit contestata, vel habita pro cõtestata. Et teneatur iudex medius, & successores eius cõtinuato tempore sub vinculo sacramenti sui, & sub pęna in statutis communis paduæ de his loquentibus declarare, diffinire, & terminare omnino causam ipsam infra dictũ tempus instantiæ per se si partes consenserint, vel de consilio sapientis non suspecti, & legitime assumpti, si partes, vel aliqua earum voluerit causam committi consilio sapientis.

Potestate D. Vberto de Cancellerijs 1316.

MInuendarum litiũ causa statuimus, ꝙ possit ciuilis, & criminalis quæstio eodem tempore intentari, & in eodẽ libello proponi, & in eadẽ instantia finiri, nisi essent quæstiones contrariæ.

Et quod causa filiationis, & matrimonij incidẽs vel emergens coram iudice sæculari possit coram eodem finiri, & terminari.

Potestate D. Vberto de Cancellerijs 1316.

DOminus potestas paduæ, & eius vicarius, & quilibet iudex suus, vel communis paduæ recipere debeant omnem petitionem, accusationem querimoniam, vel libellum ob quamcunq; causam eisdem, vel alicui eorum oblata, seu oblatum, vel

pro-

productum, & sine dubio secundum formam iuris, & statutorum communis paduæ terminare sub pœna librarum centum paruorum pro qualibet vice, qua contrafactum erit.

PArs cum porriget libellũ, vel exceptiones, vel replicationes, seu aliam scripturam non autẽticam, quam producere voluerit in iudicio ordinario, de qua facienda sit copia parti aduersæ, debeat ipsam scripturam habere, & producere duplicatã, & vnam earum dare iudici, quæ debeat scribi in actis, & apud notarium de medio remanere, alteram vero dare parti aduersæ præsenti, & petenti sibi editionem fieri, & auscultari debeat etiam scriptura data parti cum illa, quæ datur iudici, si voluerit pars, cui datur.

STatuimus, quod porrecto libello reo in causis, in quibus iure ordinario procedatur, iudex statim det eidem terminum trium dierum ad deliberandum, & opponendum omnes exceptiones, quæ impediunt litis contestationẽ in forma impediẽdi processus, & si infra dictum terminum nullas opposuerit exceptiones, tunc ipso iure lis habeatur pro legitime contestata. Si vero aliquis opposuerit, tunc si vtraque pars, vel actor voluerit tantum reum litẽ contestari, saluis exceptionibus tẽpore sententiæ ferendæ, tũnc lis habeatur pro cõtestata (vt dictum est) & tempore sententiæ omnes exceptiones per eum propositæ eidem saluæ sint, & audiantur partes super ipsis etiam si partes nihil dixerint de reseruatione ipsarum, & lis intel-

ligatur

ligatur cõteſtata. Et in omnib⁹ ſupradictis caſibus in quibus dictum eſt fieri conteſtationem ſaluis exceptionibus tempore ſententiæ, tã actor, quã reus in dictis exceptionibus, & ſuper ipſis audiatur tempore ſentẽtiæ, ac ſi non eſſet facta litis conteſtatio.

Si verò vtraque pars, vel actor voluerit tantum prius, quam lis conteſtetur, examinari exceptiones propoſitas, quod prætor debeat ea die, vel ſequẽti iuridica, qua exceptiones fuerint productæ, tunc iudex medius eas decidat infra tertiam vel quintã diem ſequentem abſque conſilio ſapientis, declarando vtrum exceptiones obſtent vel non, & quæ ipſarum obſtent ſub pœna librarum decem applicanda parti inſtanti, & percipere poſſit ſalarium à ſtatuto contentum vel conceſſum. Et ſi deciſæ non fuerint tranſactis quinque diebus, tũc habeatur lis pro legitime conteſtata. Si vero non fuerit petitũ eas decidi, tunc elapſo termino, quo peti poterant decipi, lis habeatur pro legitime conteſtata, & intelligantur omni caſu reſeruatæ temporæ deffinitiuæ ſententiæ vt dictum eſt. Et à pronunciatione facta ſuper dictis exceptionibus appellari non poſſit.

Contenta in ſtatuto ſuperiori, quod incipit. Statuimus, quod porrecto libello ſingula & contenta in ſtatutis Paduæ loquentibus de cauſis ordinariis non habeant locum, quando proceditur vigore debiti ſtipulatione vallari, neque habeant locum in ſummariijs, aut in cauſis, in quibus ſummarie vel aliter ex forma alicuius ſtatuti proceditur,

niſi

nisi quantum se extendant expresse etiam ad eas.

DEcernimus q̃ si quis in ciuili vel criminali causa proposuerit exceptionem, vel defensionē, quæ euidenter appareat frustatoria, præsumendo omnem exceptionem esse frustatoriam euidenter, quam opponens infra terminum a iudice statuendum non probauerit, si ei onus probandi incumbat, vel si aliter appareat ipsam esse malitiose oppositam arbitrio iudicis de medio, iudex medius condemnet opponentem sine aliquo processu in solidis viginti, & in pluribus vsque ad solidos quadraginta, vel sexaginta secundū personarum qualitatem & negotij, & compellat omnino condemnatum soluere. Et habeat locū maxime in exceptionibus, quæ opponuntur alicui, quod nō sit ciuis, quod non sustineat onera, & factiones, vel q̃ non soluat collectas, & munera, vel quia est filiusfamilias, vel q̃ est minor, vel quod nō est habitator, vel quod est forbānitus, vel excōmunicatus, vel quod non est tabellio, vel similibus. Et in omnibus aliis malitiose, vel frustratorie, vel per calūniā oppositis. Et si pars, quæ opposuerit exceptionē frustratoriā, condemnata fuerit pro dictis exceptionibus frustratoriis, & non soluerit infra tertiam diē à die condemnationis, vel in quo fuerit condemnata, non audiatur in iure. Et quicquid factum fuerit post dictam condemnationem, non valeat nec teneat in eius fauorem vsque quo non soluerit, & nihilominus compellatur remedijs prætorijs ad soluendum dictam condemnationem. Et in tantundem

dem cōdemnetur procurator, qui prædicta opposuerit. Et iudex, qui requisitus fuerit, non condemnauerit, condemnetur in libris tribus, quarum medietas istarum condemnationum applicetur parti, & altera medietas communi Paduę. Et teneatur iudex, qui condemnationem fecerit infra tertiam diem post condemnationem facere cognoscere, & poni facere prædictos condemnatos ad discum Aquile ad Officiū Buscheti in pęna solidorū centum paruorum pro quolibet, & qualibet vice. Et contenta in præsenti statuto habeant locum siue iure ordinario, siue summarie procedatur.

QVod quis sit tabellio vel iudex probari possit per ostensionē libri matriculæ iudicū vel notariorū, & simili modo probari possit quod fuerit officialis, iudex, vel notarius per ostēsionē libri officialiū. Probari etiā possit quem sustinere eo ipso quod scriptus appareat in libro æstimi, vel etiam custodiæ tantum.

Potestate eodem.

STatuimus, ꝙ aliqua persona, collegiū, vel vniuersitas per se, vel per alium modo aliquo in iudicio, vel foro aliqno sæculari, aut ecclesiastico nō possit opponere, vel allegare aliquam exceptionē, vel replicationem contra aliquam personam, cōmune, collegium, & vniuersitatem vigore bonæ sententię latæ per memoriam Henrici Imperatoris contra commune & homines, vel aliquas singulares personas de Padua, vel ipsius protextu, vel

ex ea vel eius vigore super ipsis exceptionibus, vel
replicationibus, vel similibus iuuari & releuari, vel
sibi, vel in quaestione, vel causa prodesse. Et in-
omnibus & per omnia sic fiat & obseruetur de ex-
ceptionibus, replicationibus, vel similibus, quae fie-
rent cōtra aliquos, qui non sunt ad gratiam domi-
nii, & communis Paduae occasione aliquarum cō-
demnationum in eos factarum pro parte, vel bel-
lo, seu querela, vel occasione partis vel guerrae. Et
si praedictae exceptiones, vel similia fierent, non va-
leant, nec teneant ipso facto, & per iudicem medū
nullo modo admittantur, vel recipiantur, & nihi-
lominus quicunque ipsas produxerit, proposuerit,
vel allegauerit. Et si iudex eas receperit, condem-
netur in libris 25. paruorum pro quolibet & quali-
bet vice, & huius banni medietas sit communis, &
altera denunciantis.

QVaelibet interlocutoria nedum exceptiones
praedictae, & quaelibet incidentia & emergen-
tia etiamsi summarie ageretur, debeant expediri
per iudicem medium duntaxat, & non per alium
infra quinque dies continuos, qui incipiāt currere,
postquam petitum est a iudice eas debere expediri,
quod peti possit ea die, vel sequēti iuridica, qua pro-
ducta sunt, vt in statuto quod incipit Statuimus, ꝙ
porrecto libello, declaratum est, & cum salario (vt
dictum est) sub poena librarum decem applicanda
communi. Et si factum non fuerit, non propterea
differatur processus, & reseruatae intelligantur te-
pore diffinitiuae sententiae. Excepto quā in exceptio-
nibus

ribus falsitatis, & incompetentiæ, quæ terminentur infra tempora à statutis concessa. Et iudex redigi faciat in actis articulum super ipsis interlocutoriis eius arbitrio, & quod de salario dictum est, non habeat locum in iudicibus potestatis.

Statutum vetus conditum anno 1319.

STatuimus quod in quacunq; causa, & lite, & in quacuaq; parte litis etiam ante litem contestatã cuiuscunque summæ, & quantitatis, vel rei vna pars alteri possit deferre sacramentũ, & teneatur ille, cui datum fuerit iurare, vel referre, quod si facere recusauerit, si fuerit actor, cadat ab actione, si fuerit reus pro confesso habeatur, & in re, seu quãtitate petita condemnetur, & fiat cõdemnatio vel absolutio secundum præsumptiones prædictas.

Et si ille, cui delatum fuerit iuramentum iurauerit se soluisse, vel aliquam conditionem, vel pactum, vel modificationem aliquam fuisse super eo, super quo deferetur iuramentum, quod eius sacramento stetur per se, & contra se. Et intelligatur quisq; non velle iurare, si fuerit bis admonitus per iudicem de medio, seu aliter legitime citatus ad iurandum ipse, vel procurator suus, vel alius pro eo interueniat. Et quælibet partium si super tota causa, vel de aliqua parte eius, quod peteretur, vellet stare sacramento principalis personæ partis aduersæ, quæ absens diceretur, possit mittere suis expensis ad recipiendum sacramentum absentis vsq; ad sexaginta milliaria.

Sta-

STatuimus quod facta litis cõtestatione, vel habita pro contestata ex aliquo actu, quod de iure uel ex forma statutorũ communis Paduæ vim cõtestationis obtineat, & in quacunque parte iudicii petatur siue summarie, siue ordinario iure procedatur, quælibet pars principalis, & quilibet aduocatus, vel procurator, & alius quisque alio nomine interueniẽs si per iudicem, vel per aliquam partiũ requisitus fuerit iurare corporaliter teneatur de calumnia in hac forma videlicet. Iuro ego per sancta Dei euangelia, quod puto, & re vera credo partẽ meam iuste fouere causam. Et causam clientuli huius mei non fore mendacibus allegationibus compositã, & quod nulla mala cõscientia patrocinor, et quod si in processu causæ mihi apparuerit aliquid, propter quod cognoscam partem meam fouere causam iniquam, seu iniustam, reiiciam penitus & recedã ab ista lite, & ipsam dimittam, nec in ea vlterius palam, vel occulte præstabo consilium, vel auxilium vllum, & eodem modo iudex ad sui arbitrium, vel petente parte possit, & debeat quandocunq; aliquis aduocatus apparebit in causa etiam post conclusionem in causa deferre dictum sacramentum. Si quis autem requisitus in hac forma scripturis corporaliter manu tactis recusauerit iurare, non audiatur vlterius in ea causa pęna iudici, si eum admiserit, librarũ x. pro qualibet vice. Ille autẽ, qui talo iurare recusauerit, puniatur in libris x. paruorum pro qualibet vice, qua palàm, vel occulte patrociniũ eius in causa ipsa requiret. Et quilibet

bet bonę famę,& conditionis accusare,seu denunciare possit,& habeat medietatem banni,& intelligatur secundum modum istum præstitum esse iuramentum, si in actis notarij continetur qualiter iudex præcipit,vel pars petit, quod talis iuret de calumnia. Alioquin non intelligatur aliquis contumax in non iurando.

LIte autem contestata,vel habita pro contestata, siue iuratū non sit de calumnia,partes eo ipso habeant,si causa ordinaria erit, terminum 15. dierum pro prima dilatione ad probandum quicquid voluerint probare. Quo termino finito, si aliqua partium vellet vlterius probare, & hoc parte aduersa præsente, vel ad hoc citata petierit à iudice ante exitum primæ dilationis, & iurauerit se non petere animo calumniandi,vel dilatandi iudicium tunc eo ipso terminum habeant x. dierum pro secunda dilatione prima elapsa. Idem fiat, si partes,vel altera earum tertiam dilationem voluerit, vel tunc si ante lapsum secundæ dilationis fuerit petita tertia dilatio, & fuerit iuratū, vt dictum est, habeant eo ipso terminum quinque dierum pro tertia dilatione numerando, cum secunda dilatio elapsa sit. Et intelligantur omnes dictę tres dilationes elapsę, si pendente prima dilatione non fuerit petita secunda dilatio, vel si pendēte secunda dilatione non fuerit petita tertia dilatio,& iuratū fuerit vt dictum est. Quibus dilationibus elapsis, vel habitis pro elapsis partes infra octo dies, & non plures deponere faciant testes suos. Quo termino

translato processus ipso iure sit publicatus, & pro publicato habeatur. Et vlterius nõ possit fieri probatio per testes, nec etiã testium depositio in principali quæstione fieri possit, nisi ad reprobationem per indirectum testium vel instrumentorum, excepto casu statuti positi sub rubrica præsenti, quod incipit. Si negocium. Et partes dictis octo diebus elapsis habeant eo ipso terminum quinque dierum ad habendum copiam processus, & opponendum. Quo elapso si partes, vel aliqua earum opposuerit in termino prædicto aliquid in facto contra processum, vel personas testium aut dicta ipsorum. Et dicat opponens se velle de prædictis aliquid probare contra processum, vel dicta, vel personas testium, aut contra producta per partem aduersam, tunc iudex ad id probandum, & probatum habendum statim terminum statuat partibus, vel alteri earum arbitrio suo, ita tamen quod (vt dictum est) ad reprobationem dictorum, seu depositorum per testes, & instrumenta non admittantur probationes testium nisi per indirectum. Et ipsa dilatio danda non excedat decem dies.

PRima dilatione data ad probandum in causis, in quibus iure ordinario proceditur actor producere debeat omnia instrumenta faciẽtia ad fundandam intentionem suam. Et reus post dilationem habeat terminum quindecim dierum ad producendum omnia instrumẽta ad faciendum sui reparationem, & defensionem. Et si actor contra instrumenta producta per reum voluerit aliqua in-

ſtrumenta producere ad eorum defenſionem, ea produeat infra quinque dies poſt dictam dilationē rei. Et eodem modo reus poſt dictos quinque dies producat, ſi producere voluerit omnia inſtrumēta ad eliſionem producta vltimo per actorem infra alios quinque dies. Et ſi in prædictis dilationibus tam actori, quam reo datis (vt dictum eſt) per actorem, vel per reum inſtrumenta producta non fuerunt, vlterius per non producentem produci non valeant. Et ſi poſt dictas dilationes inſtrumenta producta fuerint, ipſa productio non valeat, nec teneat ipſo iure.

SI dies alicuius termini, vel præcepti circa ordinem iudiciorum ſiue cauſa ordinaria, ſiue ſummaria fuerit, inciderit in diem feriatam, tunc dies non feriata primo ſequens habeatur pro termino.

SI maior pars alicuius termini ad probandum aſſignati fuerit circa ordinem iudiciorum feriata, tunc nullus dies feriatus poſſit in dilatione computari. Sed dies vtiles tantum in dilatione ipſa computentur, ſiue ordinarie, ſiue ſummarie procedatur, excepto termino inſtantiæ cauſæ, qui in ſummarijs & ordinarijs cōtinuo tempore currit.

Poteſtate D. Vberto de Piſtorio.

CVm admonitio, vel citatio fit, vel terminus ſtatuitur a ſtatuto, vel a iudice, vel a lege vſq; ad tertiā, vel quartam diem vel trium dierū, vel quatuor, vel ſimiliter, ipſe dies admonitionis, citationis, vel termini locati cōputetur ꝓ vna die. Et dies

in quem finitur citatio, seu admonitio, uel terminus, computetur totus in dilatione, ita q̄ in sequēti die partes debeant esse in termino, V.G. si die Lunæ fiat citatio, uel admonitio, ut locetur terminus, quod usq; ad tertiam diem talis debeat sic fecisse, quod tunc dies Mercurii tota sit commoda citato, uel litigantibus, & die Iouis partes compareant in termino. Et sic de singulis, ita q̄ dicta tertia die cōparere partes nō teneantur. Saluo quod si dies termini, scilicet dies Iouis esset feriata, uel si iudex nō uenerit ad banchum, tunc sequens dies non feriata habeatur pro termino, & sit præcisum.

Potestate D. Simone de Lupis.

QVicunque terminus lite contestata, uel habita pro cōtestata possit statui etiam parte absēte, tamē legitime ad hoc citata, uel personaliter, uel bis ad domū. Et hoc intelligatur quandocunq; non ageretur contra contumacem. Vbi autem contra contumacem ageretur, tunc procedatur quantum in citando reo secundum formam statuti . Si quis de aliquo, positi in principio huius rubricæ.

IN quacunque lite, causa, & quæstione, siue iure ordinario, siue alio modo summarie procedatur, possint fieri interrogationes etiam ante porrectionē libelli, seu querimonię expositionē ad præparationem causæ. Possint etiam lite cōtestata, uel habita pro cōtestata fieri & produci positiones, & capitula ad probationem, defensionem, seu declarationem iurium suorum. Et si iudex uel pars pro-

ducens,

ducens, siue ponẽs uoluerit, teneatur persona principalis aduersa personaliter comparere, & incõtinenti nulla data sibi copia respondere interrogationibus, seu positionibus, & capitulis, quæ consistant in facto proprio, & quæ simplices & non implicitæ sint, nisi persona principalis ipsa erit absẽs a ciuitate Paduæ & districtu, aut nisi infirmitate, uel alia legitima causa impediretur, taliter quod ad præceptum iudicis non posit personaliter cõparere, uel nisi ius eum à personali comparitione excusaret, aut nisi diceret se dubitare, uel non recordari. Quo casu asignata copia detur sibi arbitrio iudicis terminus ad disdubitandum, seu recordandum, & respondendum. Et sit in determinatione iudicis in quocunque casu utrum interrogatio, positio, uel capitulum sit simplex, uel implicita, seu implicitum, & utrum consistat in facto proprio, & utrum impedimentum non comparendi legitimum sit. Et quandocunque principalis requiritur, quod respõdeat interrogationibus, seu positionibus, & capitulis, posit interesse corã iudice procurator & aduocatus partiũ, & allegare de iure suo quicquid uolunt super inde. Et si respondẽdũ erit, debeat respõdere principalis persona per se absq; consilio aduocati, uel procuratoris sui, & distare tunc debeat ab illis spatio trium pedum ad minus. Et si capitula, & positiones erunt producta, & positæ per sacramentum principalis personæ, tunc pars principalis aduersa similiter per sacrãmentũ credulitatis respondere teneatur. Si autem

persona principalis aduersa nō esset in ciuitate Paduæ, vel districtu, aut si esset infirma, vel aliter legitima causa impedita, seu à iure excusata, aut si interrogatio, seu expositio esset implicita, vel non consisteret in facto proprio, tunc locetur terminus trium dierum ad respondendum. Et hoc casu cum principalis est absens à ciuitate Paduæ, seu districtu, seu tali infirmitate, vel impedimento detētus, quod respōdere non possit, sufficiat q̄ procurator, seu sindicus, vel actor habens sufficiens mandatum respondeat, ac possit, & debeat respondere per sacramentum credulitatis in animā personæ principalis partis suæ ad positiones & capitula quęlibet, quæ per aduersam partem posita per sacramentum, sint & intelligantur sufficiens mandatū esse si per hæc, vel similia verba contineat, quod sit ad respondendū interrogationibus, seu positionibus, & capitulis constitutus, & ad iurandum de calumnia & cuiuslibet alterius generis sacramentum suscipiendum, & credatur sacramento procuratoris de absentia, infirmitate, & impedimēto principalis partis suæ. Saluo quod pars aduersa si voluerit infra terminum sibi ad hoc per iudicem statutum, probare possit personam principalem esse in ciuitate Paduę, vel districtu, vel infirmam, vel impeditam non esse. Et si hoc probatum fuerit, habeatur pro nulla responsio facta per procuratorem, sed principalis persona comparere & respondere cogatur. Et nihilominus procurator qui male iurauit, condemnetur parti aduersæ in libris tribus

par-

paruorum. Et quocunque in casu fieri debeat responsio, fiat ad præceptum iudicis sufficienter, non obstãte, quod positio sit impertinens, duplex, multiplex, vel implicita, sed explicare possit respondens, vt sibi videtur responsionem suam, & respõdere saluo iure impertinentiæ. Si vero neque principalis persona, neque procurator, siue sindicus, vel actor ad pręceptum iudicis responderit, & in contumacia perstiterit, aut non sufficienter responderit, tunc iudex Possit & debeat ad instantiã partis aduersæ pronunciare, quod interrogatio, seu positio habeatur pro confessa. Possit tamen ille, contra quem producta est interrogatio, vel positio, seu capitula purgare moram infra tertiam diem iuridicam, non obstante quod iudex super inde pronunciauerit, & non obstante etiam, quod aliquis ex testibus fuerit cœptus examinari. Et intelligatur persona principalis esse iussa à iudice, vel personaliter citata, aut respõdeat de pręcepto iudicis si procurator eius iussus fuerit, vel personaliter citatus de commissione iudicis; quod faciat comparere personam principalem partis suæ ad respondendum interrogationi, seu positionibus & capitulis, & hoc in casibus, in quibus principalis debeat respondere.

SI aliquis negetur mortuus, & postea per famam publicam probatum legitime fuerit ipsum esse mortuum in ciuitate Paduæ, vel districtu. Vel si negetur aliquis esse filius, vel maritus, vel vxor, vel agnatus, vel cognatus, vel affinis, vel propinquus

in aliquo gradu. Et postea probatum fuerit vt supra, condemnetur talis negans in libris 10. paruorum parti aduersæ soluendis, & in pluribus vsque ad summam librarum 25. paruorum arbitrio iudicis absque aliquo processu.

Potestate D. Marino Faletro 1339.

Filius, qui sit emácipatus, si dixerit vel asseruerit in iudicio, se esse in potestate patris, puniatur in libris decem pro centenario, & in ratione cẽtenarii eius; quod sibi petitum erit. Cuius pœnæ medietas fisco, altera parti aduersę applicetur, & nihilominus talis negans teneatur ad debitum.

SI facta fuerit aliqua interrogatio, vel positio alicui. Et ille, cui facta fuerit, eã negauerit, & postea probata fuerit ei, vel arbitrio iudicis sit verisimile, ꝙ negans eam crediderit, tunc iudex medius absque aliqua solemnitate, & absque defensione si viderit eam per fraudem esse negatam, cõdemnet illum, qui eam negauerit eius aduersario in libris tribus paruorũ, & in pluribus arbitrio iudicis vsq; ad summam librarum quinq; secundum qualitatẽ personarum & causæ, saluis maioribus pœnis, si quæ in statutis aliis determinatæ sint. Et idem intelligatur, atque eadem pœna puniatur pars producens, seu ponens capitula, positionem, vel interrogationẽ, si arbitrio iudicis sit verisimile, aut probatum fuerit, ꝙ aliquam interrogationem, seu positionẽ, & capitulum per fraudem posuerit. Et teneatur iudex sub eadem pœna denunciare iudici

Aquilæ ea die, vel ſequenti ſe dictam condemnationem feciſſe.

Poteſtate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

IN quacunque cauſa ad examinandos teſtes ſeruetur, ꝙ iudex medius, ſi fuerit requiſitus a parte propter ſuſpitionem, uel inſufficientiam notarii de medio debeat audire, & diligenter examinare teſtem productum, & iuratum in cauſa, uel ſi aliqua partium poſtulauerit, teneatur iudex medius dare unum coadiutorem fidelē & partibus non ſuſpectum, qui teſtes cauſæ examinare debeat. Et poſsit examinare quiſque ſiue iudex medius, ſiue alius coadiutor fuerit, & recipere ſalarium ordinatum, ſtatuto aliquo non obſtante. Poſsint tamen teſtes examinari ſine iudice, & ſine coadiutore per notarium de medio ſolum, ſi partes vel aliqua earum nō poſtulauerit, quod per iudicem ſiue coadiutorē aliū examinentur. Et receptis interrogatorijs partis aduerſę, uel parte aduerſa legitime citata ad dādа interrogatoria ſua examinetur quicunq; fuerit audire, & cōtinuo tēpore ſine aliqua interpoſitione fideliter examinare teſtem examinadum, & interrogare ipſum particulariter ſuper cōtentis in petitione, ſeu in exceptione, uel intentione, ſeu in capitulis partis producentis teſtem illum. Et ſuper omnibus, & ſingulis interrogatoriis ſibi datis per partē aduerſam, exceptis illis interrogatoriis, quæ uiderētur iudici eſſe ſuperflua, & interrogari

debeat

debeat teſtis generaliter ſuper omnibus capitulis, verum ſingulariter de capitulo in capitulum, & fieri debeat examinatio taliter, quod nullum capitulū omittatur, niſi quantū ſit de voluntate producentis, quod teſtis ſuper certis capitulis tantū examinetur, & ſimiliter fieri debeat examinatio ſuper interrogatoriis partis aduerſæ. Et ſi data non eſſet interrogatoria, interrogetur teſtis ex officio examinantis ſaltem ſuper generalibus, & de cauſa ſcientiæ, & de certo loco & tēpore, & quibus præſentibus illud vidit, vel audiuit, & teſtificatio per ordinem ſcribatur incontinenti per notarium de medio diſtincte & particulariter ſuper ſingulo capitulo per ſe, & legatur teſti clare ad eius plenam intelligentiam priuſquam inde diſcedat. Et teneatur notarius quilibet, qui ſcripſerit dictum teſtis, incontinenti virgulam ducere ſuper vltima linea teſtificationis, ita quod nihil inde poſſit addi. Et iudex ſeu coadiutor, qui teſtem examinauerit, teneatur ſe ſubſcribere in fine teſtificationis cuiuslibet teſtis per eum examinati, & in ſubſcriptione ſua facere debeat mentionem expreſſe ſi additio aliqua in margine, uel interlineatura, ſeu cancelatura aliquo errore, facta erit. Si quis autem in aliquo contrafecerit, puniatur in ſolidis centum paruorum.

Poteſtate D. Bartholomæo de Freſcobaldis de Florentia 1282.

SI quis perſonaliter citatus, uel bis citatus ad domum, in qua habitet uel habitare conſueuerit.

inter-

interponendo ſpatiũ ſex dierum pro qualibet cridatione, quod veniat ad aliquod teſtimonium perhibendum in aliqua cauſa ciuili,& non venerit, vel non depoſuerit teſtimoniũ, condemnetur in aliqua requiſitione, vel citatione communi Paduæ in ſolidis ſexaginta paruorum. Et nihilominus compellatur ad teſtimonium prohibendum, poſſit tamen euitare pœnam, ſi excuſauerit ſe ante condemnationem. Et iudex medius teneatur dictum condẽnatum denunciare iudici Aquilæ infra tres dies ſub pœna ſolidorum centum,& medietas communis ſit, altera partis producentis ipſum teſtem.

Poteſtate D. Vberto de Cancellerijs 1316.

SI negocium, ſuper quo erit controuerſia, ſiue ciuilis, ſiue criminalis fuerit tale, quod recipiat reiterationem, iudex medius ad poſtulationem rei, vel actoris interrogare debeat aduerſarium, qui factum proponet,& afferet ſic ſe eſſe an ſemel tantum illud factum, vel maleficium fuerit commiſſum, vel pluries,& interrogatus reſpondere cogatur,& eius reſpõſio in actis ſcribatur, ita quod prędicta declaratio fiat & certa, etiam ſi ex inquiſitione procederetur. Et ſuper prædictis etiam teſtes, qui de facto teſtificantur, interrogari debeant ad poſtulationem partis, contra quam producuntur, & in cuius præiudicium teſtificantur, & reſpondere debeant, & cogantur an ſemel tantum viderint, vel audierint, vel præſentes fuerint his, quæ teſtificantur ſemel vel pluries. Quæ

inter-

interrogatio, vel responsio, si omissa fuerit, vel nõ facta, possit & debeat ad testificationẽ partis fieri, etiam post publicationem testium, & testis vel aduersarius cogatur dictam declarationem facere. Possitque iudex, etiamsi pars non petierit, ex officio facere prædictas interrogationes, quod vtile sit interrogatio ipsa ad reprimendas calumnias, & dicta falsorum testium arguenda.

Statutum vetus conditum anno 1236.

Instrumentum factũ in charta bombicina non valeat, nec fides adhibeatur eidem.

CViuslibet instrumenti producti, etiam si non diceretur falsũ, fieri debeat copia parti, & eius aduocato & procuratori videndi, inspiciendi, examinandi scripturam autenticam & instrumentum in iudicio productum in præsentia iudicis de medio ad hoc vt oculata fide possit videri an ex ipsa scriptura & instrumento possit colligi suspitio, dummodo non videatur dies & consul, nisi quando de eo debet fieri copia cum die & consule. Et cum debet fieri copia alicuius instrumenti excepto die, & consule, fiat copia totius instrumenti sine die, & consule, excepto millesimo, inditione & die. Et hoc statutum habeat locum siue ordinarie, siue summarie procedatur.

COpia alicuius instrumenti, vel scripturæ autẽticæ productæ, seu producti in iudicio, nulli detur cum die & consule siue ordinarie, siue summarie procedatur, nisi pars petens copiam ipsam

ex-

excipiendo ciuiliter, dicat & iuret se copiam talis instrumenti velle cum die & consule, quia habet suspectum de falso instrumentum illud, vel nisi interrogauerit, seu per iudicē de medio interrogari fecerit partem aduersā, quæ produxit scripturam, vel instrumentum, si vult vti scriptura, vel instrumento ipso, & responsum sit q vult vti scriptura, vel instrumento ipso, vel nisi exceptionem falsitatis proposuerit. Quibus casibus & quolibet eorum iudex medius dari sibi faciat copiam scripturæ, vel instrumenti cum die & consule, dumtamen pars copiam petēs prius iuret, quod ideo petit copiā cū die & consule, quia habet ipsam scripturam uel instrumentum suspectum de falso, & statim locetur sibi terminus arbitrio iudicis ad probandum, & probatum habēdum exceptionem falsitatis, etiam si aliter opposita non sit, & similiter locetur terminus arbitrio iudicis ad probandum & probatum habendum parti interroganti, uel per iudicem medium interrogari postulanti partim aduersam, si vult uti tali teste, seu attestatione, etiam si nō obijciatur exceptio falsitatis. Et locari debeat similiter arbitrio iudicis terminus ad probandū, & probatum habendum parti, quæ dixerit & opposuerit ciuiliter se falso contra instrumentum, aut testem, seu attestationem uel scripturam aliquam productam in causa ciuili, etiamsi exceptio falsitatis opposita sit simpliciter nulla petita copia, uel nulla interrogatione facta, uel nullo prestito iuramēto. Et intelligatur excipere de falso, etiamsi generali-

ter

ter dicat,quod teſtis depoſuerit extra veritatẽ, vel quod inſtrumentum non contineat veritatem, vel quod non ſit factum manu illius notarij,dummodo in hoc caſu habeatur recomandatio notarij in eo ſcripti,ſi extra ciuitatem Paduæ & diſtrictum factũ ſit. Et ſi caſu aliquo prædictorum non probauerit exceptiones falſitatis in termino ſibi dato legitime,vel ſaltem per euidẽtes præſumptiones,& violentas,vel per iudicia,per quę veriſimiliter ſit iuſte motus ad dicendum ipſum inſtrumẽtum, ſeu teſtẽ, vel atteſtationem, ſeu ſcripturam eſſe falſam,vel falſum,ſeu ad petendum copiam cum die,& conſule,vel interrogandum, ſeu interrogari faciendum partem aduerſam ſi tali teſte vel inſtrumento producto velit vti,condemnetur referẽdo ſingula ſingulis per iudicem medium in libris 25. paruorum communi, & in libris 25. quarũ medietas ſit partis aduerſæ,altera medietas ſit teſtis producti,ſeu notarij cui ſcripturam, ſeu inſtrumentum illud ſcripſit,ſeu hæredis propter iniuriam ſibi factam. Et ſi iudex medius requiſitus dictam condemnationem non fecerit,ea pœna mulctetur, diuidẽda vt ſupra determinatum eſt.Et de hoc teneatur dominus poteſtas Paduæ, & iudices ſui requiſiti à parte, vel à notario ſeu teſte facere cõdemnationẽ prędictam contra dictũ iudicẽ de medio,ſub pœna librarũ 25. paruorũ. Et durante ipſa dilatione à iudice data nõ currat inſtantia, ſed dilatione elapſa currat tẽpus inſtãtię,& ꝓcedatur in cauſa,nõ obſtãtibus prædictis. Copia verò inſtrumẽti in iudicio non ꝓducti

detur

detur illi, cuius interfit, feruādo tamē ordinē ftatuti cuilibet notario pofiti in lib. 1. fub rubr. de notarijs.

Potest. D. Vberto de Cancellerijs. 1316.

SI aliquis produxerit inftrumentū, teftem, vel atteftationē, vel fcripturas aliquas in quæftione aliqua ciuili, vel criminali, & interrogatus fuerit à parte, vel per iudicem medium interrogatione in actis fcripta, quā iudex in continēti fcribere faciat, an prædictis vti velit, teneatur refpōdere præcife, an eis vti velit, dicendo volo vti, & vtor, vel non volo vti, & refpondere non poffit fub conditione, vel modificatione, videlicet fi funt bona in quantū bona funt volo vti, vel fimilia, fed fua refponfio fit pura, & fine aliqua perplexitate, vel modificatione, faluo quod fi fuerit principalis perfona poffit vfq; ad tertiam diē deliberare, vtrum eis vti velit, vel non vti, & poftea refpondere teneatur præcife vt fupra. Si autem fuerit procurator, vel alius nomine alieno interueniens, vel principalis perfona habitet in ciuitate paduæ, vel diftrictu, poffit habere fpatium, & tempus petere ad deliberandum 8. dierum, vel 15. quando non habitaret principalis in padua, vel paduano diftrictu, vel facere comparere principalem perfonam ad refpondendum, fi perfona fuerit idonea. Et intelligatur effe perfona idonea, nifi fuerit pupillus, furiofus, mente captus, vel in ventre, quia tunc talis alieno nomine interueniens habeatur pro principali in hac refpōfione. Si vero perfona principalis, quę habitet in ciuitate Paduæ, vel diftrictu infra dictū tēpus non venerit,

vel

vel si extra districtum paduæ fuerit, & similiter nõ venerit infra quindecim dies, tunc ipse procurator vel alieno nomine interueniẽs similiter respõdeat. Et si non responderit, non adhibeatur fides instrumento, testi, vel attestationi, & donec non respondeatur, nõ currat terminus petẽti respondere, nec propterea differatur processus. Et intelligatur testis produci per eũ, qui facit citari testẽ, & instat vt testificetur, tanq̃ pars, ad cuius petitionẽ testificatur in causa. Et qui tãquã pars, vel pro suo iure, vel interesse eum postulat examinari coram iudice, & in instat vt examinetur. Et per accusatorem, qui in accusatione nominat testem, vel reum, qui in excusatione sua similiter nominat testẽ, & per principalẽ personam. Et si procurator, vel alius nomine alieno interueniens produxerit, nisi eum sciuit distat ab vsu. Hoc idem intelligatur de instrumentis.

ACcusans de falso probare teneatur infra vnũ mensem à die productionis accusæ, computando falsitatem legitime, vel saltem per euidẽtes præsumptiones, & violentas, vel per iudicia, per quæ verosimile sit eum iuste motum ad accusandum de falso in determinatione iudicis de medio, sub pœna librarum quinquaginta paruorum, quarum medietas sit communis, & alia denunciantis, vel partis accusatę. Et iudex maleficiorum teneatur finire accusationem falsitatis infra vnum mensem, computandum à die dati termini ad approbãdum sub ea pæna. Et durante termino dicti mensis non currat instantia causæ ciuilis, siue ordinario

iure,

iure; vel aliter procedatur. Sed elapso mense currat tempus instantiæ, & procedatur in causa ciuili non obstante accusatione ipsa.

ELapsis omnibus dilationibus ad probandum, seu opponendum datis per iudicem, vel ex forma statutorum, vbi iure ordinario proceditur, intelligatur ipso iure conclusum, in causa, ita q̄ vlterius non audiantur partes, nisi ad allegationes in iure, & ad assumptionē sapientis, et ad articulandum.

Potestate D. Vberto de Cancelleriјs 1316.

SVper aliqua interlocutoria non assumantur sapientes, nisi de voluntate vtriusque partis, intelligendo causam esse interlocutoriam, siue sit ante litem contestatam, siue post, siue etiam post sẽtentiam, dummodo non sit ipsa diffinitiua principalis quæstionis appellationis, nullitatis, vel restitutionis, vel executionis sententiæ, vel taxationis expensarum, quia tunc in casibus suprascriptis etiā vna sola parte volente, possint et debeant sapiētes assumi, sed iudex medius, etiam si esset iudex potestatis, omnes interlocutorias prędictas per se absq; consilio sapientum diffiniat, saluo q̄ si iudex ipse dubitaret, & dixerit per sacramentum in principio sui officij præstitum se dubitare, & volet habere sapientes super interlocutoria, possit iuxta se conuocare vnum, vel duos iudices sapiētes non suspectos, qui sint in palatio, & de collegio iudicum ciuitatis Paduæ expensis vtriusq; partis, vel tantum expensis partis perdentis prout iustius videbitur

G iudici,

iudici, & ipsi vel ipsis sapientibus assumptis, intelligatur & sit conclusum in causa quantum ad illum articulum, & iudex ipse proponit quaestionem & petat ab eis consilium redacto prius in actis eo, super quo dicti sapientes consulere habeant. Et sapientes prędicti teneantur consulere iudici de medio in illa tali interlocutoria ea die, vel sequenti in pęna solidorum centum cuilibet eorum negligenti in consulendo. Et possint habere solidos viginti à qualibet parte pro salario pro quolibet sapiente, & maius & minus salarium habere possint sapientes ipsi arbitrio iudicis de medio secundum qualitatem causæ. Et à sententia ipsa appellari non possit, neque possit talis sententia dici nulla. Et in termino alicuius instantiæ causæ summariæ, seu in qua summarie procedatur, etiam si ex forma statuti loquentis de debitis stipulatione vallatis procederetur, non computetur tempus, quo cessatum fuisset per aliquem sapientem dari consilium suum super aliqua interlocutoria, quæ habeat diffinire processum.

IN diffinitiuis verò sententiis si ambæ partes voluerunt causam per iudicem medium diffiniri, tūc ipse iudex medius ipsam causam diffiniat per se sine consilio sapientis, cum hoc casu etiam quod iudex quilibet potestatis possit percipere salariū pro sententiis diffinitiuis, si partes cognouerint ꝙ tanꝗ sapiētes assumptus cognoscat, & ferat sententiam in causa coram eo pendente. Et si medio tempore finiretur eius officium, tunc pro sapientibus intelligatur

gatur assumptus. Si vero partes, vel aliqua earum voluerit causam committi, tunc iudex committat causam consilio sapientis secundũ formã statutorũ. Et hoc locũ habeat in ordinariis, & etiam in causis summariis, quæ summam vel valorem librarũ 50. excedant, abinde verò infra iudex medius determinet per se, & sine salario, nisi ambæ partes concorditer peterent, quod committeretur consilio sapientis.

Potestate D. Neri de Circlis 1292.

NVlla sententia interlocutoria, vel diffinitiua feratur per potestatem, vel eius iudices, & assessores, vel per aliquem officialem communis Paduæ in causis, quæ agirarentur contra communem Paduæ, nisi de consilio assessorum potestatis Paduę & aliter sententia non valeat.

IN quolibet casu, in quo assumendi sunt sapientes iudices, vel consulendi iudici de medio in aliqua causa fieri debeat assumptio hoc modo, quod si partes ambæ concordes erunt accipere aliquẽ sapiẽtem, ille assumatur per iudicem medium, & intelligatur esse, ac sit sapiens ad consulendũ in causa, quem partes communiter elegerint. Si aũt partes non essent in concordia de aliquo, tunc ad pręceptum iudicis de medio quælibet pars debeat per se iudici dare in scriptis nomina suspectorũ & confidentium suorum, ita tamen ꝙ non possit aliqua partium dare vltra quatuor suspectos. Et cogantur partes de numero æquali tot cõfidentes, ꝙ saltem in aliquo vno sapiente cõueniant, & cõcordes sint.

Et ille, qui ſcriptus erit in numero confidentium vtriuſq; partis aſſumi debeat per iudicem medium ſapiens ad conſulendum in cauſa. Poſſint etiam aſſumi de numero confidentium eodem modo ſapientes duo, vel tres, ſi iudici vel partibus videbitur melius ſecundum qualitatem cauſæ. Et non poſsit dominus poteſtas, vicarius, aut aliquis iudicũ eius, vel palatii aſſumere, vel modo aliquo dare aliquẽ ſapientem ad conſulendũ ſuper aliqua diffinitiua, vel interlocutoria, niſi de numero confidentium ſibi per vtranq; partem datorum. Saluo quod ſi pars vtraq; renunciaret dationi cõfidentium, tunc ſcriptã renunciatione in actis quilibet iudex medius poſsit aſſumere vnum, vel duos, vel tres ad plus ſapientes ad conſulendum in cauſa, quos putet partibus non ſuſpectos, ſed bonos & idoneos eſſe ad cõſulendum in cauſa, & reducendum ſi poterit fieri, partes ad concordiam, intelligendo eos bonos & idoneos, qui per partes non erunt dati ſuſpecti.
Si vero pars aliqua legitime ad hoc citata, vel admonita non dederit ad præceptum iudicis de medio ſuſpectos, & confidentes ſuos, tunc intelligatur renunciaſſe dationi confidentium pars ipſa, quæ legitime citata, vel admonita non dederit ad præceptum iudicis ſuſpectos & confidentes. Et hoc caſu iudex medius poſsit aſſumere ſapientem de confidentibus ſibi datis per alteram partem in contumaciam partis abſentis, ſeu non dantis cõfidentes ſuos, dummodo ſapiens non ſit de ſuſpectis datis per partem aduerſam & contumacem. Et quocũ-

que

que in casu fuerit, taxetur per iudicem medium, vel per partes cuilibet sapienti assumpto debitum salarium secundum qualitatem & magnitudinem processus & causæ, & secundum qualitatem & facundiam sapientis assumpti.

NVllus posit assumi modo aliquo sapiens ad consulendum in aliqua causa per potestatem Paduæ, seu per vicarium, vel per aliquem iudicem de medio, & de partium voluntate, nisi sit ciuis & habitator ciuitatis Paduæ, & sustineat onera & factiones cum communi Paduæ, & nisi sit scriptus in collegio iudicum ciuitatis Paduæ. Et nullus iudex, vel assessor domini potestatis Paduæ posit aliquo modo assumi sapiens, vel cōsulere in aliqua causa, etiam si esset de collegio iudicum ciuitatis Paduæ, vel aduocatorum, & dato etiā quod partes consentirent in causa. Et si aliquo casu contrafactū fuerit, condemnatus sit ipso iure asumens in libris 200. paruorum, & nihilominus non valeat consilium eius, neq; valeat quicquam, quod ipsius vigore post assumptionem talis sapientis factum esset. Saluo quod quilibet iudex potestatis posit de partium voluntate sententiam suam ferre per se, & percipere salarium sibi taxatum à partibus tanquā sapiens de numero confidentium asumptus.

ASsumptione sapiētis legitime facta scribatur articulus in diffinitiuis sentētijs, vel interlocutorijs super quo sapiētes consiliari asumuntur ad consulendū. Et si plures sapientes asumpti erunt, debeant interesse omnes, quando quæstio disputa-

tur,& intelligere & audire ſimul allegationes partium diligenter. Et cum conſiliũ ſcribitur, debeant omnes intereſſe. Et dato, ac exhibito conſilio ſuo in ſcriptis iudici de medio per ſapientem virum aſſumptum ad conſulendum, intelligatur ea die traditionis ipſius conſilii ipſum conſilium eſſe publicatum, & pro publicato habeatur, & haberi debeat, quo ad peremptionem inſtantiæ.

VBi contingat aliquam cauſam committi conſilio ſapientis, teneatur,& debeat ſapiens aſſumptus conſulere ex actis ſibi datis, & allegationibus partium factis,& conſilium ſuum iudici, ſeu notario de medio clauſum & ſigillatum dare infra viginti dies, computandos à die traditionis actorũ ſibi factæ. Quæ traditio fieri debeat per partes infra quinque dies incluſiue poſt aſſumptionem ſapientis incluſiue. Et ſapiens, qui prædicta non ſeruauerit, ipſo facto incurrat pęnam librarum decem paruorum communi ſoluendam, & nihilominus ſalarium partibus duplicatum reſtituere teneatur,& ſit ipſo iure caſſus consiliis, ſeu commiſsionibus quæſtionum per duos mẽſes à die termini prędicti numerandos. Et ſi aliquam commiſſionẽ acceptauerit pendente termino dictorum duorum menſium, condemnetur in libris decem communi pro qualibet vice. Et de prædictis poteſtas Paduæ, & iudices ſui inquirere teneantur, & contrafaciẽtes punire. Inſtantia verò cauſæ non pereat propterea, quod infra 20. dies expedita nõ fuerit per ſapiente illũ, ſed cauſa cõmittatur vni alteri ſapienti

de

de numero confidentiū eligendo, qui ipsam causã expedire teneatur secundum formam prædictam, & sub iisdem pęnis. Et quod dictum est de sapiente assumpto ad cōsulendū, habeat locū in omnibus, & per omnia in iudice de medio, qui de volūtate partium habeat fere sententiam sine cōsilio sapientis.

QVilibet iudex medius & potestas Paduæ, ac quilibet ex iudicibus potestatis quandocunq; assumpti erunt sapientes in diffinitiua, & in omnĩ casu, quo assumi possunt, debeant, & possūt remediis prætoriis compellere sapientes assumptos ad consulendum, & consilium suum scribendum, & ipsum scriptum clausum, & sigillatum dandum iudici de medio, & ipsos negligentes condemnare, & mulctare possint vsq; ad summam solidorum centum vltra alias pęnas sibi ex forma statuti superioris impositas.

IVdices sapientes assumpti ad consulendum in causa debeant esse contēti salariis suis per statuta, vel secundum declarationem factam per iudicẽ de medio Et qui contrafecerit accipiēdo vltra, quã dictum est, cōdemnnetur in libris 50. paruorum pro qualibet vice. Et non possit assumi ad consulendũ deinceps in aliqua causa vsque ad quinque annos. Iudex autem de medio, si aliquem tributauerit, vel pecuniam contra formam statutorum acceperit pro iudicando, vel non iudicando, condemnetur in libris 50. vt supra, & ad restitutionem ablati, & priuetur officio, ac non possit habere officium aliquod iudicis in Padua vel Paduano districtu vsq; ad

quinque annos. Et appellatione iudicandi intelligatur quilibet actus iudiciarius, si contentiosa erit iurisdictio.

Potestate D. Marino Faletro de Venetijs 1339

SI de cætero aliquis sapiens assumptus ad consulendum in aliqua causa participauerit salarium suum cum iudice de medio, vel cum aliquo notario, vel cum aliqua alia persona, intelligatur ipsum salarium tributasse, & condemnetur in quintuplũ, & ad restitutiouem salarij, cuius medietas sit accusantis, & alia medietas sit communis, & quilibet possit accusare, & non possit esse consulens in aliqua causa vsque ad duos annos, & simili pœna teneatur ille, qui participauerit cum ipso sapiente.

Et quod aliquis procurator non participet cum notario de lucro sub eadem pęna procuratori contrafacienti. Notarius vero puniatur in libris 50. & priuetur ab officijs palatii per bienniũ. Et quilibet bonæ famæ & opinionis possit accusare, & habeat medietatem banni, & ei credatur cum vno teste fide digno. Saluo quod si vnus ex participantibus præuenerit accusando alium secum participãtem, absoluatur & gaudeat beneficio supradictæ accusationis per eum institutæ, super quibus summarie procedatur, & de plano, & omni die per iudicem Vnicornij.

Potestate D. Vberto.

IVdex quilibet de medio teneatur, & debeat inferendo sententiam suam sequi consilium sapientis

tis assumpti ad consulendum in causa, vel sapientum, seu maioris partis eorum, si plures assumpti essent.

Potestate eodem.

SEntentiæ diffinitiuæ ferantur in scriptis secundum iuris formam, ita q̄ postquàm latæ sunt, nihil in eis addi, vel detrahi, vel mutari possit, nisi vt patitur iuris ordo & tenor. Intelligantur in scriptis latæ, quando iudex diffinitiue pronunciat secundum formam consilii sequendo ipsum consilium, etiam si aliter non tulerit in scriptis.

Potestate D. Marco Dandulo 1420.

TEneatur quilibet, in cuius fauorem sententia condemnatoria, vel absolutoria ferenda, vel lata est, iurare tempore ferendæ sententiæ, vel postea quandocunq; requisitus fuerit per iudicem hoc modo, si fuerit actor, quod re vera debet habere de bona ratione illud, in quo condemnatio ferenda, vel lata est. Si vero esset reus, in cuius fauorem sẽtentia absolutoria ferenda, vel lata esset, iurare debeat, quod re vera non tenebatur ad id, quod petebat, vel in quo nunc absoluitur, vel absolutus est.

Si autẽ actor, vel reus successisset in ius alterius, tunc iurare debeat secundum conscientiam suam tantum, videlicet q̄ putat, vel credit esse verum, q̄ habere debeat, vel quod nõ teneatur, & hoc in animã actoris sui. Etsi in aliquo dictorum casuum pars aliqua ad præceptum iudicis non voluerit iurare (vt dictum est) tunc sententia sibi non prosit.

DE

DE cætero quælibet ſententia etiam inuaſionis recuperationis, ſeu intromiſſionis, & occupationis, & turbationis poſſeſſionis, & ciuilem duntaxat cauſam reſpiciens tam interlocutoria, quam diffinitiua cuiuſcunq; iudicis ordinarii, vel delegati, aut etiam arbitralis, vel arbitramentalis lata ante decem annos elapſos, computandos à die productionis ipſius ſententiæ, & redacta in publicam formam manu publici, & autentici notarij, & in matricula ſeu fratalea notariorum ciuitatis Paduę exiſtẽtis, ſit & cenſeatur eſſe de iure valida, ac executionem debitam conſequatur, ſi ex tenore ipſius ſententiæ habeat, & contineat in ſe ſolemnia debita ſecundum formam iuris, & ſtatutorum communis Paduæ. Et non oſtenſo, ſeu producto proceſſu ipſius ſententiæ, aut mandato, vel alio inſtrumento, quod non faciat ad legitimationem perſonæ, vel perſonarum, de qua, vel quibus in dicta ſententia fiat mentio, ita tamen quod per iudicem mediũ, coram quo talis ſententia producta erit delato iuramento vſque ad concluſionem cauſæ pars producens ipſam ſententiam, & notarius, qui ſentẽtiã ipſam ſcripſit, ſeu ille, qui ex alienis abreuiaturis rędegit ipſam ſententiam in publicam formã, iurent corporaliter ad ſancta Dei euangelia, ꝙ proceſſus dictæ ſententiæ facta diligenti inquiſitione haberi, & reperiri non põt. Et intelligatur ſolemnitas debita in dicta ſententia interceſſiſſe pręſtito ipſo iuramẽto, & ſi fiat mẽtio in dicta ſententia, & aperte contineatur in ea de certis anno, inditione, mẽ-

ſe,

se,& die,loco, & testibus, & de certis nominibus partium,& personarum, quæ suo vel alieno nomine interueniunt,& de ipsarum præsentia,vel citatione,seu admonitione,aut contumacia, & contineat, q̄ iudex visis actis causæ tulit sentẽtiã ipsam, & contineat tenorem delegationis, si per iudicem delegatum lata esset,& dummodo ipsa sentẽtia sit subscripta per iudicem,qui ipsam tulit,vel per successorem suum secundum formã statutorum communis Paduæ, atque subscripta cum signo & nota notarij more solito.Saluo quod prædicta non vendicent sibi locum in casu, quo per partem aduersã probetur,& plene doceatur,q̄ extet processus, ex quo ipsa sententia emanauit,vel aliter probet legitime,q̄ non interuenerunt solemnia debita secundum formam iuris & statutorũ communis Paduæ.

Et idem dicimus in omnibus, & per omnia in sententia arbitrali, vel arbitramentali,dummodo compromissum appareat,& productum sit, & cẽseatur de iure valida sententia arbitralis, vel arbitramentalis etiam si non esset subscripta per arbitros,seu arbitratores,& etiam si lata fuisset in absentia partium,vel alicuius earum,& ipsis non admonitis,neque citatis. Ita tamen quod ex forma compromissi appareat,quod arbitri,seu arbitratores potuerunt ipsam sententiam ferre etiam partibus absentibus,& non monitis, neque citatis.

OMne instrumentum sententiæ diffinitiuæ ciuilis quæstionis, uel interlocutoriæ, quæ habeat vim diffinitiuæ, vel interpositionis secundi

decreti,

decreti, vel dationis in solutam. Omnis forbannitio, seu cancelatio forbannitionis, omnis cedula tenutæ commissa vigore sententiæ diffinitiuæ, vel alicuius interlocutoriæ, quę habeat vim diffinitiuę, & omnis cedula sequestri reuocationis aliquarum prædictarum, captionis, repudiationis hęreditatis, inuentarij, tutelæ, curæ & actoriæ, debeant esse subscripta & subscriptũ manu propria iudicis, qui prædicta tulerit, fecerit, seu commiserit, & donec subscripta non fuerint, nullum effectum habeant. Et iudex, qui sententiam tulerit, vel prædicta commiserit, vel fecerit, subscribere debeat, & teneatur ea die, vel sequenti, qua requisitus fuerit quandocunq; etiam finito suo officio, in quo existens prædicta fecerit, & postquam prædicta reducta fuerint in publicam formam, & iudici ostensa & pręsentata in pęna librarum centum in sententia diffinitiua, in alijs verò sit pęna librarum viginti quinque paruorum. Et nihilominus subscribere teneatur, vel statim contradicat, & reclamet coram potestate, vel eius vicario, si aliquid ex prædictis petatur subscribi, quod iudex non tulerit vel commiserit. saluo quod prædicta locum non habeant in personam potestatis Paduę, sed eius vicarius subscribere teneatur pro ipso. Possit tamen dominus potestas si vult se subscribere, & sufficiat. Et possit & debeat quandocunque etiam successor quilibet in officio prædictas subscriptiones facere mortuo, vel infirmo, vel absente extra ciuitatem Paduæ & districtũ iudice illo, qui prædicta facere debuerit, si non fue-

rit

rit subscriptus, facta tamẽ fide ipsi successori, quod ea tulit prædecessor, vel hoc vere cognito ex scripto. Et habeat hoc locum in præteritis, præsentibus, & futuris. Et prædicta vendicent sibi locum etiam in vicario, & iudicibus domini potestatis. Et fiant dictæ subscriptiones absque aliqua pecunia, saluo quod pro sententiis diffinitiuis seu interpositionibus secundi decreti dationis in solutum, inuentariorum, & pro interpositione auctoritatis iudicialis decreti in contractibus, seu obligationibus minorum quilibet iudex, qui se subscripserit, possit accipere vnum par chirothecarum.

Quæ subscriptiones instrumentorum sententiæ diffinitiuæ, & interpositionis secundi decreti, vel dationis in solutum, forbannitionis, cancelationis, emancipationis, repudiationis hæreditatis, inuentarij, tutelæ, curæ & actoriæ, possint fieri quandocunq; secũdum formam suprascriptam, etiam post conclusionem causæ, dummodo ante sententiam fiant, & facta subscriptione quandocunque ante sententiam valeat totum iudicium agitatum, ac si principio fuisset facta subscriptio. Aliæ vero subscriptiones sequestri, & cedularum, de quib⁹ supra fit mentio, debeant fieri antequam fiat aliquid vigore ipsarum, & si aliquid factum fuerit ante ipsarum subscriptionem, non valeat, neque teneat, & debeat in subscriptionibus iudicum poni dies, annus, & inditio, quibus fit subscriptio, & aliter quam diu sic subscripta non fuerint, nõ valeant. Et prædicta vendicent sibi locum in præcedentibus, pen-

dētibus, præſentibus, & futuris. Et ſufficiat ꝙ omnes ſubſcriptiones, de quibus ſit mentio in præſenti ſtatuto, fiant & ſubſcribantur manu propria iudicis, qui prædicta tulerit, vel commiſerit, vel eius ſucceſſoris in actis notarii, vel in conſiliis ſigillatis, quorum vigore feruntur ſententiæ, & ſufficiat ſi tabellio in ſcripturis publicis in fine earum ponat ſua manu dictam ſubſcriptionē iudicis, prout ſcripta, & facta fuerit manu iudicis, & ſubſcripta fuerit per dictum iudicem hoc modo. Ego talis iudex, &c. vſque ad finem. Et quod in cedulis cuiuſcunque conditionis, & inſtrumentis, & ſcripturis exemplatis non ſit neceſſe apponere in ſubſcriptionibus milleſimum & diem, ſed ſufficiat ſi iudex ſic ſubſcribat. Ego Petrus iudex prædictus me ſubſcripſi.

IN quacunq; cauſa tam ciuili, quā criminali, interlocutoria, vel diffinitiua, tam in ordinariis, q̃ in ſummariis victus victori debeat in expenſis legitimis condemnari, non obſtāte eo quod fuerit iuramentum de calumnia. Et quilibet victus ipſo iure intelligatur eſſe in expenſis legitimis condemnatus, adeo quod non poſſit abſolui, niſi ſapiens, qui aſſumptus fuerit ad conſulendum in cauſa, vel iudex medius, qui ſine conſilio ſapientis tulit ſententiam, iurauerit coram domino poteſtate Paduæ, ꝙ abſolutus habuit iuſtam cauſam litigandi, & ſcribi debeat hoc iuramentum in actis per vnum ex notariis domini poteſtatis. Saluo quod quilibet qui hoc modo ſucceſſit in ius alterius, vbi lis fuerit cō-

teſtata

testata cum actore suo, productis, & visis iuribus partis aduersæ, quibus vel etiam non productis renunciando liti possit euitare condemnationem expensarum. Et si petierit causam committi, non possit renunciare liti absque consensu aduersæ partis. Saluo quod in causa appellationis in hoc casu duntaxat, videlicet si victus in eadem causa appellationis fuerit victor in causa principali possit fieri absolutio expensarum.

Statuimus quod petita taxatione expēsarum intelligantur ipsa acta, quæcunque esse producta, & ad ipsam taxationem procedi debere per taxatorē perinde, ac si realiter producta essēt acta ipsa.

IVdex de medio taxationem expensarum teneatur facere, & debeat per se, vel per taxatorem assumendum per ipsum iudicem, & taxare secundum quod sibi videbitur melius conuenire secundum formam statutorum cōmunis Paduæ, habita mente omnium expensarum factarum occasione dictæ litis infra decem dies, postquam fuerit requisitus, de qua requisitione cōstet in actis, & postquā sibi traditæ fuerunt expensæ in scriptis, sub pœna solidorum centum paruorum. Et taxator expensarum deferre debeat iuramentum aduocato, & procuratori si præstiterint officium aduocationis, & procurationis vsque ad finem causæ, & stetur dictæ taxationi, & ab ea non possit appellari, nisi in principali fuerit appellatum, & appellatione interposita à sententia intelligatur esse appellatum à taxatione expensarum, etiam si post appellationem

pellationem fuerint taxatæ. Et iudex maleficiorũ si coram ipso fuerit causa, vel quæstio criminalis agitata, possit facta condemnatione expensarum solus taxare ipsas expensas, & taxationem committere, & ipsarum executionem facere.

IN quibuscunque causis victus soluat victori infra quindecim dies id, in quo condemnatus fuerit, sub pœna quarti & forbanniendi, & dandi tenutam de bonis suis.

QVilibet iudex, qui tulerit aliquam sentẽtiam, et eius successores possint ipsam sententiã, & debeant executioni mandare remedijs prætorijs, postquam requisiti fuerint ab eis, qui sententiam meruerint per se, vel alio quocũque, qui requirere potest. Et insuper potestas Paduæ, & quilibet ex iudicibus suis similiter exequatur sentẽtias suas, & omnium officialium communis Paduæ. Saluo ꝙ infra tempus, infra quod victus potest appellare; vel pendẽte appellatione, vel termino, in quo soluere cõdemnatus debet, nihil innouetur circa executionem. Et si innouatum fuerit, ipso iure nõ valeat, sed reducatur in pristinum statum, quatenus de facto processit. Et fiat executio summarie sine libello, & litis contestatione, & figura iudicij per forbannitionem, tenutæ acceptionem, missionem in possessionem bonorum, & venditionem exactionem pœnæ quarti, et a pronunciatione executionis non possit appellari, si pronunciatum fuerit executionem fieri, alias si pronũciatum fuerit executionem non fieri, possit appellari. Possit tamen

tertius

tertius comparens pro suo interesse appellare ab ipsa sententia, qua pronunciatū fuerit executionē fieri, si post sententiam diffinitiuam comparuerit.

IN omnibus, & per omnia, vt in dicto statuto Paduæ, quod incipit. ‖ Quilibet iudex, continetur, idem obseruetur, & fiat per D. Potestatem, vel eius iudices, & per quemcunque alium iudicem palatii de sententiis latis per arbitros, vel arbitratores, vel compromissarios, etiamsi latę fuerint vigore compromissi in eos facti, ita quod super ipsarum executione non sit opus oblatione libelli, vel litis contestatione.

POtestas Paduæ omnes sententias latas per officiales communis, & quæ per ipsum, vel officiales suos, vel per prædecessorem suum potestatem, vel officiales potestatis, vel potestatum, qui pręcesserint, si requisitus fuerit bona fide attendi faciet, nisi contra leges, probatum vsum, vel statuta latæ fuerint, vel per falsitatē, vel corruptelam extortæ, vel per appellationem fuerint suspensæ, quoniam uictus potuit appellare, sicut statutum est.

SI durante instantia non fuerit causa per sententiam expedita, tunc transacto tempore instantię siue causa sit summaria, siue ordinaria, intelligatur, & sit absque aliqua declaratione, seu sententia ipso iure perempta instantia causæ, nec duret vitiū litigiosi termino instantiæ elapso, siue ordinaria, siue summaria fuerit. Ita tamen q si vltima die instantie esset feriata, tunc & eo casu possit sententia feri die prima, quæ sequendo non sit feriata, non

H ob-

obstante q tempus instantiæ finitum sit. Et valeat sentẽtia hoc casu perinde, ac si lata esset infra legitimum tempus instantiæ. Si vero (vt dictum est) non fuerit sententia lata, tunc procedi in causa, vel sententiam ferri nullo modo possit. Et si feratur contra ordinem illum, non valeat modo aliquo, & nihilominus iudex medius si fuerit negligens ad decisionem causæ infra tempus instantiæ partibus instantibus, vel aliqua earum; teneatur eisdem ad interesse, & condemnetur in libris quinquaginta paruorum, nisi negligentia prædecessoris excusaret successorem. Quo casu non successor, sed prædecessor teneatur ad prædicta.

ACta quæcunque facta infra tempus instantię, quæ perempta sint, faciãt fidem in alia instãtia, vel iudicio ad decisionem causæ inter easdem personas, vel habentes causam ab eis. Et contenta in præsenti statuto locum habeant siue ordinarie, siue summarie procedatur.

PErempta instantia duret officium iudicis ipsius causæ quod ad condemnationem, vel absolutionem expensarum factarum in causa vsq; ad quindecim dies; computandos a die peremptionis instantiæ. Quam condemnationem, & taxationem, vel absolutionem iudex medius facere possit; & debeat prout sibi videbitur pendente dicto termino quindecim dierum, & nõn vltra, etiam si causa de nouo fuerit coram dicto iudice inchoata, siue ordinarie, siue summarie procedatur.

Non tamen pereat instantia causæ siue ordinarie,

rie,siue summarie procedatur, si medio tempore fuerit compromissum, vel si inhibitio facta fuerit per iudicem ecclesiasticum, vel si proposita fuerit exceptio falsitatis, vel si facta fuerit accusatio de falso, quia tunc quolibet istorum casuum vltra tempus, quo dictum est perire instantiam, iudex medius habeat tantum tempus ad decisionem quæstionis, quantum fuerit tempus compromissi, vel inhibitionis, siue exceptionis, vel accusationis de falso. Ita tamen quod tempus inhibitionis durare non debeat vltra 30. dies, siue inhibitio fiat iudici, siue parti, vel procuratori, aut aduocato etiam ex officio. Tempus vero compromissi durare non debeat vltra 60. dies. Si autem proposita fuerit exceptio falsitatis, tunc non currat instantia durante termino, qui per iudicem medium datus erit ad probandum exceptionem illam. Si vero accusatio de falso facta erit, tunc non currat instantia vsq; ad vnũ mensem, quem accusans de falso habet die productæ accusæ ad probandum eam.

Et idem seruetur si iudex de medio allegatus fuerit incompetens, vel suspectus. Quo casu sublatum sit de medio tempore instantiæ litis tempus illud, quo cognitio incompetentiæ, vel suspitionis durabit. Elapsis autem dilationibus istis currat tempus instantiæ, & procedatur in causa, non obstante compromissio, inhibitione, accusatione, vel exceptione falsitatis, vel incompetentiæ, seu suspitionis iudicis, siue summarie, siue ordinario iure procedatur.

DE MERCATORIBVS, ET EORVM QVESTIONIBVS SVPER MERCANTIIS. RVBRICA.

D vtilitatem, & expeditionem mercatorum statuimus, quod vicarius domini potestatis paduę, seu alius iudex, & officialis, qui ad hoc deputatus erit, intelligatur esse, & sit iudex ordinarius in omnibus, & singulis litibus, quæstionibus, & controuersijs, quę verterentur inter mercatores, & laboratores, & famulos eorum inter se vel cum alio, seu alijs etiã non mercatoribus, dumtamen quæstio, seu controuersia orta sit, & vertatur occasione mercantiæ. Et ꝙ super dictis quæstionibus procedatur, cognoscatur, & terminetur breuiter, summarie, & de plano, & sine strepitu, & figura iudicij, & sine libello, & sine litis contestatione, & omni iuris ordine prætermisso, sed sola, pura, & mera veritate inspecta, prout discretioni iudicantis videbitur melius conuenire, & qui debeant intelligi mercatores, vel quasi, & quæ sit mercandaria, vel quasi, & quæ sit causa mercantiæ sit in arbitrio vicarij, seu iudicis prædicti.

SI aliqua quæstio vertetur coram domino Vicario, seu iudice inter dictas personas de qualitate, seu conditione, & ipse vicarius, seu iudex dubitaret, vel aliqua partium etiã requireret, ꝙ ipse vicarius, seu iudex teneatur, & debeat, atq; liceat

con-

conuocare duos, tres, vel plures, secundum quod sibi videbitur, homines mercatores expertos in dicta mercantia, de qua fit quæstio, partibus non suspectos. Et habito colloquio cum dictis mercatoribus, & scripto colloquio in actis debeat vicarius, seu iudex ipse solus pronunciare, & quæstionem ipsam facere terminare fine debito inferendo in sententia quomodo de colloquio talium, & talium mercatorum electorum sic pronunciat.

VIcarius, seu iudex ad hoc deputatus, postquã tulerit sententiam contra aliquam dictarum personarum ratione prædictarum mercantiarum, possit, & debeat, & teneatur elapso termino in sẽtentia statuto ad requisitionem illius, pro quo tulerit sententiam, facere executionem subito in omnibus bonis dicti condemnati vbicunq; dicta bona reperirentur, siue possideantur, siue detineãtur per dictum mercatorem, seu per quamcũq; aliam personam non prętendentem ius aliquod in dictis bonis, & rebus, in quibus executio prædicta fieret. Et in casu, quo tertius prætenderet habere ius in dictis rebus, tunc tertius audiatur volens de iure suo probare, & secũdum quod probatum fuerit, dictus vicarius, seu iudex procedat. Et si nulla bona repeӿriantur, procedatur contra condemnatum secundum formam statutorum Paduæ, ponendo nomen talis condemnati in libro forbannitorum, & compellendo ipsum personaliter vltra prædicta.

QVilibet forensis, qui voluerit ratione mercantię conductę ad ciuitatem Paduę possit, & ei

liceat debitorem suum conuenire in Ciuitate Paduæ, & vicarius seu iudex prædictus debeat procedere in quæstione ipsius forensis secundum formā statuti sub præsenti rubrica mercatoribus positi. Hoc tamen saluo, quod dictus forensis teneatur, & debeat dare fideiussorem de stando iuri, & de expensis restituendis, si apparuerit ipsum non habere bonam causam.

SI aliquis mercator iniuste, & indebite mouerit quæstionem, seu controuersiam contra alium mercatorem, vel aliam personam ex causa mercantiæ, tunc dominus vicarius, seu iudex prędictus debeat condemnare illum, qui iniuste mouerit quæstionem in expensis duplicatis, si fuerit requisitus ab eo, qui fuerit molestatus.

NVllus aduocatus, vel procurator possit, vel debeat in aliquo casu predictorum de mercatorum quæstionibus loquentium intercedere, seu aduocare, vel procurare in aliqua causa, seu quærimonia, quęstione, vel lite vertente in causa mercātiæ, nisi videbitur vicario, seu iudici prædicto, sed tūc possit quilibet interuenire, aduocare, & ꝓcurare si de uolūtate, & licētia uicarij seu iudicis fuerit.

FIlij familias siue sint maiores, siue minores, dūmodo sint decem, & octo annorum, seu vltra exercentes officiū mercantiæ, & qui publice mercent emendo, & uendendo, uel alium contractum faciendo, non possit defendere se aliquo modo, iure, vel forma ex eo, quod sint minores, siue in patria potestate. Ita tamē quod patres dictorū filiorū

nōn

nõn teneantur, nec sint obligati, nec poſsint cõueniri pro contractibus initis per ipſos filios ratione mercantię, vel aliquo dependentia mercantia, nisi ipsi filij cum patribus mercãtiam facerent in vna statione, vel eſto quod ſtationes a mercantia ſeu mercantiæ eſſent ſeparatæ. Quo caſu pater teneatur, si apparet euidenter ipſum filiũ talẽ mercantiam, ſeu ſtationem à mercantia exercere de patris voluntate, & de qua pater sit percepturus cõmodum, vel incommodum in totum vel in parte.

QVælibet domina, ſeu mulier cuiuſcunq; conditionis exiſtat, quæ aliquam mercantiã exerceat, ſeu in poſterũ exercebit, obligetur & sit obligata ratione dictarum mercantiarum, & nõ poſſit allegare, vel dicere aliquo modo, vel ingenio, quod nõ teneatur, quia ſit filiafamilias, & executio fieri poſsit nedum in bonis ſuis, ſed etiam in bonis mariti ratione talium mercantiarũ. Et hoc habeat locum in mulieribus habitãtibus cum maritis, alias ipſæ ſolæ ſint obligatæ.

VXores mercatorum poſsint ſecundum iuris ordinem ratione dotium ſuarum defendere bona ipſorum mercatorum virorum ſuorum, ſcilicet mercantiam, & res mercantionales.

MErcatores artis lanę exiſtẽtes de fratalea dictæ artis, poſsint & valeãt pignorari facere omnes & ſingulos debitores ſuos tã ratione miniſterij dictę artis lanę, q̃ ratione pãnorũ per eos vẽditorũ, dumtamen dicti panni ſint de ſuis proprijs, & de ſigno ſuo, ac p eos factis, & in garzaria vẽdi-

tis, & hoc secundum formam statutorum consuetudinē hactenus per eos ad officium artis lanæ obseruatorum. Pignora tamen, quæ à debitoribus prędictis accipi faciant, debeāt per præcones pręsentari ad officium massariæ pignorum, & massarius ipsa scribere, seu ponere in libro teneatur secundum ordinem sibi datum. Et postmodum dicta pignora sic præsentata, & per massarium in libro posita, debeant per præcones, qui ipsa acceperint, ad officium artis lanæ præsentari, & ibidem poni in camera ad hoc per dictum officium deputata.

Et si prædicta pignora per creditores, qui ea accepi fecerint, reddita fuerint debitorib⁹, vel per creditores ipsos pignorata, dictus massarius habere debeat danarium vnum cum dimidio pro libra debiti, pro quo debitori fuerit pignoratus. Si verò creditor voluerit dicta pignora sic accepta vendi facere, tunc dicta pignora debeant per præconem, qui ipsa pignora accepit, ad officium dicti massárii præsentari, & ibidem per dictum præconem incantari, & vendi secundum modum & ordinem ad dictum officium massariæ pignorum ordinatū, & eo casu dictus massarius habere debeat denarios tres pro libra eius, quo dictum pignus vendetur. Quæ omnia & singula suprascripta locū habeant tam in dictis mercatoribus, quam in tinctoribus, purgatoribus, fullatoribus, garzatoribus, sauonariis, scartatoribus, fileriis, & quibuscunque alijs de dicto ministerio artis lanæ laborantibus, volentibus aliquid petere à dictis mercatoribus

busoccasione laboreriorum per ipsos in dicto ministerio factorum. Scapizatores vero, & quicunq; alij, qui vltra prædictos ad dictum officium artis lanæ pro iure sibi reddendo comparere possunt, debeant in cedulis, & pignoribus, quæ ad dictum officium fieri facient, seruare modum & formam datum secundum formam statutorum de nouo factorum, & supra in pręsenti rubrica descriptorum. Et dicta pignora pręsentare & vendere secundum modum & tenorem ad officium massarij pignorum ordinatum, & de aliis creditoribus in superiori statuto continetur.

DE CAVSIS MISERABILIVM PERSONARVM. RVBRICA.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

CARCERATIS miserabilibus personis, & pauperibus subuenire cupientes, statuimus, quod vicarius domini potestatis Paduæ de cætero sit, & intelligatur esse iudex carceratorum pauperum, & miserabilium personarum, ita quod ipse solus ius sibi reddat tam in agendo, quam in defendendo, & de quacunque summa & re, & in quacunque causa faciat sibi iustitiam, & expediat summarie, breuiter & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, sola, pura, & mera veritate inspecta, qualibet die, & hora sine libelli

ob-

oblatione, & sine aliquo iuris ordine, vel solemnitate iuris, vel statutorum communis Paduæ, tam in cognoscendo, & procedendo, quàm in exequendo. Atq; reijciat qualcunq; dilationes, & exceptiones frustratorias, abreuiãdo etiã, & modificando iuridicas, prout discretioni suę videbitur vtilius conuenire pro celeri expeditione talium personarum.

Verum ne prætextu miserabilium personarum processus, & iudicia subuertantur, statuimus & ordinamus, qꝫ illi esse intelligantur pauperes, & miserabiles tractentur in expeditione causarum, qui per dominum potestatem Paduæ pauperes & miserabiles declarabuntur. Et ne aduocato, & procuratore careant pauperes, & miserabiles personæ, ordinamus, quod per D. potestatem Paduę eligatur quolibet anno maxime tempore medii regiminis sui unus aduocatus de collegio iudicum ciuitatis Paduæ, & vnus procurator de numero illorum, qui publice exercent in palatio Paduæ officium procurationis, qui sint boni ciues, viri periti, & animarum suarum amatores, & teneantur, & debeant pęna arbitrio D. Potestatis cuilibet eorum imponenda, prædicti electi aduocatus & procurator sine aliquo salario, & munere præstare patrocinium fideliter, & diligenter omnibus & singulis carceratis pauperibus, & miserabilibus personis, & quod in causis talium personarum quicunq; comparuerint semper ante omnes alios audiantur, & in expeditione cęteris præferantur, teneantur quod dictus aduocatus & procurator, & quilibet eorum,

qui

qui deputatus erit, ad minus semel in septimana carceres,& carceratos visitare, vt de opportunitatibus, & de necessitatibus cuiuscunque possint habilius informari, & secundum quod reperierint, teneantur notificare D. Potestati. Et Capitaneus carcerum non debeat, neque possit prohibere dictos aduocatum, & procuratorem pauperum intrare carceres, & loqui cum carceratis pro informatione sua, sub pœna librarum decem pro qualibet vice, cuius pœnæ medietas sit communis, altera medietas inter carceratos æqualiter diuidatur. Et super illis credatur dictis aduocato, & procuratori, saluo tamen quod capitaneus carcerũ nõ debeat permittere, quod loquatur alicui carcerato cui de mãdato D. Potestatis, vel alicuius iudicis loqui non deberet. Item prædicti aduocatus,& procurator pauperum teneantur inuestigare,& soluere debentes compellere legata, & quæcunque alia relicta,& debita carceratis, & ipsa distribuere seu distribui facere per fidelem personam inter carceratos sine fraude secundum voluntatem illorum, qui legata illa carceratis reliquerint. Ac procurare quod elemosinæ, & alia quæcunque missa seu portata carceratis, videlicet panem, vinum, vestes & huiusmodi pro alimentis carceratorum debite dentur, & assignentur carceratis secundum mentem illorum, qui illa mittunt. Et capitaneus carcerum sub pœna prædicta, modo quo supra diuidenda, non debeat se impedire de prædictis. Saluo quod liceat sibi diligenter inquirere ne per

fraudem dentur alicui carcerato ferramenta, vel aliqua alia, ex quibus carceres frangi possint. Et teneatur quilibet notarius notificare dictis aduocato,& procuratori qualibet legata carceratis relicta in testamentis, de quibus erit, & similiter notificare cancelario communis Paduæ, qui præerit chartis registrandis, & dictus cancelarius debeat talia legata scribere in vno libro per se,& notificare dictis aduocato,& procuratori qualiter,& quādo talia legata facienda sunt.

DE APPELLATIONIBVS RVBRICA.

APPELLARI possit à qualibet sententia,& grauamine infra tempus à lege concessum,saluo quod in questionibus, quæ tangerent commune Paduæ occasione datiorum,affictationum,redditutum,damnorum datorum, & maleficiorū appellari non possit, nec etiam appellari aliquo modo ab aliqua sententia lata in publica concione, nec ab ea supplicari, vel restitutio in integrum postulari, aut nulla dici possit. Et non possit appellari in aliquo casu ab aliquibus sententijs, à quibus vetitum est appellari Et in quocunq; casu appellatio permissa est à sententia vel grauamine non possit per aliquam partium, nisi semel tantum pro parte, & quælibet pars possit semel tantum appellari,& non vltra.

SI lata ſententia erit in principali caſu per D. Poteſtatem Paduæ, fiat appellatio ad dominos iudices per dominium deputatos. Si vero ſententia lata eſſet per vicarium domini poteſtatis, debeat fieri appellatio ad dominum poteſtatem Paduæ. Et vbi dominus vicarius gerit vices D. Poteſtatis, appelletur ad dominum poteſtatem paduæ, & ad dictos dominos iudices per dominium deputatos in arbitrio appellantis. Si autem ſententia lata eſſet per aliquem alium iudicem poteſtatis, vt per iudicem victualium, vel Aquilæ, tunc appellari poſſit ad poteſtatem paduæ, vel vicarium eius, vel ad alterum iudicem poteſtatis in arbitrio appellātis. Saluo, & excepto ſemper iudice maleficiorum. Si vero ſententia lata fuerit per aliquem iudicem communis officialem, poſſit appellari ad D. Poteſtatem Paduæ, vel ad eius vicarium, vel ad iudicem victualium, vel ad iudicem Aquilæ in arbitrio appellantis. Et victor in cauſa principali ſi ſuccubuerit in appellatione, poſſit ſe appellare ad iudicem competentem vt ſupra declaratū eſt arbitrio ſuo, dumtamen iudex, qui tulit ſententiam in principali, à qua appellatur, non poſſit intereſſe cognitioni, & examinationi cauſæ appellationis.

APpellans, vel dicens ſententiam nullā, vel petens reſtitutionem in integrum principaliter agendo, vel petendo per viam agendi contra ſententiam ſiue ordinarie, ſiue ſummarie procedatur, teneatur ſemper infra octo dies poſtquam porrexit libellum, vel etiam ante coram iudice, qui co-

gniturus

gniturus eſt de appellatione, vel nullitate, vel reſtitutione ſatisdare de reſtituendis expenſis tã cauſæ principalis, quam etiam appellationis, nullitatis, & reſtitutionis in integrũ victori infra 15. dies. ſi ſuccubuerit in cauſa appellationis, nullitatis, vel reſtitutionis, & de libris 25. paruorum ſoluendis pœnæ nomine, ſi non obtinuerit, cuius pœnę medietas ſit communis, alia partis ſit aduerſæ, in pœnam tamen nullam incidet ſi fuerit pronunciatum ſuper vacuo appellatum eſſe, quia ſententia fuerit nulla. Et nullam etiã pœnam patiatur, ſi obtinuerit in parte, vel ſi partes fuerint concordes ante sẽtentiæ prolationem, vel ſi pars appellans renunciauerit appellationi coram iudice ad quẽ, vſq; ad locationem termini dati ad probandum à iudice, vel à lege, vel ſi non produxerit libellum appellatorium ad quem. Et in quolibet caſu prædictorum duorum vltimorum condemnetur appellans in ſolidis centum paruorum. Quam ſecuritatem ſi non dederit, vel ſi iudicem, qui cogniturus eſt de appellatione, non adiuerit infra dictum tempus 15. dierũ & libellum non porrexerit, vel fuerit negligens in proſequenda appellatione prædicta ſecũdum formam ſtatutorum, tunc ſententia maneat rata. Et intelligatur negligens, niſi infra tempus inſtantiæ duntaxat cauſa appellationis fuerit expedita.

SI appellatum fuerit à ſentẽtia diffinitiua, vel interlocutoria, vel ab alio grauamine in caſibus, in quibus appellari poteſt ſecundũ iura ciuilia, vel ſtatuta ciuitatis Padue, tunc appellator coram po-

teſtate,

testate, vicario, vel iudice ad quē appellauerit, causā appellationis prosequatur hac forma videlic. qu appellator postquam appellauerit, adeat infra 15. dies iudicem, qui cogniturus est de appellatione, & citata aduersa parte legitime, vel præsente porrigat libellum appellationis, & porrecto libello appellationis ad quem, pars appellata si voluerit dicere appellationē non procedere, exprimat ea die, vel sequenti prima die iuridica quare nō procedat. Et iudex hoc terminet infra 10. dies, à qua terminatione appellari non possit. Et si facta terminatio prædicta per iudicem non fuerit, tunc elapsis dictis 10. diebus ipso iure terminus super meritis causæ appellationis sit locatus, & dictæ causæ non probatę etiam quantū ad probandū in dicto termino appellationis reseruatæ intelligātur. Et si nihil opponatur ea die, vel sequēti prima iuridica, vel si opponatur & oppositio non impediat processum, tunc iudex medius elapsa dicta die, vel sequēti prima iuridica incontinenti præfiniat & præfinitus intelligatur. Si verò ordinarie procedatur, tempus 20. dierum partibus statuatur ad probandū de iure suo quicquid probare uoluerint absque aliqua litis contestatione facienda, quo termino transacto si aliqua partium se præsentauerit infra tertiam diē iuridicam, & dixerit se fuisse impeditam iusto impedimento, & illud suo iuramento affirmauerit, tunc habeat spatium ipso iure octo dierum pro secunda dilatione ad probandum quicquid voluerit in dicta causa. Quibus terminis transactis iudex

infra

infra 20. dies per se, vel de consilio sapientis, vel sapientum assumptorum modo ordinato per statuta in casu, in quo assumi poterint, diffiniat causã appellationis secundum formam iuris statututorũ communis Paduę. Quod si non fecerit, non pereat propterea instantia causæ, sed dominus potestas, vel vnus ex suis iudicibus requisitus per aliquam partium in pęna librarum ducentarum sibi auferenda tempore sindicatus, cuius medietas sit communis, altera partis instantis, teneatur & debeat parte instante compellere remediis prætorijs iudicem de medio ad expediendum causã, si per se expedienda erit, vel si commissa esset causa consilio sapientis, compellere debeat sapientem, vel sapientes assumptos scribere consilium suum, & illud scriptum dare iudici, qui de appellatione cognoscit. Et etiam cõpellatur iudex, qui cognoscit de appellatione, diffinire causam appellationis postquam sibi datum fuit consiliũ sapientis secũdũ formam consilij dictorum sapientum, vel minoris partis eorum. Et in prędictis dilationibus non cõputentur feriæ cuiuscunque conditionis sint, si totum tempus dictarum dilationum, vel maior pars ipsius tẽporis esset feriata. Et idem seruetur in eo, qui sententiam dixit nullam, vel restitutionem in integrum postulauerit cõtra sententiam, vel super processu alicuius quæstionis. Si vero causa fuerit talis, q̃ in principali quæstione processum fuisset summarie, vel sit sententia dicta nulla, vel petita restitutio in integrum, procedatur & cognoscatur

breuiter,

breuiter,& summarie,& sine strepitu,& figura iudicij,& de plano. Et in his casibus appellationum, vel qui sententiam dixerit nullam, vel restitutionẽ in integrũ postulauerit, teneatur infra octo dies à die interpositionis appellationis, vel nullitatis, vel postulationis restitutionis in integrõ porrigere libellũ appellationis, nullitatis, vel restitutionis coram iudice, qui de prædictis cogniturus est, & satisdare de expensis restituendis, et de libris vigintiquinque soluendis pœnę nomine, si succubuerit in causa vt supra ordinatum est in statuto quod incipit. Appellãs, in pręsenti rubrica posito. Et si prædicta seruata non fuerint, sentẽtia maneat rata, alię vero dilationes, computando à dilatione octo dierum proxime dicta in causis ipsis appellationis, nullitatis, & restitutionis in integrum, si porrecto libello nulla executio opposita fuerit ea die, vel sequenti prima iuridica assignentur arbitrio iudicis, dumtamen non possint dari vltra duæ dilationes.

Si autem porrecto libello appellationis ad quẽ, vbi summarie procedatur, pars appellata voluerit dicere appellationẽ nõ procedere, exprimat causam, quare non procedit. Et iudex medius circa talem oppositionem determinet, & obseruet vt supra in proximo statuto de oppositione in ordinarijs declaratũ est. Saluo ꝙ in summarijs iudex statuat terminũ ad probãdũ arbitrio suo, vt dictũ est.

CAusa appellationis & nullitatis simul & in eodem libello tractari possit, dummodo in libello proposita semper sit specialis, legitima, & suffi-

ciens causa nullitatis, aliàs causa nullitatis non expressa in libello non procedat, & eodem modo super nullitate non procedatur quando sentētia est dicta tantum iniqua, seu iniusta. Et si causam nullitatis non proposuerit legitimam, vel eam legitime propositam non probauerit, incontinenti hoc cognito, & declarato per iudicem, coram quo tractatur quæstio, condemnetur, & mulctetur productor libelli nullo alio processu, vel ordine iuris exquisito in libris decem paruorum, & in duplo expensarum parti, cum qua litigat.

OMnia acta principalis causæ & sentētia diffinitiua, a qua appellatur, & quicquid postea secutum est vsque ad libellum appellatoriū, ad quem inclusiue, intelligantur esse producta, si vere producantur. Idem intelligatur quando sententia dicitur nulla, vel quando restitutio postulatur.

TEstes illi, qui in causa principali recepti & examinati ritè sunt, & quorum attestationes sunt publicæ, non possint examinari, & recepi in causa appellationis super eisdem capitulis, super aliis autem capitulis in causa appellationis, & restitutionis in integrū, & reductionis ad arbitrium boni viri possint recipi, & examinari. Alij vero testes possint etiam super primis capitulis examinari in causa appellationis tantum.

IN causis appellationum, nullitatis, & restitutionis in integrū incipiat currere instantia à die locationis termini dati ad probādum, et procedatur secundum formam statutorum suprascriptorum

sub

ſub rubrica poſitorum præſenti de Appellationibus, & duret inſtantia quatuor menſes, & non vltra in cauſis ordinariis. In ſummariis vero duret inſtantia prout, ſecundum quantitatem ſummę, & valoris in principalibus cauſis ſummariis ſtatutum eſt, & non vltra. Ita tamen, ꝙ ſolum cauſæ inhibitionis, compromiſſi, ſuſpitionis, competentiæ, exceptionis, & accuſationis de falſo, impediatur curſus tēporis inſtantiæ prædictæ, quæ tantū tempus durabunt, quantum ſecundum, quod de inſtantiis in principalibus cauſis ſtatutum eſt ſiue ſummarie, ſiue ordinario iure procedatur. Et ſaluo ꝙ ſi vltima dies inſtātię eſſet feriata, poſſit fieri, & ferri sētētia prima die ſequenti non feriata. Et valeat hoc caſu ſententia tanquā ſi lata eſſet infra tempus inſtātiæ.

SI ſententia arbitri, vel arbitratoris, aut cōpromiſſarii nulla diceretur, vel ab ea poſtuletur reſtitutio in integrum, vel ſi peteretur reduci ad arbitrium boni viri, procedatur ſummarie breuiter, & de plano abſque litis conteſtatione, dummtamen in ipſo libello cauſæ nullitatis legitime, & ſpecialiter exprimantur. Et non poſſit peti reduci ad arbitrium boni viri, niſi infra 10. dies tantum à die latę ſententiæ computandos, infra quem adeatur iudex, qui de reductione cogniturus eſt, & coram eo infra dictum terminum præſente parte aduerſa, vel legitime citata, petens reductionem porrigat petitionem ſuam.

PRimo ꝙ concedatur, ꝙ interpoſita appellatione ad illuſtrem dominationem partes coram ea

compareant, & dent confidentes vni, ex quibus cōmittatur causa, vt partes possint in suis habitationibus causas suas tractare, & non cogantur stare extra domos suas cum magnis damnis, & expensis. Et hoc semper solitæ erant facere dominationes præteritę ad id, quod volumus quod appellationes secundum solitum Venetijs deferantur.

ITē quod si appellationes deberent Venetijs terminari, quod prouideatur primo, quod processus appellationum non differatur vsq; ad reditū potestatis, quia hoc est magnum incommodū partium tātum differre nec etiam necesse est spectare, quia rectores ferunt sententias suas de consilio alterius. Ad quod respondetur quod de appellationibus interponendis de sententiis, quæ facta sint, aut fient per potestatem Paduæ de consilio sapientis, non differantur eorum interpositiones, nec prosecutiones vsque ad reditum potestatis, immo sicut statuta Paduæ disponunt ab eisdem appellari debeat Paduæ infra decem dies ab ipsarum pronunciatione, & postea ab eisdemmet appellantur in Venetiis ad officium Auditorum vsque ad vnum mensem. Et infra spatium aliorum quatuor mensium pars appellans appellationē prosequi teneatur. Alioquin tam appellatio, q̃ prosecutio expirasse intelligatur. De sententiis autē, quas potestas ex suo officio, & arbitrio absque consilio sapientis profert, differri debeat appellatio, si idem potestas earum defensioni voluerit interesse. Quo casu pars appellare volens habeat terminum appendi vsque

ad

ad vnum mensem post exitum potestatis, & prosequendi appellationem infra quatuor menses. Sed si potestas noluerit interesse, obseruetur in appellatione, & prosecutione modus superius declaratus.

Itē prouideatur, quod ille, qui succumbit in appellatione, soluat caractos, aut quod nulla pars soluat sicut fit Paduæ. Nā hoc est iniquum vnam partem debere soluere, & aliam non. Ad quod ordinetur, quod si ex intromissione Auditorum aliqua sentētia per nostra consilia reuocata fuerit, vel incisa, ipsi Auditores habeant sicut habent ad præsens à parte succūbente in appellatione suos caractos solitos videlicet quinque pro centenario, quorum medietas nostro communi, alia vero medietas ipsi Auditoribus applicetur. Si aliqua sententia per dictos Auditores intromissa, & ad consilia placita, ab ipsis consilijs fuerit approbata, pars quæ appellasset, & contra quam dicta sententia approbata fuisset, totidem caractos soluere debeat. Qui caracti in nostrum commune integraliter conuertātur, quia non cōuenit, quod Auditores de huiusmodi sentētiis contra eorum opinionem, & intromissionem, vt prædicitur approbatis, vtilitatem vel commodum consequantur. Similiter etiam si Auditores ex auctoritate, & libertate eis attributa sententiam aliquam sine consilijs reprobauerint, vel laudauerint, nullā partem de caractis habeant, quia non est iustum, quod ad vtilitatem propriā id faciāt, postquam à talibus reuocationibus, & incisionibus, ac etiam approbationibus sententiam ex

arbitrio suo factis non possunt vlterius ad quempiam appellari. Sed ipsi caracti omnes ad nostrum commune deueniant.

Itē prouideatur, vt sit finis appellationibus, quod si Auditores approbant sentētias, quod appellās amplius non audiatur per successores ne procedatur in infinitum, sicut fit secundum statuta ciuitatis Paduæ, & ius cōmune. Ad quod statuatur, quod si aliqua sententia per tres Auditores concorditer fuerit approbata, firma remaneat in perpetuum, & nemo ab ea possit vnquam vlterius appellari, sicut statuta Paduæ & ius commune disponunt.

Itē prouideatur, quod si sententia, à qua est appellatum, reperiatur non bene lata, non reducantur partes in primum statum, vt finis possit esse litibus, sed reformetur sententia secundum ꝙ iura volunt. Ad quod placet nobis, ꝙ si aliqua sententia, à qua fuerit appellatū, reperietur non in totū, sed in aliqua sui parte male & indebite lata, ipsa sentētia reformari possit in ea parte, in qua defectus, vel iniustitia reperiretur. Et ꝙ in reliquis partibus, in quibus ipsa sentētia bene lata fuerit, firma remaneat, sicut iura volūt. Vt ex particulari defectu tota sentētia nō retractetur, & vt finibus litis imponatur.

Itē prouideatur, quod secūdum illa iura & statuta procedatur in causis appellationum secūdum ꝙ procedi debet, & processum est in principali, & vt prædicta possint fieri, ꝙ ad instantiū vnius partis domini Auditores teneantur eam cōmittere de numero confidentiū ad consiliū sapientis secundū

quod

quod ipsa causa terminari debeat ꝑ ipsos Auditores prout statuta Paduæ volunt, quæ sunt cõfirmata per dominationẽ nostrã. Ad quod contẽtamur, ꝙ in cognitione & decisione appellationũ seruẽtur illa statuta & iura, quæ in causis principalibus obseruantur. Et Auditores accipiant illas declarationes attestationes, scripturas, & ꝓbationes, quę pro fauore vtriusque partis fuerint opportunę, reiectis dilationibus & libellis, vt partes à longis laboribus & sumptibus subleuentur. Et si ambæ partes vel etiam vna earũ requisierint causam appellationis committi ad consilium sapientis, vni vel pluribus de numero confidẽtium secundum formam statutorum Paduæ, dicti Auditores eam committere teneantur. Et ipsam causam appellationis terminare & decidere secundum formam consilij suprascripti. Data in nostro Ducali palatio die 15. Febr. indictione octaua 1414.

THomas Mocenicus Dei gratia Dux Venetiarum, Nobilibus & sapientibus viris Egidio Mauroceno de suo mandato Potestati, & Sancto Venerio militi Capitaneo Paduæ, & successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectũ. Fecimus pridem cum nostris consiliis rogatorũ & addicta certas prouisiones, & reformationes super factis appellationum sententiarũ, quæ concurrunt ad officium Auditorum nostrorũ nouorũ sententiarum sicut in litteris nostris datis 15. Febr. proximè præteriti dictas prouisiones & multa alia cõtinẽtibus, circa capitula nobis porrecta pro parte

illius fidelissimæ communitatis nostræ Paduæ par-
ticulariter & ordinate cauetur. Verum quoniam
super dictis prouisionibus appellationũ certa du-
bia resultabant, ea cum nostris cõsiliis rogatorum,
& addicta reformauimus & deliberauimus sicut
inferius contra videlicet. Quod secundum capita-
lum super ordine appellationũ reformetur in tan-
tum quod appellantes habeant terminum duorum
mensium appellandi in Venetiis à sententiis, de
quibus appellauerint Paduæ in termino decẽ die-
rum, licet in dicto capitulo dicatur de vno mense,
in reliquis autem sicut dictum secũdum capitulum
cõtinetur, obseruetur. Ad tertium autem addatur,
ꝙ etiam de causis, quas Auditores mittent ad con-
silium sapientis, & quas diffinient secundum for-
mam cõnsilij, quod habebunt ipsi Auditores ha-
beant caractos suos, siue dictæ causæ anquã bene
latæ fuerint approbatę, siue fuerint reuocatę tanq̃
male latæ, siue in parte aliqua reformatæ, sicut de
sententijs, quæ per eorum intromissionem & pla-
citationem in nostris consiliis incisæ fuerint, vt in
ipso tertio capitulo dictum est. Sextum vero capi-
tulum reformetur, & totũ corrigatur in hunc mo-
dum videl. ꝙ in cognitione & decisione appella-
tionum seruentur illa statuta & iura, quæ in causis
principalibus obseruantur. Et Auditores accipiãt
illas declarationes, attestationes, scripturas, & pro
bationes, quæ pro fauore vtriusque partis fuerint
opportunæ, reiectis dilationibus & libellis vt par-
tes à longis laboribus & sumptibus subleuentur. Et

ſi ambæ partes vel etiam vna earum requiſiuerint cauſas appellationum de cætero interponẽdarum ſuper ſentẽtiis latis, aut ferendis de conſilio ſapiẽtis committi ad conſiliũ ſapientis, dicti noſtri Auditores eas committere teneãtur. Sed ſit in eorum arbitrio mittere cui, vel quibus eis videbitur de collegio doctorum Paduæ, dummodo non mittant alicui ſuſpecto partibus, vel alicui earum. Et ꝓpter hoc partes debeant ſuſpectos primo dictis Auditoribus declarare. Et dicti Auditores diffinire teneãtur & terminare ſecundum conſilium, quod habebunt. De appellationibus autem ſententiarum latarum, & ferendarum per poteſtatem noſtrum Paduæ ex arbitrio & officio ſuo ſecundum formam ſtatutorum Paduæ ſine conſilio ſapientis. Cætera autem capitula, ac prouiſiones, ordines, & reſponſiones tam circa factum appellationum cum modificationibus ſupraſcriptis, quam circa alia ſicut in noſtris aliꝭs præfatis litteris continetur firma remaneant, & inuiolabiliter obſeruentur, mandantes vobis cum dictis noſtris conſiliis, quod ea omnia quantum ad vos attinent, obſeruetis, & faciatis integre & effectualiter obſeruari. Dat. in noſtro Ducali palatio die 14. menſis Martij, inditione 8. 1415

Pars capta Venetijs in conſilio rogatorum anno Domini 1430. die tertio menſis Nouemb.

QVoniam pro parte fidelis ciuitatis noſtræ Paduæ nobis ſupplicatum fuit, vt cum in cauſis appel-

appellationum, quæ coram nostris Auditoribus nouis interponuntur per ciues,& districtuales Paduanos quandoque non proceditur secundum formam statutorum ciuitatis nostræ Paduæ, quæ per nostrum dominium sibi confirmata fuerũt, dignemini mãdare quod statuta ipsa obseruentur. Vadit pars,quod auctoritate huius consilii eisdem Auditoribus nouis iniungantur,quod in alijs causis ciuilibus,quæ coram eis interponuntur, tam per fideles nostros Paduanos, q̃ per quoscunque alios nostros subditos & fideles ab earũ ciuitate & terrarũ nostrarum de nouo acquisitarum, debeant statuta terrarum prædictarum, sub pœna librarũ centum paruorum pro quocunq; ipsorum de suis propriis bonis exigenda per Aduocatores nostri communis obseruare,quibus hoc committimus.

Frãciscus Foscari Dei gratia dux Venetiarũ,&c. Nobilibus & sapientibus viris Marco Dandulo de suo mandato potestati Paduæ & successoribus suis fidelibus dilectis salutem & dilectionis affectum. Cupientes quantum nobis sit cum honestate possibile omnes subditos, & fideles nostros à laboribus & sumptibus sublęuare, & vt in eorum causis & negociis expeditionem celerem consequantur vtiliter prouidere cum nostro consilio rogatorũ & additionis, deliberauimus, ac firmiter statuimus imposterum obseruandũ. Quod sicut hactenus consuetum est,quod appellationes sententiarum, quæ pronũciantur in terris, & locis nostris à parte terræ, seu aliquibus earum de consilio sapientis inter-

ter-

terponuntur ad Auditores nostros nouos senten-
tiarum, qui ad requisitionem partium, vel vnius
earum teneantur tales sententias in causa appella-
tionis remittere ad cōsiliū sapientis, datis per par-
tes confidentibus, & suspectis, secundum quorum
consilium postmodum dicti Auditores nihil ad-
dendo, vel minuendo pronunciare teneantur. Et
per hunc actum accipere consueuerunt caractos
quinque pro centenario, ita de cętero obseruetur.
Quod appellationes sententiarum, quæ in omni-
bus terris & locis nostris à parte terræ de cætero
proferentur de consilio sapiētis, interponi debeant
& vadant ad potestatem illius nostræ ciuitatis, vbi
dictæ sententiæ latæ fuerunt de consilio sapientis.
Qui potestas cum curia sua sit index, & diffinitor in
causa appellationis. Et si partes vel aliqua earum
requirerent causam appellationis committere cō-
silio sapiētis, potestas ipse eam committere tenea-
tur vni de numero confidentium. Et postmodum
habito consilio illius sapiētis, cui causa appellatio-
nis delegata fuerit vel commissa, aperiat illud, &
pronunciet secundum eius continentiam, sicut Au-
ditores facere consueuerunt. Verum vt subditi
nostri quantum possibile sit ab expensis alleuien-
tur, ex nunc declaratum & ordinatum sit, ꝙ recto-
res nostri, aut alii sui officiales habere non debeant
illa quinque pro centenario, nec aliquid aliud de
expensis, quas subditi nostri ad officium Audito-
rum habere consueuerunt. Data in nostro Ducali
palatio die 8. Iulii inditione decimatertia 1435.

Fran-

Franciſcus delaſiega. A tergo, Nobilibus, & ſapientibus viris Marco Dandulo poteſtati Paduæ, & ſucceſſoribus ſuis.

DE DIFFERENTIIS, ET COMPROMISSIS INTER CONIVNCTOS. RVBRICA.

Poteſtate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

SI lis, quæſtio, vel controueſia oriretur inter aliquos propinquos, ſeu coniunctos vſque ad tertium gradum incluſiue, intelligendo gradus agnationis, vel cognationis de iure canonico, vel inter affines aliquos vſque ad ſecundum gradum affinitatis incluſiue, intelligendo gradus affinitatis de iure canonico. Quilibet iudex requiſitus per aliquam partium, poſſit & debeat partes ipſas cogere, & compellere ad compromittendum ſe de iure & de facto, vel in vnum tantum, quem arbitrum & arbitratorem vtraq; pars concorditer eligãt, vel in tres tantum ſecundum quod erunt in concordia. Et ſi eligere tres arbitros, vel arbitratores voluerint, tunc quælibet pars eligere poſſit vnum, quem velit pro parte ſua. Tertius vero eligatur vel concorditer per vtranque partem, vel per dominum poteſtatem de numero confidentium datorum per partes vſq; ad numerũ viginti pro parte, ſi partes in electione

tertij

tertii discordes essent. Si vero vsque ad illum numerum datis confidentibus partes in aliquo non conuenirent, tunc datis suspectis per partes vsque ad numerum decem pro quaque, dominus potestas extra numerum suspectorum tertium arbitrum suo arbitrio eligat. Possitque D. Potestas tertium eligere arbitrio suo], nisi ad mandatum domini Potestatis suspecti dati non essent. Et teneatur quælibet partium eligere suum infra tertiam diem ad præceptum iudicis sub pœna librarum 25. paruorum, cuius pœnæ medietas sit communis, & altera partis eligẽtis, & nihilominus compellatur eligere suum, & compromittere se teneatur sub eadem pœna secundum formam prẹsentis statuti. Et pars quælibet debeat sub dicta pœna facere, ꝙ electus ꝑ parte acceptet, vel renuat exprefse infra tertiã diem, cõputando à die electionis suæ. Et si electus aliquis renueret, vel non acceptaret expresse in dicto termino, tunc & eo casu pars illa, quæ talem elegerit, teneatur & debeat sub eadem pẹna eligere infra tertiam diem alium loco eius, qui renuisset vel nõ acceptasset expresse, & habeat similiter terminum trium dierũ ad faciendum, quod ille secundus electus renuat, vel acceptet expresse sub pœna iam dicta. Si vero secundus electus renueret, vel non acceptaret exprefse infra dictum terminum, tunc pars illa, quæ istum elegisset, teneatur, & debeat tertio sub pœna librarum quinquaginta paruorum diuidenda vt supra eligere alium infra tertiam diem, qui expresse & sine vlla exceptione ac-

ceptet.

ceptet. Si verò ille, qui tertio electus erit, omnino renueret, vel non acceptaret expresse, tunc & eo casu D. Potestas Paduæ possit & debeat cogere partes dare sibi suspectos suos. Et hoc casu nō possit aliqua partium dare suspectos vltra quinq; personas. Quibus suspectis datis, vel per contumaciā non datis infra terminum assignatum, D. Potestas ad petitionem alterius partis, debeat infra tertiam diem postquam habuerit suspectos, & post terminum lapsum, vbi dati non essent suspecti, & requisitus fuerit eligere vnum, quem velit, & putet habilē & sufficientem, quem pęna suo arbitrio imponenda cogat (si ei videbitur) ipsum compromissum acceptare, & quocunque in causa acceptatione facta teneantur, & possint electi, sola, pura, & mera veritate inspecta quibuscunq; diebus, horis, & locis de iure, & de facto vt sibi ęquius, & melius videbitur procedere, & terminare, ac sententiam, & laudum suum ferre infra terminum 60. dierum, computādum a die, qua legitime per omnes electos acceptatio facta erit. Acceptatione autem facta partes debeant coram electo, seu electis petere quicquid volunt, & petitiones suas porrigere, seu exponere, & in actis scribere facere vsque ad octo dies. Et petitione in actis suprascripta, vel producta habeat pars aduersa terminum trium dierū ad respondendum petitioni quicquid vult, exinde partes habeāt terminū 25 dierum ad probandum, & probatum habendum quicquid velint de iure suo, quo termino elapso, processus sit ipso iure, & intelligatur

esse

eſſe publicatus. Et partes habeant terminum triũ dieru ad opponendũ quicquid volunt. Et ſi aliquid in dicto termino oppoſitum fuerit, habeant terminũ octo dierũ ad probandum, & probatum habendum quicquid volunt ſuper oppoſitionibus factis.

Quibus terminis elapſis partes vlterius nõ audiantur, niſi ad allegationes iuris. Poſſint tamen partes, ſi cõcorditer voluerĩt, maiorẽ terminũ ponere in compromiſſo, ſeu compromiſſum prorogare, & terminos alios ſibi concorditer conſtituere maiores, & minores, prout qualitas differẽtiæ & partiũ volutas erit. Et arbitri ſeu arbitratores electi in reſiduo temporis, quod dilationibus elapſis reſtat, debeant proceſſum, probationes, & iura partium videre, & diligenter examinare, & eam finire infra terminum compromiſſi. Et lata ſententia poſſit quælibet partium petere reductionem ad arbitriũ boni viri ſemel tantum, & nõ vltra, & ꝗ reductio ipſa peti debeat infra decem dies, computandos à die illa, qua ſentẽtia lata erit. Et ſi reductio nõ fuerit petita in termino prædicto, tunc ſentẽtia remaneat, & ſit firma. Et nulla partiũ poſſit elapſo termino prædicto petere, ꝗ ſententia reducatur ad arbitrium boni viri. Si vero per aliquam partium in termino ſtatuto petita fuerit reductio ad arbitriũ boni viri, tunc debeãt, & teneantur, & cogantur partes ſe iteru cõpromittere in vnũ vel tres, & eligere ac ꝓcedere in omnibus, & per omnia ſecũdũ ꝗ ſupra de primo cõpromiſſo, & cauſa pricipali ordinatũ eſt. Et ſimiliter (vt dictũ eſt) altera pars

(ſi

(si voluerit) possit petere, quod sententia lata per secũdos arbitros reducatur ad arbitrium boni viri. Et tunc eodem modo partes cogantur eligere, & se compromittere, vt dictum est. Et in hac secunda reductione procedatur, & fiat in omnibus, & per omnia, prout ordinatum est de primo compromisso. Et vlterius nulla partium possit petere reductionem ad arbitrium boni viri. Et intelligantur boni viri inter tales propinquos quicunque etiam homines illiterati, qui secũdum formam præsentis statuti electi erunt. Et D. Potestas, ac quilibet iudex requisitus possit, & debeat compellere remedijs prætorijs electos arbitros, & arbitratores ferre sententiã, & causam expedire, & terminare in termino compromissi, cum salario tamen condecenti sibi per partes, vel per iudicem taxando. Si verò aliquo casu ipsæ quæstiones, lites, siue controuersiæ in termino compromissi expeditę non fuerint, tunc arbitri electi nullum salarium habere debeãt, sed habitum restituant. Et partes, seu altera earum hoc casu, & non aliter, possint ad iudicem ordinarium ire si velint pro libera voluntate sua. Et vlterius se compromittere super eisdem differentiis non cogantur.

SI qua ciuilis causa, quæstio, contentio, vel controuersia fuerit inter aliquos propinquos, vel affines, seu coniunctos aliquo gradu parentelæ, vel affinitatis, intelligendo parentelam, & affinitatẽ esse inter omnes, inter quos prohibitum est matrimonium de iure canonico, dominus potestas, &

eius vicarius, & quilibet alius iudex deputatus ad rationem reddendam, cognoſcat, & cognoſcere debeat de ipſa quæſtione, cauſa, contentione, vel controuerſia ſummarie, de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, & omiſſa omni ſolemnitate iuris ex fine debito debeat de iure terminare.

DE PRÆSCRIPTIONE POSSESSIONVM. RVBRICA.

QVicunque poſſedit, ſeu de cætero poſſidebit poſſeſſiones aliquas poſitas in Padua, vel Paduano diſtrictu per 20. annos pacifice, & quiete per ſe, vel per ſuos auctores, iuſtam habeat præſcriptionem, & defenſionem. Et intelligatur verus dominus, etiam titulo non oſtenſo abinde in antea ipſe, vel eius heredes, ſeu aliqui ab eo cauſam habentes, nõ poſſint de ipſis poſſeſſionibus inquietari, ſeu moleſtari modo aliquo, etiam per hypothecariam per aliquos ratione ipſius poſſeſſionis. Et hoc locum non habeat contra commune Venetiarum, neque contra commune Paduæ, & ſit præciſum.

DE PIGNORIBVS, SEV TENVTIS ACCIPIENDIS, CONSIGNANDIS, ET SVBHASTANDIS. RVBRICA.

NVllus creditor etiam ex forma alicuius pacti, ſeu vigore alicuius cõtractus poſſit accipere,

seu accipi facere, aut vendere, seu vendi facere etiã cum auctoritate iudicis, pignus vel tenutam de bonis alicuius, etiam debitoris, vel fideiussoris, nisi ex causis & modis præmissis, & ordinatis à iure, & secundum formam statutorum Paduæ. Et si aliter factum fuerit, nõ valeat, neque teneat de iure, nec de facto, & nihilominus puniatur creditor in libris vigintique paruorum. Et iudex, qui commisit tenutam accipiendam, seu vendendi licentiam dedit condemnetur in libris decem, & notarius, qui prædicta scripsit, condemnetur in solidis centum. Et talium pœnarum medietas sit communis Paduę, & altera medietas sit accusantis.

PIgnorationes, sequestra, & interdicta committi possint, & fieri in casibus premissis à iure, & per statuta communis Paduæ concessis, & declaratis supra in rubrica de Citationibus, & ordine procedendi in ciuilibus causis,

QVandocunq; pignus, seu tenuta de bonis alicuius accipienda est, siue propter cõtumaciam, siue pro affectu, seu liuello vel mercede nõ soluta, vel alia causa debita secundum formã iuris, & statutorum cõmunis Paduæ, seruetur ordo talis uidelicet, quod primo fiat de cõmissione iudicis de medio per vnum ex suis notariis vna cedula, seu commissio, in qua ponatur annus, inditio, mẽsis & dies, & declaretur, quod talis iudex est tale officium deputatus committit cuilibet præconi cõmunis Paduę habenti cedulam ipsam, quod accipiat pignus, vel tenutã de bonis talis personæ pro tali debito,

ſeu quantitate, & pro expenſis propter contumamaciam, vel pro tali cauſa ad petitionem talis perſonę, ſeu procuratoris ſui, ſaluo iure omnium perſonarum. Et cum ipſa cedula præco requiſitus ad inſtãtiam partis, ſeu officialis ad hoc deputatus teneatur, & debeat ire ad domũ habitationis illius, qui pignorandus eſt, & petere ab ipso, vel ab vxore, vel ab alio de familia ſua, quod det ſibi pignus, vel tenutã de bonis ſuis pro tali debito, notificãdo ſibi qualiter iuit ad pignorãdum illum voluntarie ſecundum commiſſionem, & tenorem cedulæ ſibi datæ. Et hoc caſu ſit in arbitrio debitoris, ſeu illius de familia ſua, qui præcone requiſitus fuerit dare, aut vetare pignus præconi voluntate petẽti, ſalua tamen pœna, quæ per ſtatuta imponitur vetãti pignus. Et ſi debitor vel alius de familia ſua requiſitus voluntarie dare pignus præconi vetuerit, tunc de cõmiſſione eiuſdem iudicis per illum, vel aliũ ex notarijs dicti iudicis facta relatione de pignore vetito, ſcribatur & fiat vna alia cedula etiam incõtinenti ad petitionem actoris, ſeu procuratoris ſui ad accipiẽdum pignus, ſeu tenutam de bonis talis per vim, quia uetuerit pignus dare, ſaluo iure omnium perſonarũ. Et cũ iſta ſecunda cedula præco ille vel alius cum barod erio vno, vel pluribus attẽta qualitate facti, & perſonæ debeat ire ad domũ habitationis illius pignorãdi, & p vim accipere pignus de bonis ſuis ſecundũ tenorẽ, & cõmiſsionẽ cedulæ ſibi datæ. Locũ tamẽ nõ habeat, neque neceſſaria ſit cedula ad pignorãdũ volũtarie, quãdo agitur exe-

quendo ſententiam vel præceptum, aut vigore inſtrumenti ſtipulationis vallati procedendo ſecundum formam ſtatuti quod incipit. Quicunque voluerit agere debito ſtipulationis vallato, poſito ſub rubrica de Citationibus. Sed poſſit in quolibet caſu dicti ſtatuti quandocunq; aliquis pignorandus erit, fieri cedula & mitti præco cum baroderio vno, vel pluribus ad accipiendum per vim pignus ſeu tenutam de bonis debitoris. Poſſint tamen fieri duæ cedulæ, videlicet voluntaria & per vim in caſibus dicti ſtatuti, ſi creditori placuerit.

NOn audeat aliquis dare aliquam cedulam pignorationis, tenutæ, ſequeſtri, vel interdicti factam de commiſſione alicuius iuſdicentis ad aliquod officium, ſeu locum in ciuitate Paduæ vnicuique præconi, vel baroderio, ſed dare & præſentare teneatur, & debeat quilibet cedulas pignorationis ipſas officialibus ad hoc deputatis, videlicet ſi cedula fuerit voluntaria, tunc debeat præſentare ipſam ſuperſtiti præconi, ſeu alteri officiali, qui ad hoc per poteſtatẽ & ſapientes ad vtilia deputatus erit. Si vero fuerit cedula per vim, tũc debeat præſentari comeſtabili baroderiorum D. Poteſtatis Paduæ, ſeu alteri officiali, qui ad hoc, per D. Poteſtatem & ſapientes ad vtilia communis Paduæ deputatos coſtitutus erit. Et quicunque cedulam aliquam dederit præconi, vel baroderio contra formã huius ſtatuti, puniatur pro qualibet perſona pignoranda in libris decem pàruorum. Et in totidem pignoretur præco, ſeu baroderius, qui cedulã

ipſam

ipſam acceptauerit , & talis pœnæ medietas ſit communis, & alia denunciantis, & nihilominus pignoratio facta non valeat. Et dicti officiales deputati ad recipiendas cedulas, teneantur habere & tenere vnum ſeu plures libros diuerſos & ordinatos ſecundum diuerſitatem locorum Paduani diſtrictus, & ſcribere ordinate in vno libro prædictorum cedulas omnes, quæ per eandẽ viam mittendæ ſunt, ſcribendo ſaltem nomen illius, ad cuius petitionem cedula facta eſt, & nomen loci, ſeu villæ, ad quam mitti debet. Et cedulas ipſa diſtribuere ſine fraude ad ſortem, vel aliter vbi ſibi ordinatum erit per dominum poteſtatem, & per dominos ſapientes deputatos ad vtilia cõmunis inter præcones ſecundum qualitatem viarum infra tres dies, computandos à die incluſiue qua ſibi cedula præſentata erit, & ſcribere in dicto libro, quando dedit, & cui dedit licentiam ipſam, & ſimiliter in reuerſione præconis ſcribere quando, & per quem ſibi cedula præſentata eſt. Et poſſit dictus officialis à præcone, cui dabit cedulam, accipere pro qualibet cedula exequenda in ciuitate Paduæ denarios duos paruulos. Et ſi in vna cedula eſſent plures perſonæ tunc accipere poſſit a præcone pro qualibet perſona denarium vnum paruulum, dummodo non excedat ſolidos duos. Duplum vero accipere poſſit de cedulis, quæ mitterentur extra ciuitatem Paduæ. Et ſi præco non reuerteretur, ſeu nõ faceret relationẽ ſuam infra terminum ordinatum ex forma ſtatutorum, teneatur dictus officialis, qui

cedulam sibi dedit, denúciare iudici Aquilæ, qualiter præco talis non fecit relationem suam infra tẽpus debitum. Et quandocunq; cedulæ exequendæ sunt per vim, teneatur comestabilis baroderiorum dare cedulam præconi (vt dictum est) & mittere secum vnum, vel plures baroderios secundum quod opus erit ad executionem cedulæ præconi datæ, & non reuertentẽ infra terminum denunciare sub pœnis prædictis. Et teneantur prædicti officiales & quilibet eorum diligenter & sine fraude obseruare prædicta omnia, & singula ad officium suum pertinentia. Et possit super prædictis omnibus, & singulis aliter prouideri quãdocunque prout melius videbitur domino potestati, cum deliberatione & consilio sapientum deputatorum ad vtilia communis Paduæ.

TEneatur quilibet præco missus ad accipiendũ pignus, siue tenutá de bonis alicuius, portare pignus, siue datũ voluntarie, siue per vim acceptũ sit, & ipsũ incontinenti asignare massario pignorum, qui ad hoc specialiter in ciuitate Paduę deputatus erit. Et hoc si pignus fuerit tale, quod per præconem commode portari, vel duci posit, vti sunt vestimenta, drapamenta, bestiæ, & similia.

Si vero pignus fuerit tale, quod præco ipsum cõmode, neque portare, neque ducere posit, vti sunt blada, vinum, vegetes, & alia vasa magna, & similia, & fuerit pignus illud datum, vel acceptum in ciuitate Paduæ, vel intra terminos campaneæ *Paduæ*, tunc præco debeat ipsum pignus quocunque

modo

modo habilius possit expensis pignoris, ipsa die, vel sequenti ad plus portari facere, & præsentare massario prædicto. Si autem pignus illud, quod neq; portare, neque ducere præco commode possit, fuerit voluntarie datum, vel per vim acceptum in aliqua villa, castro, vel loco Paduani districtus extra terminos campaneæ ciuitatis Paduę, tunc pręco possit & debeat tale pignus consignare decano ipsius uillæ, castri, vel loci, vel alicui alteri officiali, seu priuatæ personæ sufficienti de ipsa villa, castro, vel loco. Et successiue præco ipse teneatur notificare infra quinq; dies dicto massario pignorũ in Padua constituto, qualiter tale pignus consignauit tali decano, officiali, vel personæ in tali loco, & tunc massarius ipse scribere debeat dictam relationem præconis ordinate in aliqua particula libri sui. Et decanus, seu officialis, & persona qualibet de ipso loco requisita per præconem teneatur acceptare pignus illud, & acceptatum, seu consignatum sibi pignus debeat infra dies quatuor, vel infra 8. dies ad plus attenta qualitate temporum, & viarium, computando ab ipsa die exclusiue, qua pignus sibi præco consignauit, portare, & præsentare dicto massario sine aliqua requisitione, & massarius debeat expensis pignoris satisfacere sibi de labore suo portandi illud secundum qualitatem laboris & viæ.

QVilibet decanus, & officialis, ac singularis, seu priuata persona villarum, & castrorum Paduani districtus teneatur, & debeat præstare auxi-

lium,consilium,& fauorem cuilibet prçconi,& ba-
roderio requirenti, ita ꝙ possit pignora, seu tenu-
tas accipere, & omnia alia facere exequi secundum
commissionem & cedulas sibi datas,ac teneatur,&
debeat quilibet decanus, & officialis, seu priuata
persona villarum, & locorum Paduani districtus
acceptare, saluare,& custodire quęcunque pigno-
ra sibi data,& consignata per præconem aliquem
communis Paduæ.Et pignora sibi consignata por-
tare expensis pignoris, & præsentare infra termi-
num supra ordinatum dicto massario ad officium
massariæ suæ, etiam sine aliquo præcepto, vel re-
quisitione. Et quicunque contrafecerit in aliquo,
condemnetur in libris decem,quarum medietas sit
cõmunis,& alia denunciantis. Et nihilominus por-
tare & præsentare sub eadem pęna teneatur.

DE cætero præco aliquis non debeat,nec possit aliqua bona in pignus,seu tenutam acceptam (exceptis sequestris & interdictis)ponere in saluo, vel modo aliquo cõsignare,penes aliquam tertiam personam, nisi vt supra ordinatum est, consuetu-
dine quauis antiqua, vel statuto aliquo non obstan-
te. Et teneatur quilibet pręco exequi omnia & sin-
gula sibi commissa ad officium præconatus perti-
nentia, & relationem suam facere notario de me-
dio infra tempus legitimum, videlicet die ipsa, vel
saltem, vbi legitimum inpedimentum esset, die se-
quenti, vel ad plus infra tres dies,si citatio,detẽtio,
captio, pignoratio, sequestrum, vel interdictum,
seu intromissio facta fuerit in ciuitate Paduæ, vel

inter terminos campaneæ Paduæ. Si autem fuerit extra terminos campaneæ Paduæ vsq; ad quinque milliaria, teneatur præco exequi commissa sibi, & relationē suam facere vsque ad quinque dies.

Si autem fuerit in aliqua villa, vel loco Paduani districtus distante a ciuitate Paduæ vltra quinque milliaria vbicunque fuerit executio facienda, tunc præco habeat terminum octo dierum computandorum ab illa die exclusiue, qua cedulam seu commissionem habuit. Et prædictos terminos præco intelligatur habere ad plus, vbi legitima causa impeditus citius prædicta facere non posset. Si vero celerius prædicta facere posset, tunc facere teneatur sine aliqua mora, ꝙ post de quo stetur arbitrio iudicis de medio. Et præco quilibet, qui in aliquo prædictorum contrafecerit, condemnetur in libris 25. paruorum, quarum medietas sit communis, alia denunciantis, & quilibet possit denunciare. Possit etiam præco cassari de fratalea sua, & aliter puniri arbitrio domini potestatis Paduæ, attenta qualitate facti, & personæ. Et nihilominus cedula quælibet, quæ vitio, aut errores præconis, vel alicuius alterius personæ non mitteretur executioni infra terminum supra ordinatum, valeat & duret vsque ad vnum mensem, exceptis cedulis factis ad detinendum, quæ durant solum pro tempore officij notarij, qui eas scripsit.

SI aliqua persona de Padua, vel Paduano districtu vetuerit dare pignus, vel aliquam tenutam alicui præconi communis Paduæ eunti illam

acci-

accipere iussu officialium, siue potestatis, vel communis Paduae, si fuerit de ciuitate condemnetur in solidis 60. si vero fuerit de villa condemnetur in solidis 40. nisi fuerit in concordia cum creditore suo infra tertiam diem post accusationem, de quibus omnibus stetur relationi praeconis. Et intelligatur tenuta vetita, seu pignus vetitum, si praeco iuerit ad domum habitationis illius, cui debet accipi tenuta, vel pignus, & per eum, cui debet tenuta vel pignus accipi, vel per famulum, seu habitantem secum vetitum, seu vetita fuerit. Et possit fieri super accusatio per creditorem, & etiam per praeconem sine aliqua securitate. Et banni praedicti medietas sit communis, & alia accusantis. Et praeco teneatur accipere pignus sibi oblatum per illos de domo idoneum, habito respectu ad quantitatem eius, propter quod pignus, vel tenuta debet accipi in pęna praedicta.

Pignora aliqua consignata, seu in tenutam accepta, vel deposita, aut sequestrata, vel interdicta, seu intromissa penes aliquem non debeant, neque possint ad petitionem illius, qui prędicta fieri fecit, vel alicuius alterius interdici, vel imbrigari coram alio iudice, vel de praecepto alicuius alterius iudicis, q̃ illius, qui praedicta fieri commisit, nisi prius de commissione eiusdem iudicis tenuta fuerit reuocata, seu interdictum, vel sequestrum fuerit reuocatum, & pignus fuerit restitutum pignorato. Et si aliter factum fuerit siue sciat, siue ignoret iudex, vel pars, factũ nõ valeat, nec teneat ipso iure.

SI debitor aliquis, vel hæres eius fuerit in tali casu, quod ꝑ debito aliquo per formam statutorū communis Paduæ, ille talis oblatus possit de iure pignorari, seu de bonis suis pignus, vel tenuta accipi, aut sequestrum fieri, & bis vetuerit, possit fieri denuntiatio debitori per creditorē, vel procuratorem suū, quod prædicta assignentur sibi, vel quod so luat debitum sue terminis & pœnis declaratis in statuto, quod incipit. Si aliquis debitor, posito sub rubrica de Carceribus. Et si pignus infra terminum statuti prædicti non dederit, aut non soluerit debitum, puniatur, & contra eum procedatur secundū formam dicti statuti referendo singula singulis.

SI aliquis accepit aliquam tenutā alicui præconi iam acceptam ex cōmissione alicuius iud c s, vel officialis, potestatis, vel communis Paduæ, puniatur in duplo æstimationis pignorum acceptorum, cuius pœnæ, seu banni medietas sit communis, & altera creditoris, seu accusatoris, ita tamen, quod pęna excedat summam & quantitatem decem librarum, etiam si duplum æstimationis pignorum minus esset. In aliis verò casibus in statuto non cōprehensis condemnetur arbitrio potestatis, & suæ curiæ inspecta qualitate personarum, & facti.

SI per aliquem iudicem ex primo decreto commissum fuerit alicui præconi cōmunis Paduæ, ꝙ accipiat pignus, seu tenutam de bonis mobilibus alicuius. Et præco hostium domus habitationis illius, de cuius bonis tenuta, vel pignus accipi debet. clausum, bis diuersis diebus eundo inuenerit,

&

& illum, aut aliquem de familia eius, à quo tenutã, seu pignus petere possit ad domum, vel alibi reperire non poterit, super quibus stetur relationi præconis, tunc iudex facta relatione de prædictis sibi, seu notario de medio, possit dare licentiam præconi, quod aperiat hostium domus dicti per vim, & quod præsentibus saltem duobus vicinis, vel aliis testibus ad id vocatis dictam domum intret, & tenutam, seu pignus accipiat secundum formam commissionis suę. Et hoc casu non possit accusari de tenuta vetita ille, qui pignorãdus erat, nisi per fraudem clausisset hostium, ne tenuta, seu pignus de bonis suis acciperetur.

QVicunque dederit in tenutam rem aliquam per alium possessam sine voluntate possidentis, puniatur videlicet. Si debitum fuerit librarum centum, vel abinde supra, condemnetur in libris 5c. paruorum. Si verò debitum fuerit à libris centum infra, tunc cõdemnetur in libris viginti quinque, dumtamen dicta condemnatio non possit excedere vltra dimidium debiti, pro quo tenuta accepta fuerit. Et idem obseruetur contra præcones, qui tenutam acceptam scienter acceperint. Et in casu huius statuti accusari solum possit creditor, ad cuius petitionem tenuta fuerit accepta, & possessor ipsius rei. Et huius pœnæ medietas sit communis, & altera accusanti detur.

SI tertius appareat, & dicat, quod bona data in tenutam sint sua, vel sint obligata sibi, vel se habere meliora, & potiora iura in eis, tunc procedatur secundum

cundum formã ſtatuti de hoc loquentis, quod incipit. Si ſub prætextu, poſiti ſub rubr. de Citation.

MAſſario pignorum, qui ad hoc ſpecialiter electus erit ſecũdum formã ſtatutorum cõmunis Paduæ, teneantur, & debeant præcones, & omnes alii, & ſinguli miſſi ad pignorandum præſentare omnia, & ſingula bona accepta in pignus, ſeu tenutam ex quacunque cauſa tam pro debitis, ſeu pœnis, vel datiis, ſeu condemnationibus commiſſis, q̃ alterius cuiuſcunque priuatę perſonæ, & tam de cõmiſſione D. Poteſtatis, ſeu iudicum ſuæ curię, vel palatij communis Paduæ, quam de commiſſione rectoris, ſeu gaſtaldionum artis lanæ, vel alterius cuiuſcunque officialis in ciuitate Paduæ deputari. Et maſſarius prædictus teneatur, & debeat habere, & tenere ſuis expenſis vnum librum magnum in forma regali de chartis bombicinis, & in ipſo ordinate ſcribere, ſeu per notarium ſuũ ſcribi facere quæcunque pignora ſibi præſentata, declarando in ſcriptura ſua qualitatem pignoris, & ęſtimationem, ſeu valorem eius, prout crediderit iudicio ſuo pignus ſibi conſignatum communi pretio & valore. Et declarando etiam quantitatẽ debiti, & de cuius iudicis & officialis commiſſione, & ad petitionem cuius perſonæ, & per quem præconẽ, vel alium officialem, & de cuius bonis, & qua die pignus acceptum præſentatur ſibi, & nomen notarij, qui ſcripſit cedulam, cuius vigore pignus acceptum fuit. Item & ſcribere debeat in charta prędicta dicti libri relationes præconum dicentium ſe

con-

cōsignasse alicui decano, officiali, vel personę aliud pignus, quod non poterat per eum commode duci, seu portari secūdum formam statuti, positi sub rubrica præsenti quod incipit. Quandocunque quis pignorari debet. Et scribere teneatur etiam dictus massarius predicta omnia in consonantiam in vno suo giornali, & quilibet, qui fuerit pignoratus, teneatur & debeat exigere pignus suum infra quindecim dies, computando ab ipsa die exclusiue, qua fuerit pignus dicto massario præsentatum. Elapso vero termino prædicto quindecim dierum teneatur dictus massarius cum licentia iudicis de medio, quam licentiam dictus iudex dare teneatur, si debitum legitime liquidatum fuerit, facere fieri publice ad eius officium tres incantus, & non citato, neque requisito ad ipsos incantus, debitore. Et dictum pignus seu pignora vendere, & dare plus offerenti. Et præsumatur debitum liquidum, si reus non contradixerit infra dictum terminum quindecim dierum, prius facto præcepto debitori, ꝙ illud pignus acceptum vsque ad dictum terminum debeat exegisse, vel ꝙ sit ad videndum ipsum incantari. Teneatur tamen dictus massarius seruare, & non vendere aliquod pignus, si creditori placuerit acceptare, etiam vsque ad vnum mensem finitis dictis quindecim diebus, & transactis istis terminis, si creditor ad complacentiam debitoris voluerit, quod pignus nōn vendatur, tunc creditor teneatur illud pignus a massario recipere. Et massarius possit dare illud pignus creditori, si voluerit

de

de voluntate debitoris,de qua voluntate constare debeat ad dictum officium massariæ. Quo casu massarius possit illud pignus dare creditori, vel ipsum fœneratoribus pignorari etiam sine aliquo præcepto facto debitori, vel de nouo præsentare illud pignus ad officium massariæ. Quo casu massarius possit & teneatur facere vendere, & incantare pignus, & plus offerenti dare, vt dictum est. Possit tamen vendi pignus ad incantum per massarium, etiam ante terminum dictorum dierum quindecim quandocunque de mandato Domini Potestatis, seu notarij sui facto ad petitionem alicuius pauperis habere debentis pro mercede, vel salario suo, seu ad petitionem alicuius forensis non habitantis in Padua, vel Paduano districtu debentis habere ex aliqua causa vsque ad summam librarum decem. Et similiter possit vendere quandocunque ad petitionem Domini Potestatis, seu dominorum camerariorum quæcunque pignora sibi consignata pro debitis spectantibus ad commune Paduæ, seu ad cameram damnationis nostræ, siue debitum sit pro datijs, siue pro condemnationibus, siue alia causa, quæ ad commune pertineat. Et quandocunque venditum sit pignus, possit massarius pretio exinde recepto retinere primo & ante omnia sibi debitam solutionem pro labore suo in ratione trium denariorum pro libra, & alias expensas, si quas fecisset legitimas, deinde soluere creditori debeat, ad cuius petitionem pignus acceptum

&

& præsentatum fuit debitum suum, si venditum fuit tanto pretio pignus, vel dare sibi illud, quod detractis expensis superest ex pretio, quo venditum erit, si pignus pro toto debito sufficiens non fuisset Et si pignus esset venditum ita ꝙ soluto debito, & detractis expensis legitimis aliquid de pretio superesset, tunc debeat dictus massarius dare illud superfluum debitori, cuius pignus illud acceptum, & venditum fuerit. Quod dictum de pignoribus acceptis ordine iudiciali, etiã pro debitis communis obseruetur, & idem per omnia fiat de pignoribus, quæ apud fęneratores sunt, videlicet ꝙ fęneratores in ciuitate Paduæ habitantes teneatur de cætero assignare massario prędicto omnia, & singula pignora, qua finito tempore secundum formam decreti sui vendenda erunt sub pœna librarum centum paruorum pro quocunq; pignore, & pro qualibet vice, & dictus massarius teneatur, & debeat ipsa pignora sibi per fęneratores præsentata vendere publice ad publicum incantũ cũ licentia domini potestatis Paduæ quandocunque etiam ante lapsum terminum dictorum quindecim dierum, & cum modis, & conditionibus, sicut vendet alia pignora suprascripta, & retẽta sibi solutione debita in ratione denariorum trium pro libra prętij. Quo pignore vendito teneatur dictus massarius de ꝑtio cuiuslibet pignoris singulariter pro se fœneratori de sorte & vsuris debitis. Et si quid de pretio superfuerit dare illi, cuius pignus prædictuum erit. Et de pignore aliquo vẽdito per

massarium

massarium ad incantum, non aueiatur debitor, seu alius quisque contra emptorem. Sit tamen ius saluum debitori, & cuicunque alii ius habenti contra creditorem, si fecisset ipsum indebite pignorari, & similiter sit saluum ius contra feneratorem, si fecisset pignus indebite vendi. Quibus casibus creditor, seu fœnerator teneatur debitori ad omnes expensas, & ad omne damnum, & interesse suum. Et super hoc cognoscatur breuiter, & summarie. Et massarius, seu notarius eius non possit, neque præsumat modo aliquo, vel colore emere de dictis pignoribus pro se, vel aliquo suo attinente, vel speciali amico per se, vel per interpositam personam, sub pęna priuationis officij, & soluendi tantundem de suo, quantum erit pretium rei, quæ contra forma huius statuti empta erit, cuius medietas sit cõmunis, altera medietas sit denunciãtis. Et quilibet posit denunciare pro labore suo de pignoribus legitime venditis, quo in casu posit massarius primo, & ante omnia accipere denarios tres paruulos pro qualibet libra pretij, quo pignus venditũ erit. Et si pignus non venditum, sed præsentatum, & scriptum in libro tãtum esset, et debitor ipsum exigeret, aut si debitori tanquam indebite pignorato de commissione iudicis, aut de gratia & voluntate creditoris restitueretur, aut si creditori de volũtate debitoris daretur, tunc & quolibet casu prædictorum accipere posit dictus massarius tres denarios paruulos pro libra debiti, pro quo pignus acceptum & præsentatum esset, exceptis tamen pi-
 gnoribus,

gnoribus artis lanæ acceptis, de quibus aliter prouisum est, vt in statuto de Mercatoribus artis lanæ cōtinetur. Et quocunq; in casu ad solutionem istā denariorum trium pro libra teneatur debitor; etiā si iniuste pignoratus esset, saluo tamen debitori in omni casu iuri suo contra illum, qui fecisset indebite pignorari, vt dictum est. Et suam solutionem accipere possit prædictus massarius de quocunque pignore sibi præsentato vt dictum est, siue acceptū sit pro debitis datii, pęnæ, seu condemnationis cōmunis, siue pro debitis alicuius priuatæ personæ, siue datum sibi per aliquem fœneratorem, vel per aliquam aliam personam, vt vendatur. Et prædicta omnia, & singula fiant de cætero, & perpetuo obseruentur, saluo quod possit præsens statutum reformari quandocunq; prout videbitur melius D. Potestati Paduæ, & sapientibus deputatis ad vtilia communis. Et fieri debeat electio huius massarii, & notarij sui secundum formam dicti statuti positi in libro primo sub rubrica de Officiis vniuersis, quod incipit. Quolibet anno,

SI aliqua res immobilis, vel ius aliquod in re aliqua immobili de bonis debitoris, vel fideiussoris alicuius obligati ex contractu, vel pacto, aut sententia, vel præcepto aliquo legitime accepta, seu acceptum erit in tenutam, vel ad petitionem alicuius creditoris de commissione alicuius iudicjs, ita ꝙ de iure, vel ex forma statutorum communis Paduæ liquidato debito, possit fieri subhastatio, & venditio ad incantum, aut confirmatio ex secundo decreto,

tunc

tunc procedi debeat hoc modo videlicet, q actor faciat per hæc, vel similia verba admoneri, seu precipi personaliter reo, aut bis ad domum habitationis suæ duobus diuersis diebus cridari. q vsque ad tertiam diem debeat satisfecisse creditori suo de debito suo, pœna, & expensis, & rem suam in tenutam acceptam exigisse; vel q debeat cõparere coram tali iudice ad tale officium tali die, & hora ad videndum & audiendum pronunciari talem rem suam, seu ius suũ acceptũ, vel acceptam in tenutam de bonis suis subhastandam, & vendendam, seu subhastandum & vendendum, ac subhastari, & vendi debere ad publicum incantum, vel confirmandum ex secundo decreto, ac confirmari debere, & procedi secundum formam statutorum communis Paduæ. Et si reus personaliter inueniri non posset, tũc fiant duæ cridæ locis, modis, & sub terminis declaratis in statuto quod incipit. Quicunque voluerit agere, posito sub rubrica de Citation. Et facta citatione, vel admonitione personali, vel factis duabus cridis (vt dictum est) si reus in termino assignato non comparet, aut legitime non contradicit, tunc iudex ad petitionem actoris confirmet ex secundo decreto creditori, si voluerit, in solutũ iusto pretio in æstimatione duorũ bonorũ hominũ per iudicem eligendorum, aut pronunciet rẽ illam, seu ius, q in re illa debitor vel fideiussor, seu debitoris, vel fideiussoris hæres habet subhastandũ, & vendendũ, seu subhastandã & vendendam, ac subhastari, & vendi debere ad publicũ incantũ. Et pronunciatione ipsa

ſcripta in actis per notarium, & ſubſcripta per iudicem de medio, tunc reo præſente, vel admonito, ſeu citato perſonaliter, vel cridato ad minus ſemel pro quolibet incantu, fiant ad banchum dicti iudicis hora iuridica per vnum præconem communis Paduæ præmiſſo ſono tubetæ, & voce alta præconis tres incantus tribus diuerſis diebus, ſubhaſtando rem illam, ſeu ius illud, quod reus habet in re ipſa in tenutā acceptam ad petitionē actoris. Et in tertia ſubhaſtatione, ſeu incātu poſsit dari, & vendi per iudicen de medio de voluntate actoris cuicunq; habili & capaci plus offerenti. Hoc tamē ſaluo ꝙ ſiue uenditio ad incantum, ſiue confirmatio ex ſecundo decreto facta ſit, poſsit tamen reus, & quicunque, cuius interſit, recuperare tenutā, & exigere rem ieſam venditam, vel confirmatam, dumtamen ſoluat ſeu offerat, & reuera deponat pretium, ſeu debitum cum pœna & expenſis legitimis in termino per ſtatuta communis Paduæ cōprehenſo et ordinato, uidel. Si pretium fuerit librarum quingentarum, vel ab inde ſupra, tunc ſit terminus uſque ad vnum annum. Si vero pretium erit à libris quingentis infra, tunc ſit terminus uſq; ad ſex menſes computandos ſemper ab illa die excluſiue, qua uenditio ad incantum, uel confirmatio ex ſecūdo decreto facta erit. Et teneatur creditor, cui confirmatio ex ſecundo decreto facta eſſet, ſeu emptor, uel alius quicunq; ad quē dicta res perueniſset, etiam ſi per manus pluriū ambulaſſet, reſtituere ipſam rē illi reo, ſeu alij, cuiu interſit, uolēti

ge-

recuperare tenutam ipsam modo prædicto, ita tamen, quod fructus venientes interim pro rata temporis sint illius, qui restituere cogetur.

DE INSINVATIONE INSTRVMENTORVM. RVBRICA.

VANDOCVNQVE aliquod instrumentum donationis, vel alterius alienationis, seu obligationis, vel contractus insinuari debet, de cætero seruetur hæc forma, videlicet, quod quando sunt legendæ in publico arengo condemnationes corporales, vel pecuniariæ post sonum campanæ arengi congregata multitudine populi, antequam condemnationes legantur, notarius qui lecturus est condēnationes, vel alius notarius sigilli publice & alta voce vulgariter legat tenorem dicti instrumenti de verbo ad verbum prout iacet, ita q ab omnibus ibi præsentibus, & audientibus intelligi possit, deinde notarius ipse scribat, & scribere debeat in libro insinuationum facto de chartis membranis, & deputato ad officium sigilli qualiter ipse insinuauit, seu publicauit tale instrumentum secundum formam statutorum. Et demum notarius ipse scribat, & registret in dicto libro totum illud instrumentum insinuatum de verbo ad verbum cum subscriptione, & signo ipsius notarii, qui insinuauit, cum anno, inditione, mēse, die, loco, & testibus præsentibus insinuationi saltem quinque bonæ fa-

mæ, & ciuibus Paduæ ad id specialiter conuocatis & rogatis. Et teneatur dictus notarius, qui insinuauit illud instrumentum registrare (vt dictum est) infra quintam diem ad plus sub pœna librarum decem paruorum. Cuius pęnæ medietas sit communis, & altera denunciantis, & quilibet possit denunciare. Et donec ipsa registratio facta non erit, non generetur aliquod præiudicium ex ipsa insinuatione aliquibus creditoribus, vel fideiussoribus, vel alicui alteri personæ perinde, ac si nulla insinuatio facta esset. Et possit quodlibet instrumentum insinuari secundum formam huius statuti ad petitionem, & expēsas donatarii, vel emptoris, seu donatarios vel venditoris, seu aliter alienantis seu contrahentis, aut hęredis, vel successoris sui, vel alterius eorū, cuius intersit præsente, vel citato personaliter, aut bis ad domum donatoris vel venditoris, seu parte altera in illo instrumēto descripta. Et quilibet insinuatio, quæ de cætero secundum formam huius statuti facta erit, valeat, & vim legitimæ insinuationis obtineat.

DE FIDE INSTRVMENTORVM EXEMPLATORVM. RVBRICA.

VILIBET instrumento exemplato auctoritate iudicis in officio existentis per notarium de officio fides plena adhibeatur, si exemplatum fuerit præsente, vel

legi-

legitime citato illo, contra quem producitur, vel auctore suo expressa causa in citatione. Si vero nõ fuerit præsens, vel citatus ille, contra quem producitur, vel auctor suus, vel instrumentum relegatur principalitér in personam illud producentis, vel eius, cui successerit, & ex cuius successione agit, vel se defendit, & ille, contra quem producitur, iuret quod habet autenticum suspectum, & credit ipsum falsum, tunc fides non adhibeatur dicto exemplo, nisi producens exemplum probet amissionem originalis, vel abreuiatur arum dicti instrumenti, ipso autem non iurante (vt dictum est) tunc dicto instrumento fides adhibeatur. Et iurare possit tam in causa principali, q̃ in causa appellationis infra terminum sibi locatum ad habendum copiã, & ad opponendum instrumento, nec ex hoc propterea excipere de falso intelligatur. Et prædicta non habeant locum in instrumentis dotium, venditionum, & aliorum instrumentorum exemplatorum propter titulum probandum, vel defensionem possessionum quæsitarum ab aliquo, nec in instrumentis productis in iudicio, exempla quorum faciunt plenam fidem contra productores, & successores suos, & ab eis causam habentes, & quascunque alias personas, nisi principales personæ, contra quas produceretur exemplum prædictum, vel producerentur exempla prædicta, & iuret quod habeat autenticum suspectum, & credit ipsum falsum, vt supra dictum est in instrumeto exemplato ex auctoritate iudicis.

Et habeant locum prædicta in instrumentis de cætero exemplandis, & sit præcisum.

QVilibet notarius, qui fuerit in aliquo officio constitutus, quando exemplabit aliquod instrumentum, vel publicam scripturam cuiuscunq; conditionis, vel materie: sit dicta scriptura publica, vel dictum instrumêtum publicum, teneatur, & debeat dictum instrumentum publicum, & scripturam exemplare, & autenticare secundum quod inueniet in instrumento, seu scriptura, quam exemplat, & autenticat, & exponere rasuras, cancelaturas, inducturas, interlineaturas, vitiaturas, adiuncturas, & additiones in marginibus positas, si quas in autentico inueniet, ita quod in omnibus & per omnia sit exemplum simile autentico producto, faciendo mentionem in subscriptione sua de omnibus rasuris, adiuncturis, additionibus, inducturis, interlineaturis, & additionibus in marginibus, quas inueniet in pęna librarum decem paruorum dicto notario. Et de hoc possit notarius accusari, & habeat medietatem accusator. Et si ille, cui exemplatur instrumentum, voluerit auscultare & videre exemplum cum autentico si ita exemplatum est cum autentico cum omnibus prædictis vitijs de medio, tunc iudex medius faciat sibi hoc fieri secundum quod melius videbitur conuenire sub pœna prædicta. Et prædicta exempla debeant subscribi per vnum ex sociis & notarijs ad dictum discum. Qui socius & notarius debeant ipsum instrumentum auscultare, & in subscriptione sua scribere, scripsi & auscultaui,

ui. Et per iudicem, ex cuius cõmissione exẽplatur, similiter auscultari & subscribi debeat dictum exẽplum. Et teneantur prædicti iudex & notarius auscultare, & subscriptiones prædictas facere statim vt requisiti fuerint sub pœna prædicta.

De Notarijs vniuersis.

SI aliqua abreuiatura reperiretur non continere ea, quæ in similibus contractibus consueuerunt apponi, seu non esse completa (dummodo substantialia contractus scripta reperiãtur in ea) tunc possit, & debeat notarius, cui commissæ fuerunt abreuiaturæ, & etiam idem ipse notarius, qui manucęperit instrumentum, reducere ex abreuiatura prædicta in publicam formam, prout moris est, & secundum quod consueuerunt consimiles contractus in publicam formam reduci. Et locũ habeant prædicta in præteritis, præsentibus, & futuris.

De Cancellaria communis.

ET vbicunque fuerit opus, possit Cancelarius communis, & quilibet notariorum ad cancelariam deputatus releuare in publicam formam ex ipsis in breuiaturis quæcunque instrumenta per illum notarium mortuum, seu infirmum, vel absentem manucæpta, quemadmodum potuisset notarius rogatus facere. Et pro releuatione cuiuslibet instrumẽti accipere debitam solutionem secũdum

taxam

taxam ordinatam per ſtatutum ſecundum qualitatem inſtrumenti. Et de tali ſolutione detur medietas hæredibus notarij defuncti, ſeu ipſi notario infirmo. Et ſine aliqua alia ſolemnitate, vel cōceſſione poſſint, & debeant releuari vt dictum eſt. Et ſi abreuiatura aliqua reperiretur non continere ea, quæ in ſimilibus contractibus ſolent apponi, ſeu non eſſe completa, (dummodo ſubſtantia contractus reperiatur in ea) poſſit tamen & debeat releuans quiſque inſtrumentum reducere ex ipſa abreuiatura in publicam formam, prout moris eſt, & ſecundum quod ſimiles contractus conſueuerunt in publicam formam reduci. Et per ſindicum fratalleæ notariorum fiat vnus liber autenticus de chartis membranis, & in eo ſcribat per ordinem, quando, & cui tales abreuiaturæ præſentantur ad dictam cancelariam.

QVIBVS LICEAT ACQVIRERE BONA IN PADVA, VEL PADVANO DISTRICTV. RVBRICA.

HAC inuiolabili ſanctione decernimus, & ſtatuimus, q̀ bona aliqua immobilia, vel quæ immobilium nomine contineantur in Padua vel Paduano diſtrictu ſita, vel fruges annuæ, redditus annui ad non modicum tempus, vel ius ipſorum non poſſint vendi, donari, permutari, liuellari, vel quouis modo alienari, vel

non

non ad modicum tempus locari, vel concedi inter viuos, vel causa mortis, vel qualibet vltima voluntate, nec ab intestato, vel modo aliquo transferri, seu peruenire, directe, vel indirecte principaliter, vel in consequentia singulari. Et generaliter seu cum vniuersitate mediate, vel immediate, pure, vel sub cõditione, volũtarie, vel necessario, vel aliqua sententia, vel iudiciali decreto alicui, vel aliquibus personis, collegiis, vel vniuersitatibus vbilibet cõmorantibus, vel stantibus, qui, vel quæ non sint ciues ciuitatis Paduæ, & scripti, vel subscriptæ in libro æstimi communis Paduæ, vel qui non sint originarij districtuales Paduani districtus, & scripti, vel aliter deputati siue exempti ad sustinendũ onera cum castris vel villis Paduani districtus, vel qui non sint habiles ad acquirendum prædicta bona, vel iura huiusmodi, vel alteriusmodi auctoritate statutorum communis Paduæ. Vt autem sit notum, qui, vel quæ sint habiles, vel habilia ad acquirendum prædicta bona, vel iura, vigore præsentis statuti habilitamus omni iuris vel facti exceptione, & allegatione remota, & habiles ad acquirendum iam dicta bona, & iura fore declarauimus. Primo omnes & singulos habentes priuilegia, vel decreta acquirendi, vel etiã citadinantiæ à serenissimo ducali dominio Venetiarũ, seu a dominis rectoribus in Padua cõstitutis. Itẽ habilitamus frataleas artiũ ciuitatis Paduæ per statuta Paduæ approbatas, & omnia cõmunia castrorũ, et villarũ Paduani districtus. Itẽ habilitamus oẽs qui per x. annos cõtinuos

ante

ante acquisitionem dictorum bonorũ fuerint scripti in libris æstimorum ciuitatis Paduæ, vel deputati seu reperti ad sustinendum onera, & factiones in Padua, vel districtu. Item habilitamus omnium habilium ascendẽtes, & collaterales, & eorum generos, & nurus cum eis habitantes in vna domo, vel etiam gerentibus caput ipsius domus expen. Et possit vxor, & nurus, ac potuerit, seu potuerint quæcunque bona immobilia pro dote sua exigisse, seu exigere, seu sibi acquirere a Millesimo quadringentesimo quarto citra, & quæcunque bona immobilia sibi per maritos suos, vel soceros legata quomodocunque à dicto tempore citra, etiam si maioris valoris essent, quã dos data, duntamen hucusque se fecerint habiles, vel inhabiles transtulerint, vel infra annum futurũ se habilitauerint, vel inhabiles transtulerint dicta bona. Itẽ habilitamus ascendentes, descendẽtes, & collaterales omnium habilium cum illis non habitantes quantum ad acquirendum à dicto propinquo duntaxat, & statuto successionum stante, saluo vigore præsentis statuti habiles iudicamus, qui tamẽ infra annum scripti sint in libris æstimi Paduæ communis, si in Paduano districtu tenet massaritiam per se, vel infra dictũ annum acquisitum à dictis propinquis transtulerint inhabilem ad acquirendum prædicta. Habiles etiam facimus omnes originarios Paduæ, vel districtuales districtus Paduæ originarios habitantes cum habilibus ad immobilia acquirendum, dummodo dicti sic habitantes faciant infra annum

a tem-

à tempore acquisitionis prædictæ se habiles. Cæteros autem quantum ad acquirendum prædicta bona immobilia vel iura inhabiles iudicamus. Et qui contrafecerit, vel commiserit fraudem de persona ad personā, vel alio modo adhibuerit, amittat ipso iure pretium, mercedem, vel affictum, & quicquid factum, vel gestum fuerit, nullum sit ipso iure, & nullius effectus, vel momenti. Et acquisitor, seu ille, in quem fuerint dicta bona, vel iura translata, amittat ipso iure translatum, vel acquisitum cum frugibus, prout & secundum quod fuerat de facto alienatum, vel translatum, & non aliter, nec vltra, & ipso facto illud, & eius possessio, vel quasi in commune Paduæ deueniat pleno iure, nulla allegatione iuris, vel facti in contrarium admittenda, & ipsius communis sint, et ipsa intelligatur tāquam verus dominus possidere, nisi bona vel iura sic translata teneretur in feudum, vel liuellum ab aliquo habili per præsens statutum ad prædicta acquirenda, & non consentiente dictæ translationi, quia tunc non in commune, sed in dominum potestatem habilem reuertendum, & etiam reuertantur in dominum habilem translationem non consentiente, à quo tenebatur, si per eum non remanet, qđ infra mensem à die translationis & scientiæ suæ inhabilem fiat translatio, quam tamen facere tenetur, quando poterit. Oblationes tamen generales bonorum, & constitutiones eorum precario vel alterius possessionis, quas faciunt debitores cum creditoribus per præsens statutum non

in-

ntelligimus interdictas. Et possint consequi creditores debitum suum ex primo, & secundo decreto, vel ex datione iudiciaria in solutum in bonis immobilibus dumtamen infra sex menses a tempore primi decreti, vel faciant se scribi ad æstima pro dictis bonis, vel ea transtulerint in habilem. Et notarius, qui de prædictis prohibitis scienter manuceperit contractum, vel acquisitionem aliquam, vel aliquod de prædictis, teneatur instrumentum, & quamcunque aliam scriptuam facere, & ipsum vel ipsam, dare sindico communis etiam nō requirenti infra octo dies a die manucaptionis, seu dare alii cuique petenti infra tertiam diem, postq̃ fuerit requisitus sub pœna librarum quinquaginta parvorum pro qualibet vice, cuius pœnæ medietas sit communis, & altera denunciantis, & an notarius ipse sciuerit, remaneat in arbitrio potestatis, & suę curiæ. Et de prædictis omnibus, & singulis quilibet habilis posśit quemlibet accusare & denūciare palam, & secrete, & habeat medietatem banni, si palam & suis expensis sollicitet, & prosequatur accusationem, vel denunciationem. Si vero denunciauerit secrete & non sollicitauerit, & causam non fuerit palam prosequutus, tunc habeat quartum dicti banni. Et de prædictis omnibus & singulis dominus potestas Paduæ posśit, et teneatur per sacramentum saltem singulis mensibus inquirere, & procedere, & repertos culpabiles condemnare, & punire secundum formam dicti statuti. Et prædicta omnia & singula in præsenti statuto contenta

locum habeant, & seruentur in præteritis, præsentibus, & futuris.

NEmo possit aut audeat accipere iura & actiones, vel donationem cõtra commune Paduæ, vel aliquem contractum cum aliquo facere aliqua de causa, per quæ possit vel debeat aliqua occasione petere aliquid a commune.

NVllus de Padua, vel Paduano districtu possit, vel debeat accipere aliquius, & actiones, vel donationẽ in se recipere ab aliquo forense, vel ab aliqua persona, quæ non sit de Padua, vel Paduano districtu contra ciuem Paduę. Et si fecerit, vel factũ est, non valeat de iure, nec de facto, & nullum ius habeat placitandi, nisi fuerit fideiussor, aut debitor in eo contractu, de quo facta est sibi cessio, vel nisi esset ciuis, qui ab aliquo forense, qui habeat possessiones in Padua, vel Paduano districtu ipsas emerit, & a venditore sibi cessa fuerint iura in prædictis possessionibus emptis. Et quod omnia & singula contenta in statuto prædicto vendicent sibi locum etiam in cessionibus, quæ fierent forensi per ciuem contra ciuem, nisi ille forensis sustineret onera, & factiones cum ciuitate Paduæ, vel nisi esset de exceptuatis in statuto prædicto.

QVęcunq; persona intrauerit monasterium, & se dedicauerit, non possit habere de suis bonis vltra libras ducentas. Residuũ vero diuidatur inter suos proximos, quibus de iure venerit, nisi testamentũ fecisset, quo casu bona eius deueniant secũdũ quod ordinauerit, excluso semper monasterio,

&

& religione, quod, seu quam intrauit.

NVllus hominum siue ciuis, siue forensis, aut districtualis fuerit, & cuiuscunque cōditionis, & status existat, debeat, vel modo aliquo audeat emere, vel titulo donationis, vel alio aliquo modo seu titulo acquirere aliquam ecclesiā, vel capellā, aut sepulturam, seu arcam, vel monumentum, aut locum aliquem sacratū, seu ius funerandi, aut pingendi, seu sculpendi arma, vel insignia sua, vel aliena in aliquo monumento, vel arca, sepultura, aut loco sacrato, qui, seu quæ, vel quod fuerit, aut sit alicuius personæ, vel familiæ viuentis, aut defuncti, etiam si nemo ex tali familia superesset, neque audeat quisque delinire, vel modo aliquo remouere, aut in totum, vel in parte aliqua mutare insignia, arma, vel epitaphia aliqua, aut carmina, vel scripturam aliquam de aliquo sepulchro, seu de aliquo prædictorum locorum. Et quicunque de cætero in prædictis, vel aliquo prædictorum aliqualiter cōtrafecerit, seu contrafieri fecerit, condemnetur in ducatis quīquaginta auri pro quolibet, & qualibet vice, & ipsa pœna dimitti, vel modo aliquo diminui non possit, sed huius pœnæ medietas sit communis, & altera medietas sit accusantis, seu manifestātis, & quilibet possit accusare seu manifestare, & teneatur in credētia. Et nihilominus emptio, donatio, cessio, vel alia talis rei acquisitio sit nulla ipso iure, & facto, & nullius efficaciæ, seu momenti, atq; teneatur ille, qui contrafecerit seu contrafieri fecerit emendare, & reficere, & in pri-

mum

mum statutum reducere omnibus suis expesis quicquid de prædictis, vel aliquo prædictorum destruxit, seu mutauit aut modo aliquo deliniuit sub pœna prædicta.

SI quis de cætero vendet, aut in solutum dabit aliquam domum, vel possessionem, aut aliquam aliam rem immobilem, vnam, vel plures in Padua, vel Paduano districtu sitam, vel sitas aut vendet, vel in solutum dabit suum ius directi, vel vtilis dominij, vel quasi, vel aliquod aliud ius, quod habebat in aliqua re immobili in Padua, vel Paduano districtu sita, non valeat venditio, seu datio in solutum in præiudicium attinẽtium suorum masculorum, seu fœminarum veniẽtium per lineã agnationis venditoris, neque valeat in præiudicium vicinorum tunc cohęrentium rei venditæ, seu in solutum datæ. Sed quilibet agnatus venditoris, seu quilibet vicinus cohærens, & habitans in Padua, vel Paduano districtu, qui sit habilis, & capax ad acquirendum bona immobilia secundum formam statuti Paduæ, possit dato eodem pretio vendicare, & repetere quandocunq; talem rem venditam, seu in solutum datam a quocunque venditore, etiã si venditio vel datio in solutum esset cum auctoritate iudicis facta, seu ad incantum data, vel ex secũdo decreto confirmata. Et teneatur quilibet, qui de cætero emet, vel in solutum modo aliquo accipiet vendere, dare, & tradere cuicunq; ex agnatis venditoris, seu vicinis cohærentibus volentibus emere rem ipsam, seu ius illud emptum, vel emptam, aut

in solutum acceptum vel acceptam eo pretio, quo ipsam, vel ipsum emit, seu in solutum accepit. Et ad hoc compelli possit iuris remedijs sine quæstione & quercla, & super hoc summarie & breuiter cognoscatur. Non vendicent tamen prædicta sibi locum si incontinenti scripta conuentione de dicto pretio certo, vel post fuerit ad petitionem vēditoris, aut emptoris notificatum agnatis dicti venditoris & vicinis cohærentibus dictæ rei venditæ personaliter, vel bis ad domum habitationis suæ, declarando in notificatione per hęc vel similia verba, qualiter talis agnatus, vel vicinus suus vendidit, vel in solutum dedit talem rem tali personæ pretio, seu qualiter talis res de bonis talis personę vendita, vel in solutum data fuit tali persona tali pretio ad publicum incantum. Et quod si quis eorum vult ipsam rem emere eodem pretio, debeat vsque ad triginta dies proxime futuros incipiendo ab ipsa die notificationis exclusiue comparere ad discum sigilli, & per vnum ex notarijs dicti officij scribi facere, quòd vult emere rem ipsam, ac debeat reuera deponere pretium integre, & sine aliqua exceptione penes aliquam personam, quæ per dominum potestatem, vel vicarium eius idonea videatur. Et si plures agnati, vel vicini cohærentes habitarent in vna domo, tunc sufficiat, quòd notificatio ipsa fiant patrifamilias, seu illi, qui tanquam paterfamilia est, & maior in domo gubernat familiam. Et hoc casu valeat notificatio vni facta tanquam singulariter,

ter, & cuilibet per se omnibus in eadem domo habitantibus facta esset, & pro facta omnibus legitime habeatur. Et similiter sufficiat, quòd notificatio ipsa fiat tutori pupilli, seu curatori furiosi, vel mente capti, vel si tutor, aut curator nullus esset, sufficiat quòd notificatio fiat illi, qui pupillum, vel furiosum, vel mente captum tenet in domo, & eo modo sufficiat, quod notificatio fiat factoribus, seu procuratoribus gerentibus negocia nobilium, vel aliorum, qui absentassent à Padua. Cæteris autem adultis, & alijs omnibus, & singulis agnatis, & vicinis existentibus in Padua, vel paduano districtu fieri debeat notificatio prædicta personaliter, vel bis ad domum habitationis suæ, ita tamen quòd notificatio ad domum fiat diuersis diebus, & non fiat bis eodem die. Et teneatur, & debeat quilibet agnatus, & vicinus volens emere facta notificatione prædicta sibi cõparere infrà dictum terminum triginta dierum, & scribi facere, ac reuera pretium deponere vt dictum est. Et quicunque, quamuis propinquus, vel vicinus, cui facta erit, vel habeatur pro facta notificatio prædicta siue masculus siue fæmina fuerit, si in dicto termino non comparuerit, & scribi non fecerit, seu pretium reuera non deposuerit (vt dictum est) pro excluso, & non volente emere habeatur, & beneficio huius statuti non gaudeat vllo modo. Finito vero dicto termino, nullus cui facta fuerit notificatio prædicta vigore præsentis statuti amplius admittatur. Et quandocunque

ad petitionem venditoris,vel emptoris,ſeu cuiuslibet agnati, vel vicini in termino ſcripti videantur & examinentur per dominum poteſtatem, ſeu vicarium eius omnes, & ſingulis,qui in termino comparuerint,& ſe ſcribi fecerint,ac reuera pretiũ depoſuerint (vt dictum eſt) & inter eos ſeruetur prorogatiua videlicet,ꝙ in quolibet caſu huius ſtatuti præferatur quilibet agnatus venditoris quibuscũq; vicinis. Et inter agnatos ipſos etiam ſeruetur gradus, & ſexus prorogatiua. Si vero agnati eſſent duo vel plures pares in gradu, & volentes emere, tunc ille præferatur, qui cohæret ab aliquo latere rei venditę. Et ſi duo vel plures agnati eſſent cohęrentes,tũc ille præferatur, qui a pluribus partibus cohærentias plures,vel ampliores habet.Si autem æqualiter, & in gradu, & in cohærentijs pares eſſent,tunc ille agnatus præferatur,qui plures campos habet cohęrentes,ſi res illa fuerit in villa,ſi vero res illa eſſet in ciuitate paduæ, vel in aliquo caſtro paduani diſtrictus,tunc ille, agnatus præferatur, qui maiorem domum habet cohærentem. Si vero nullus eorum in aliqua parte cohæret, aut ſi pares in gradu etiam in cohærentijs, ſeu quãtitate camporum, aut magnitudine domus æquales eſſent,tunc ſorte dirimantur, & ille præferatur, cui ſors euenerit. Si autem nullus maſculus ex linea agnatorum venditoris comparuiſſet in termino, aut ſcribi non feciſſet, aut pretium reuera non depoſuiſſet ſecundum formam huius ſtatuti, tunc admittantur mulieres venientes per lineam agnato-

rum,

rum, & ipsis non existentibus admittnatur vicini tam masculi, q̃. fœminæ cohærentes rei venditæ, qui seu, quæ in termino comparuisset, & scribi fecissent, ac pretium reuera deposuissent, vt dictũ est. Et inter ipsos vicinos seruetur ꝓgatiua in cohærentiis, seu in quantitate camporum, vel magnitudine domus, aut ꝙ sorte dirimatur, sicut de prorogatiua inter agnatos dictum est. Et hoc casu teneatur emptor primus incontinenti remittere dictam rem illi agnato, vel vicino, qui secundum formam huius statuti præferri debet, & pretium suum depositũ si ex linea esset recipere debeat, nõ obstante venditione iam sibi facta. Si vero instrumentum uenditionis, seu dationis in solutum nondũ factum esset, tunc compellatur vẽditor facere venditionẽ illi agnato, seu vicino, qui prȩferri debet cum promissionibus & capitulis consuetis, & pretium depositum sibi detur. Si uero tempore notificationis aliquis agnatorum, uel uicinorum esset absens à ciuitate Paduæ, & districtu, & reuerteretur postea quandocunque usque ad quatuor menses termino denunciationis factæ complecto, tunc ille, qui absens fuit, & reuersus est, habeat terminum triginta dierum a die reuersionis suæ computando, & infra ipsum terminum, si voluerit, possit comparere, & se scribi facere, ac reuera pretium deponere, ut dictum est. Et hoc casu gaudeat ipse beneficio præsentis statuti contra quoscunque in quantum præferendus sit ex prorogatiua superius declarata, tãquam si tempore notificationis legitime compa-

ruiſſet in termino,niſi etiam ſibi,vel factori,ſeu negociorum geſtori ſuo legitime notificatio facta eſſet. Quo caſu pro non comparente habeatur, ſi in termino prædicto alijs aſſignato non comparuerit, & ſe ſcribi non fecerit,& pretium reuera non depoſuerit vt dictum eſt. Et quocunq; in caſu huius ſtatuti poſſint fieri inſtrumenta venditionum quarumcunque,& per quemcunque notarium per partes rogatum, etiam ſi non ſit notarius ad ſigillum. Si autem nullus agnatus, ſeu vicinus facta notificatione legitime comparuerit,aut ſi comparens ſe in termino ſcribi non fecerit, & pretiũ reuera non depoſuerit,tunc & hoc caſu prima vẽditio, ſeu in ſolutũ datio firma remaneat, ita ꝙ deinceps nullus agnatus,vel vicinus,cum facta fuerit notificatio, poſſit gaudere beneficio huius ſtatuti modo aliquo contra emptorem, ſeu qui in ſolutum acceperit, vel data fuerit, & de certo pretio deferatur ſacramentum emptori & vẽditori. Et emptor ille primus,cui facta eſt vẽditio,ſeu datio in ſolutum,ſi dixerit contra veritatem ſe emiſſe rem illã maiori pretio,q̃ reuera emit,vel in ſolutũ accepit, puniatur in ſolidis decẽ pro qualibet libra pretij per ipſum nominati. Et in tantundem puniatur venditor, qui falſum emptorem induxerit, et talium pœnarum medietas ſit communis, & altera medietas ſit accuſantis.Et nihilominus venditio,vel in ſolutum datio ipſa ſit ipſo iure nulla,ita ꝙ poſſit quandocunque nulla obſtante notificatione facta, & nullo obſtante lapſu termini quilibet agnatus, &

vicinus

vicinus seruata prærogatiua (vt præmittitur) reuocare a quocunque, etiam si res per plures manus translata esset, dato pretio, quod re vera res illa valet. Non vendicet tamen sibi locum præsens statutum contra dominum habentem ius directi dominij in re vendita per liuellarium, si præferatur dominus proprietatis volēs emere omnibus agnatis,& vicinis, & obseruetur quantū ad hoc in omnibus & per omnia secundum formam instrumēti liuelli sui. Idem intelligatur in domino feudi,& in aliis dominis habentibus ius in re aliquo modo, ita quod ipsi præferri debeant secundū formam iuris, & instrumentorum suorum præsenti statuto in aliquo non obstante. Et appellatione agnatorum intelligantur tantum illi, qui sunt legitimi, & naturales & de legitimo & naturali parente nati.

DE ALIENATIONIBVS, ET OBLIGATIONIBVS, DEBITIS, ET VSVRIS. RVBRICA.

SI quis, vel si qua sui iuris in contractibus se maiorem esse dixerit, vel fecerit, habeatur pro maiore,& beneficiū restitutionis in integrum sit ei sublatum, dummodo habeat 20. annos, quando contraxit, & quando se maiorem dixerit, vel fecerit. Si autem post contractum aliquo tempore voluerit ꝓbare se fuisse tēpore cōtractus minorē annor. 20.

audiatur & possit probare se tunc fuisse minorem 20. annorum, etiam per testes, nisi tempore contractus, vel ante facta fuisset fides coram domino potestate Paduæ, quod ille esset maior viginti annorum, & per ipsum dominum potestatem pronunciatum & declaratum esset eum esse maiorem annorum 20. quo casu pro maiore habeatur, & ulterius non audiatur uolens probare minorem ætatem, & dicta probatio non possit fieri nisi coram domino potestate. Et dicta declaratio, & pronunciatio non possit fieri per aliquem iudicem, nisi per dominum potestatem tantum & si aliter facta etiã de mandato suo fuerit, non ualeat. Si uero fuit minor annorum 20. & maior annorum quatuordecim, non possit aliquo modo etiam cum iuramento res suas immobiles alienare, nec se, nec sua obligare; nec iura cedere, nec finẽ, uel remissionẽ alicuius debiti facere, nec bona cõmunia inter ipsum & maiorem aliquem diuidere, nisi ipsa alienatio, uel obligatio, uel cessio, diuisio, uel finis, uel remissio facta fuerit coram potestate Paduę, uel uno ex suis iudicibus cum causæ cognitione præsente curatore suo generali, si habeat curatorẽ generalem, & præsentibus etiam duobus suis coniunctis vsque ad tertium gradum si sunt, & si non sunt aut interesse non uelint præsentibus duobus suis propinquioribus, seu affinibus maioribus annorum 25. masculis, vel fœminis, vel si non reperirentur, uel non uellent coniuncti, propinqui, uel affines dictorum minorum, tunc præsentibus saltem duo-

bus

bus bonis uiris,quos ſpecialiter ad hoc poteſtas,uel eius iudex eligat, qui propinquorum, & affinium interſint,& conſulant, utrum id faciendum, uel non faciendum ſit. Et poteſtas uel eius iudex inquirere teneatur cauſam alienationis, diuiſionis, finis, ceſſionis, uel remiſſionis, aut obligationis. Et tūc præſentibus duobus ſiue coniunctis, uel propinquis,ſeu affinibus,aut duobus loco ipſorum electis, & dicentibus,ac iurantibus corporaliter ipſum contractum, ſeu obligationem eſſe minori potius utilem,quam damnoſam, uel iudex pronunciet ipſam faciendam, uel non faciendam eſſe uti ius & iuſtitia pro qualitate facti perſuadebit. Et ſecundū quod pronunciauerit,ita poſſit fieri alienatio,diuiſio,finis,ceſſio,uel remiſſio,ſeu obligatio. Et ab ipſa tali pronunciatione non poſsit appellari. Si autem diuiſio,alienatio, obligatio, ceſsio, finis, uel remiſsio alicuius dabiti facta fuerit non ſeruata ſolemnitate præſentis ſtatuti, non ualeat quod factū fuerit ipſo iure. Et prædicta omnia locum habeāt in præſentibus,futuris,atque etiam in quibuſcunq; contractibus volūtariis. Saluo ꝙ contenta in præſenti ſtatuto non uendicent ſibi locum in contractibus dotium, uel arrarum matrimonij, ſeu aliis contractibus, qui fierēt occaſione matrimonij ſcilicet finis & remiſſionis duntaxat factæ, ſeu quæ fient per filias,uel nepotes,pronepotes,& deinceps parentibus uſque ad quartum gradum incluſiue. Et quæ fient fratribus ſeu eorum filiis,vel filiabus per ſorores uel filias,dumtamen ſupraſcriptę perſonæ

audiatur & possit probare se tunc fuisse minorem 20. annorum, etiam per testes, nisi tempore contractus, vel ante facta fuisset fides coram domino potestate Paduæ, ꝙ ille esset maior viginti annorum, & per ipsum dominum potestatem pronunciatum & declaratum esset eum esse maiorem annorum 20. quo casu pro maiore habeatur, & ulterius non audiatur uolens probare minorem ætatem, & dicta probatio non possit fieri nisi coram domino potestate. Et dicta declaratio, & pronunciatio non possit fieri per aliquem iudicem, nisi per dominum potestatem tantum & si aliter facta etiā de mandato suo fuerit, non ualeat. Si uero fuit minor annorum 20. & maior annorum quatuordecim, non possit aliquo modo etiam cum iuramento res suas immobiles alienare, nec se, nec sua obligare; nec iura cedere, nec finē, uel remissionē alicuius debiti facere, nec bona cōmunia inter ipsum & maiorem aliquem diuidere, nisi ipsa alienatio, uel obligatio, uel cessio, diuisio, uel finis, uel remissio facta fuerit coram potestate Paduę, uel uno ex suis iudicibus cum causæ cognitione præsente curatore suo generali, si habeat curatorē generalem, & præsentibus etiam duobus suis coniunctis vsque ad tertium gradum si sunt, & si non sunt aut interesse non uelint præsentibus duobus suis propinquioribus, seu affinibus maioribus annorum 25. masculis, vel fœminis, vel si non reperirentur, uel non uellent coniuncti, propinqui, uel affines dictorum minorum, tunc præsentibus saltem duobus

bus bonis uiris, quos ſpecialiter ad hoc poteſtas, uel eius iudex eligat, qui propinquorum, & affinium interſint, & conſulant, utrum id faciendum, uel non faciendum ſit. Et poteſtas uel eius iudex inquirere teneatur cauſam alienationis, diuiſionis, finis, ceſſionis, uel remiſſionis, aut obligationis. Et tūc præſentibus duobus ſiue coniunctis, uel propinquis, ſeu affinibus, aut duobus loco ipſorum electis, & dicentibus, ac iurantibus corporaliter ipſum contractum, ſeu obligationem eſſe minori potius utilem, quam damnoſam, uel iudex pronunciet ipſam faciendam, uel non faciendam eſſe uti ius & iuſtitia pro qualitate facti perſuadebit. Et ſecundū quod pronunciauerit, ita poſſit fieri alienatio, diuiſio, finis, ceſſio, uel remiſſio, ſeu obligatio. Et ab ipſa tali pronunciatione non poſsit appellari. Si autem diuiſio, alienatio, obligatio, ceſsio, finis, uel remiſsio alicuius dabiti facta fuerit non ſeruata ſolemnitate præſentis ſtatuti, non ualeat quod factū fuerit ipſo iure. Et prædicta omnia locum habeāt in præſentibus, futuris, atque etiam in quibuſcunq; contractibus volūtariis. Saluo ꝙ contenta in præſenti ſtatuto non uendicent ſibi locum in contractibus dotium, uel arrarum matrimonij, ſeu aliis contractibus, qui fierēt occaſione matrimonij ſcilicet finis & remiſſionis duntaxat factæ, ſeu quæ fient per filias, uel nepotes, pronepotes, & deinceps parentibus uſque ad quartum gradum incluſiue. Et quæ fient fratribus ſeu eorum filiis, vel filiabus per ſorores uel filias, dumtamen ſupraſcriptę perſonæ

ſonæ facientes finem,& remiſſionem ſint dotatæ, & non ſint enormiter læſæ, quo caſu beneficium iuris communis ſibi reſeruatũ intelligatur. Et prędicta omnia, & ſingula poſſint fieri quolibet loco & tempore,& ſcribi per quemlibet notarium exſiſtentem in matricula notariorum Paduæ etiam non officialem.

Filiusfamilias non poſſit mutuo pecuniam accipere,nec ſe in aliquo inſtrumento,vel cõtractu ſeu diſtractu obligare, vel aliquid alienare præter voluntatem & conſenſum patris,vel aui, in cuius eſſet poteſtate. Et ſi ſe modo aliquo obligauerit, vel alienauerit, obligatio, vel alienatio nõ valeat, neque teneat ipſo iure quantum contra ipſum filiumfamilias,renunciatione, vel pacto, aut iuramento aliquibus non obſtantibus. Et hoc non vendicet ſibi locum in caſtrenſi peculio, vel quaſi,nec in conditionibus ab eiſdem filiisfamilias factis cuiuſcunque rei immobilis ad nũmos, vel ad aliquam partem, nec habeat etiam locum in filiisfamilias per ſe habitantibus,& publice ſe gerẽtibus pro patribusfamilias, nec in famulis, & ſcutiferis, nec in laboratoribus per ſe,ſed terras alienas laborantibus & gerentibus ſe pro patribus familias. Et quod hoc ſtatutum non vendicet ſibi locum in aliquo filiofamilias maiore annorum vigintiquinque publico mercatore, dumtamen nec pater, nec bona patris obligentur.

SI contingat aliquem in contractu aliquo obligari,& qui ſe obligauerit,negauerit habere pa-

trem,

trem,vel auum, vel dominum, in cuius ſit poteſtate,vel dixerit ſe emancipatum eſſe, condemnetur in libris 25. paruorum pro mendacio, cuius banni medietas ſit communis, & alia partis aduerſæ. Et nihilominus fideiuſſor, vel fideiuſſores teneantur ſoluere creditoribus integraliter totum id, in quo principaliter eſſe obligatus reperiatur, nulla exceptione obſtante, propter quam principalis debitor ſe tueri poſſit.

SI quis iurauerit bis, vel de cætero iurabit ſemel præcepta eccleſiæ attendere videlicet, ꝙ non mutuabit aliquo tempore ad vſuras,vel guardonē, & poſtea mutuauerit ad vſuras,vel guardonē,non valeat contractus de iure,nec teneat, & deinde exigere aliquid nō poſſit.Et hoc ſi de iuramēto manifeſtum fuit per publicum inſtrumentum factū manu boni & legalis notarij de ciuitate,ſi factū fuerit in ciuitate.Si autem factū fuerit in villis,manifeſtū ſit per publicum inſtrumentum manu boni, & legalis notarii de villa præſentibus tribus teſtibus ad minus bonæ opinionis, & præſente ſacerdote ſuæ eccleſiæ, vel alio ſacerdote bonæ opinionis.

IN odium vſurariæ prauitatis ſtatuimus, & ordinamus, quod aliquis de cætero non debeat fœnerari, ſeu mutuare ad vſuras aliquo modo per ſe, vel per interpoſitam perſonam, & quicunque contrafecerit, condemnetur ad perdendum, & perdat ipſo iure, & facto totam veram ſortem, & quicquid exinde habere debuerit. Huic tamen pœnæ non ſubiaceat aliquis, cui de publico licen-

tia fœnerandi data sit. Et ne fraus aliqua de persona ad personam, uel de contractu ad contractū, uel modo aliquo committatur, statuimus, quod si pactum aliquod, seu instrumentum, uel scriptura facta, seu factum fuerit in personam alicuius interpositæ personæ, ita qued uideatur esse creditor, qui reuera non sit, sed pecunia exbursata sit de bonis alterius, qui creditor non appareat, tunc condemnetur ille uerus creditor, ut dictum est. Et nihilominus simulatus creditor si sciuerit debitum, seu contractum esse usurarium, & id non manifestauerit D. Potestati, uel iudicibus suis, condemnetur in dimidio ueræ sortis. Et cuiuslibet penæ in hoc statuto declaratæ medietas sit communis, & altera denunciantis. Et quilieet denunciare posit, & teneatur in credentia. Et habeat locum præsēs statutum non solum in contractibus mutui, uerum etiam in quocunq; cōtractu sub usuris facto, etiam si nulla scriptura superinde facta esset.

ALiqua persona de Padua, uel Paduono districtu non posit se obligare ad capiendum personaliter in aliquo contractu. Et si se obligauerit, non ualeat, nec teneat, nec propter illud capi, uel petineri posit. Et huic statuto renunciari non posit, uel modo aliquo per pactum, uel iuramentum remitti.

ALiquis ciuis Paduæ non posit, nec debeat aliquo modo, uel ingenio se obligare alicui personæ pro aliquo forēse, qui non habitet in ciuitate Paduæ uel Paduano districtu, & nō sustineat one-

ra,& factiones communis Paduę,vel alicuius villæ Paduani districtus. Et qui contrafecerit, si fuerit miles componat communi paduæ libras centum paruorum, & si fuerit pedes componat communi paduę libras quinquaginta, & obligationes non valeant. Et si cuius paduanus satisfecerit obligationi, non possit petere represaleas propterea sibi concedi. Saluo quod hæc non vendicent sibi locum in obligationibus, quæ fient in communi Paduæ. Et notarius, qui scripserit in casu vetito, puniatur in libris 50. paruorum.

SI quis vel vt nuncius, vel vt procurator alterius, vel vt negotiorum gestor alterius, vel quocunque alio nomine deposuerit, vel mutuauerit, vel receperit venditionem, vel donationem, vel confessionem, aut finem, vel quietationem, seu aliquem contractum fecerit, vel possessionem, aut aliquod aliud requisiuerit quomodocunq; & ex quacunque causa nomine, & vice alterius, statim eo ipso nullũ ius remaneat illi, siue penes illum, qui prædicta fecerit nomine alterius, sed omne ius acquisitum ei, qui prędicta fecerit nomine alterius, translatũ esse intelligatur ipso iure in illum, cuius nomine facta fuerint prædicta. Et habeatur perinde, ac si ille, cuius nomine factus est contractus, vel actus gestus personaliter fecisset, non facta differentia in cuius personam verba obligatoria, siue executiua sint collata. Et prædicta habeant locum quo ad translationem actionum & iuris quæsiti consentiente illo, cuius, nomine contractus celebratus fuerit.

Si

Si quis pro alio ſoluerit creditore volente,vel ſi eius bona accepta fuerint in ſolutum, vel vendita ad incantum,quo ille,qui ſoluit,ſeu cuius bona accepta, vel vendita fuerint, habeat actionem ipſo iure, ac ſi ceſſio facta foret. Et hoc etiam habeat locum in ſolutionibus factis ad cameram dominij, & communis, quo caſu ſoluens in ius dominij, & communis ſuccedat, ac ſi ei per cameram, ſeu per camerarios, & officiales dominij,& communis facta ceſſio foret.

SI de cætero plures rei debendi, vel fideiuſſores, vel interceſſores ſe obligabunt in aliquo debito, vel bona ſua,vel ſuper prædictis præceptum, monitionem, aut ſententiam receperint, aut confeſſionem coram iudice fecerint, non teneantur, nec conueniri poſſint ipſi, vel bona ſua ſolidum, ſed viriliter tantum, vel pro minori quantitate tantum, ſi pro minori interceſſerint, vel fideiuſſerint, vel obligati fuerint, non obſtante pacto, renunciatione,ſtipulatione,confeſſione, ſententia, vel iuramento,nec obſtante aliqua obligatione vel promiſſione. Et huic ſtatuto renunciari non poſſit, nec per pactum, vel iuramentum remitti. Et valeat,& ſeruetur ſtatuto aliquo,vel iure non obſtante,& quod accuſatio, vel denunciatio, quæ fieret occaſione prædictorum de periurio non admittatur, & ſuper ea non procedatur. Et nihilominus puniatur accuſator, qui de periurio aliquem accuſauerit, vel denunciauerit in libris 25. paruorum. Locum tamen non habeat præſens ſtatutum in

con-

contractibus dotium, sponsalitiarum, vel arrarum occasione futuri matrimonii constituendarũ in locationibus, vel affictationibus datiorum, vel bonorum communis Paduæ, nec in obligationibus, quæ fient communi Paduæ, nec in contractibus venditionum, liuellorum, vel locationum rerum immobilium tantum, vel decimarum, neque in aliquo debito contracto inter dominos possessionum & laboratores suos.

Statuimus & ordinamus, quod de aliquo iuramẽto facto in aliquo instrumento mutui, vel depositi de attendendo, vel soluendo in termino contractus, vel de non contraueniendo aliquid, non possit accusari, nec aliquo modo procedi contra eum, pœna accusanti nihilominus librarum vigintiquinque paruorum.

SI aliquis vendiderit possessiones suas, & emptor promiserit eas venditori restituere, præsumatur debitũ vsurarium, si venditor probare poterit charta, vel testibus, ꝙ emptor restituere teneatur, si emptor fuerit publicus vsurarius tẽpore cõtractus.

SI aliquis emit possessiones ab aliquo venditore habente, & retinente post ipsam venditionem tenutam, & possessionem, vel solam detentionem illarum possessionum per vnum annum ad minus, præsumatur & iudicetur debitũ vsurarium, si fuerit emptor publicus vsurarius tempore cõtractus. Et ꝙ fuerit publicus vsurarius, & manifestus in casu huius statuti, & in casu statuti præcedentis quod incipit. Si aliqs vendiderit, & statuti infra positi ꝙ incipit.

incipit ∴ Contractus qui loquuntur de frumento, tractari, probari, & cognosci, possint etiam coram iudice sæculari. Et in odium talium vsurariorum probatio fieri possit contra eos etiam secundũ morem episcopalis curię, & secundum iura canonica, non obstante statuto loquente de debitis stipulatione firmatis.

ALiqua pœna non possit imponi in aliquo instrumento mutui, vel in aliquo debito vsurario in fraudem vsuræ facto vltra id, quod ascenderit libras viginti pro centenario, & in ratione centenarij pro anno, & in ratione anni. Et si pęna maioris quantitatis poneretur in instrumẽto, creditor aliquid vltra id nõ possit exigere, licet debitor, vel fideiussor renunciauerit huic statuto. Et potestas, eiusque officiales, vel alij iudices officiales palatij non debeant facere rationem de aliqua pęna, nisi vsque ad summam prædictam modo aliquo non obstante.

STatuimus, quod pœna etiá conditionalis aliqua excedere non possit quantitatem, vel æstimationem rei, super qua, vel cuius occasione pœna inserta fuerit, seu promissa, etiam si ex contractu multiplicari potuisset. Et huic statuto renũciari nõ possit, nec per pactum, vel iuramẽtum remitti, ita tamen, quod pęna prædicta apposita in quocunq; contractu peti, & exigi possit cum effectu coram quocunque iudice, non derogando propterea superiori proxime statuto, nec alicui alij statuto, per quod esset specialiter prouisum in pœnis, dũmodo

instru-

instrumentum, in quo est apposita pœna, sit efficax aliter.

COntractus, qui loquuntur de frumento, vino, panzerijs, deposito, soceda bouum, asinorum, vaccarum, & similium quadrupedum, dummodo soceda non sit cum laboratoribus & similibus, vsurarii presumantur, & iudicentur, si creditor, vel depositor fuerit publicus vsurarius tēpore cōtractus.

COntractus aliqui, seu obligationes, vel pacta cuiuscunq; conditionis sint facta, seu quæ fient inter publicos ruffianos, & publicas ruffianas, & meretrices, non valeant, nec teneāt de iure, vel de facto, sed sint cassi, cassæ, & cassa, & nullius roboris, vel momēti, non obstante aliquo statuto facto, vel faciendo. Et huic statuto renunciari non possit, neque possit per pactum, vel iuramentum aliquo modo remitti. Idem intelligatur de contractibus inter prædictas personas factis, seu qui fient de pane, & vino, seu occasione panis & vini. Et in casu huius statuti probari possit quis ruffianus, seu ruffiana, vel meretrix etiam per publicam vocem, vel famam.

SI quis fideiussor, vel quilibet alius, qui alij etiam obligatus soluerit pro debitore, pro quo fideiussit, seu pro quo fuerit debitor obligatus, tunc ei soluere similiter teneatur ille, pro quo solutum fuerit debitum cum omni damno, & interesse si probare poterit. Si vero probare nō poterit, teneatur ei soluere secundum quod pro tempore guerdones præstant, siue soluerit de sua pecunia, siue de

N aliena,

aliena, iuramento ei delato à iudice, quod tantum est suum damnum & interesse.

Statuimus, & ordinamus, quod aliquis in aliquo cõtractu non possit de cætero esse fideiussor, vel constitui fideiussor, nisi præsente principali persona, cuius debebit esse fideiussor, & ipsa cõsentiẽte. Et de cætero detineri non possit prætextu, vel velamine fideiussionum factarum absentibus principalibus personis, & quæ non consenserunt fideiussionibus factis in absentia eorum.

Statuimus & ordinamus, quod aliquis, qui sit obligatus, vel de cetero obligabitur alicui ciui Paduæ sustinenti onera, & factiones ciuitatis, et communis Paduæ ex quacunque causa, non possit de cætero coram D. Potestate, vel aliquo ex suis iudicibus, aut aliquos ex officialibus communis Paduæ, suis creditoribus, vel alicui ex eis, quibus tenetur, aut tenebitur deinceps quacunque de causa ad aliquid dandum, vel soluendum, aut faciendum dare electionem, quod eligat vtrum eidem, qui esset obligatus, velit dare inducias quinquennales, aut velit accipere bonorum cessionẽ. Saluo quod per hoc statutum nullum præiudiciũ generetur in toto, vel in parte statuto beati Antonij, posito sub rubrica de Cessione bonorum.

SI qua bona fideiussoris, mandatoris, vel alicuius alterius, qui ad instãtia alicuius intrauerit in obligationem, seu eius, cui promissum fuerit de conseruando ipsum idemnem, fuerint accepta in solutum per creditorẽ, vel aliter satisfactũ fuerit creditori,

vel

vel condemnatus ad ſoluendum fideiuſſor, mandator, vel alieno nomine interueniens, vel cui promiſſum fuerit de conſeruando eum indemnem, eius hæredes conuenire poſſit, quemadmodum ſi ceſſio facta fuiſſet. Et poſſint ſimiliter contra poſſeſſorem bonorum prædictorum, vel alicuius eorum agere hypothecaria, ſiue facta fuerit ceſſio, ſiue non, concuſſis bonis principalis debitoris, mãdatoris, vel eius, ad cuius inſtãtiam intrauerit obligationem, vel eius, qui eum indemnem cõſeruare promiſit, ſi in principali obligatione bona fuerint obligata, niſi in eadem obligatione plures fuerint obligati. Quo caſu tantum pro parte, pro qua obligatus fuerit, & conueniri potuerit ſecundum formam ſtatutorum communis Paduæ, is, cuius bona accepta fuerint in ſolutum per creditorem, vel aliter ſatisfecerit creditori hoc beneficium ſibi competat. Et prædicta omnia locum habeant in quocunque ſoluente pro aliquo obligato communis Paduæ, & ſit præciſum.

SI quis de cætero fecerit donationem, ſeu obligationem, vel alienationem de ſuis bonis, vel de his, quæ ſua eſſe videtur, aut de parte, vel certa re. Et poſtea cum aliquo contraxerit, in quo contractu ſua bona obligauerit. Et tempore contractus poſſeſſionem, ſeu detentionem in ſe habuerit, vel habere videbitur, nullum præiudicium creditoribus, vel fideiuſſoribus per talem donationem, ſeu alienationem generetur, niſi eam fecerit legi, & inſinuari ſecundum formam ſtatutorum communis

nis Paduæ loquentium de prædictis.

ALiquis non debeat aliquem tenere, vel facerẽ ſtare ad pręcepta extra ciuitatem, vel ciuitate, aut in burgis Paduæ, nec aliquem ſibi obligare, vt vadat, vel non vadat ad aliquem locum, vel loca occaſione alicuius contractus. Et ſi factum fuerit, non valeat, nec obſtent aliquæ renunciationes, vel ſacramenta. Et qui contrafecerit, intelligatur vti iuriſdictione, niſi contractus ſit licitus, vtputa eundi Romam, vel ad ſanctum Iacobum, vel ad caſtra, vel ad laborandum, vel ſimilia.

ALiquis homo nõ audeat vel debeat etiam die, vel nocte res aliquas, vel pignus accipere ab aliquo filiofamilias, vel à ſeruo, ſiue mercenario habitante cum domino. Et quicunque contrafecerit, debeat domino, ſeu patri rem, ſeu pignus reſtituere, aut æſtimationem ſoluere. Et ſi modo aliquo alienauerit rem ipſam, vel pignus infra 15. dies, tunc rem ipſam, ſeu pignus cum duplo valoris reddat. Et ſuper hoc poteſtas & quilibet iudex ſummarie procedat ſine iuramento calumniæ, & ſine libello, vel alia ſolemnitate iuris, & conſtringat teſtes ad dicendum veritatem. Et ſi ille, qui rem, vel pignus acceperit, confeſſus fuerit, vel dixerit ſe recepiſſe aliquas res à prædictis perſonis (ut dictum eſt) tunc confeſſio eius vbicunque facta præiudicet ei, etiam ſi facta fuerit abſente domino, vel patre repetente res ipſas. Et valeat confeſſio talis facta perinde, ac ſi facta eſſet coram iudice, & præſente parte aduerſa, & credatur iuramẽto domini de re-

bus

bus pignoratis per scutiferos, & iuramento patris de rebus pignoratis per filium vsque ad summam librarum decem. Idem dicimus de quolibet contractu, ne per ipsum contractum accipiant res aliquas a personis prædictis.

DE CHARTIS DEBITORVM REDDENDIS. RVBRICA.

STATVIMVS, quod si instrumenta debiti, vel præceptorum fuerint reperta apud debitorem, vel fideiussorem cãcelata, præsumatur debitum ipsum, seu instrumentum debiti, vel præceptorum esse solutum. Saluo omni iure creditori probandi ipsum instrumentum debiti vel præceptorum fore amissum, seu perditum. Quo casu non præsumatur debitum solutum, nisi habuerit instrumentum solutionis illius debiti manu publici notarij cũ sua nota, & subscriptione in præsentia saltem duorum, vel trium testium bonorum, & fide dignorum, vel nisi a renibus idest lateribus ipsius instrumenti debiti, seu pręcepti scriptum erit instrumentum solutionis illius debiti manu publici notarij cũ sua nota & subscriptione in præsentia, vt dictum est. Neque præsumatur debitum solutum, si quando debitor, vel fideiussor, penes quem reperiretur instrumentum, seu præceptum illud cancelatum, esset domesticus creditoris, vel alicuius de familia creditoris, seu conuersaretur in domo habitationis creditoris

nisi debitor, uel fideiussor ipse, uel alius ex eo conuentus haberet instrumentum solutionis dicti debiti, vel nisi a renibus idest lateribus dicti instrumenti scriptum esset instrumentum solutionis debiti illius manu publici notarij ut dictum est, aut nisi debitor, uel fideiussor, uel alius ex eo conuentus probari legitime, quod creditor requisitus noluit facere instrumētū solutionis debitori, uel fideiussori soluenti, aut probet, quod creditor noluit pati, quod a renibus dicti instrumenti scribatur solutio, uel instrumentum solutionis ipsius debiti.

TEneatur creditor recipiens solutionem à suo debitore, uel fideiussore, seu ab alio pro eo soluente clamare sibi solutum ab eo, qui soluit de toto, vel parte debiti prout datur, aut pati, quod debitori, seu alii soluenti uolenti & requirenti fiat expēsis requirentis instrumentum solutionis de toto, uel parte prout sibi datur. Et creditor ipse si personaliter, vel bis ad domum requisitus prædicta non fecerit coram domino potestate, vel vno ex iudicibus eius infra decem dies a die requisitionis computando, condemnetur in libris 50. paruorum, quarum medietas sit communis, alia denunciantis, ita tamen quod pœna non excedat sortem, seu quantitatem debiti.

SOlutione integra totius debiti facta, teneatur creditor dare instrumentum debiti, seu præcepti debitori, seu fideiussori, uel alii debitum soluenti. Et si fuerit fideiussor soluens, uel alius, cui de iure debeāt iura & actiones cedi, teneatur creditor requisitus

quisitus cedere iura sua, & actiones soluenti prout moris est. Et si prædicta, vel aliquod prædictorũ requisitus non fecerit, puniatur, vt in præcedenti statuto declaratum est, non obstante pacto aliquo, vel iuramento, aut aliqua renunciatione in ipsis instrumentis appositis.

SI creditor noluerit accipere debitum suum sibi integre obligatum congruo loco, & tempore, tunc debitor, vel alius deponat illud iudicis auctoritate apud idoneam personam arbitrio iudicis. Et facta (vt dictum est) depositione debiti, non possit creditor, vel alius molestare debitorem, vel fideiussorem occasione dicti debiti. Et si forbannitus esse debitor ipse, vel fideiussor possit legitime cancelari dicto casu de libro forbannitorum, & similiter si detẽtus esset, possit relaxari, ac si solutio creditori facta esset. Dummodo depositarius soluat debitum illud creditori volẽti recipere, & facere, quod tenetur debitori, vt supra in statutis præcedentibus dictum est. Et teneatur depositarius ipse soluere dicto creditori volenti recipere illud, quod penes ipsum depositum fuit, nullo obstante interdicto, nec aliqua causa obstante. Si uero creditor recipere illud nõ uellet, tunc possit depositarius licite soluere, & reddere depositum illi, qui debitum apud ipsum deposuit. Et si depositum restitutum fuit peponenti, possit creditor contra debitorem procepare, ac si pecunia non fuisset deposita. Et prædicta omnia contenta in his statutis obseruari debeant, non obstantibus aliquibus iuramentis,

vel pactis, aut renunciationibus, & sit præcisum.

SI debitor habuerit instrumentum solutionis generale à creditore, & creditor recusauerit instrumentũ debiti principalis restituere debitori, & instrumentum cessionis, vel non inciderit instrumenta, ꝙ tam creditor, q̃ notarius, qui confecit instrumentum debiti principalis, & cessionis compellantur per potestatem, vel eius iudicem ad relegandum instrumentum debiti principalis, & cessionis, & ad dandum incisa instrumenta dicto debitori. Et creditor ad faciendum finem debitori de debitis prædictis specialiter, sub pęna librarum 50 paruorum, cuius pœnæ medietas sit communis, & altera denunciantis.

DE TESTAMENTIS, ET VLTIMIS VOLVNTATIBVS. RVBRICA.

Potestate Domino Marco Quirino 1236.

TESTAMENTA vltima, quæ fient per aliquos, valeant, & teneant, & non prima, non obstantibus aliquibus conditionibus in primis testamentis insertis, etiamsi de eis in vltimis testamentis nulla mentio facta fuerit. Et huic statuto renunciari non possit.

Idem intelligatur de quibuscunque aliis vltimis voluntatibus, non obstante eo, quod primum testamentum transiuisse in contractum, vel ad codicil-

los,

los, vel aliquam vltimam voluntatem quocunque nomine censeatur, & non obstante etiam iuramento, & sit praecisum.

STatuimus & ordinamus, ꝙ si in testamento, & in qualibet alia dispositione sint commissarii, seu executores relicti, vnus, vel plures, qui habeant executioni mandare voluntatem testantis, seu aliter disponentis, quod si dicti cõmissarij, seu executores mortui fuerint antequam executioni mãdauerint ea, quae in testamento, seu alia vltima voluntate disponens per eos voluerit adimpleri, tũc ipso iure omnis executio, & exactio, & omnis potestas, quae dictis commissariis, seu executoribus competebant, seu competere poterant, transeant, & ipso iure translatae intelligantur in haeredem in testamento institutum, si vnus tantum fuerit institutus, vel in haeredes, vbi plures forent instituti, siue sint masculi, siue foeminae, vna, vel plures, non distincto quo iure sint haeredes, vel haeres, vel directe, uel per fideicõmissum, vel iure alicuius substituionis factae, uel quolibet alio modo uel iure, ita tamẽ quod si filius, vel filia, vnus vel plures, seu vna, uel plures essent cum extraneis, uel aliis instituti, uel institutae, ꝙ primo ad filios, uel filias, ubi plures, seu ad filium uel filiam ubi unus uel una tantum, omnis executio & exactio & omnis potestas, quae dictis commissarijs, seu executoribus competebant, seu competere poterant, transeant, & ipso iure translatae intelligantur in isto casu, & alio quocunque, & eis deficientibus transeant, &

trans-

translatæ intelligantur ad cohæredes. Ipsis vero hæredibus in testamento nominatis, vt supra deficientibus, omnis executio & exactio & omnis potestas transeant ad venientes ab intestato, siue masculi, siue feminę, siue vnus, siue vna vel plures sint. Et omnia & singula supradicta habeant locum in præsentibus, præteritis & futuris.

DE SVCCESSIONIBVS MVLIERVM. RVBRICA.

Potestate Domino Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

MVLIER etiam descendens per lineam masculinam, vel masculus descendens per lineam fœmininam, non succedat quoquo modo ex testamento, vel ab intestate extantibus masculis descendentibus per lineam masculinam patri, vel alias ascendentibus per lineam masculinam. Idem intelligendum est de hęreditate matris, et aliorum ascendentium per lineam fœmininam scilicet, vt mulieres, vel descēdentes ex eis nō succedāt ex matri vel aliis ascēdētibus per lineam maternam extantibus fratribus vtrinque coniunctis, vel extantibus masculis descentibus ex dictis fratribus per lineam masculinā.

Possit tamen ille, de cuius hæreditate agitur, nō debētibus succedere de bonis suis legere quicquid voluerit in sua vltima voluntate. Et si quis habue-

rit

rie filium & filiam, vel filias ex eius vxores, q̄ mortuo filio eius ſoror, vel ſorores ſuccedant cum patre pro virili in bonis filij, dumtamen pater in vita ſua in omnibus quondam filiis ſpectantibus eius ſorori vel ſororibus habeat vſumfructum. Ab inteſtato vero in hæreditate aſcendentium mulier vel maſculus deſcendens per lineam maternam nō ſuccedant extante aliquo maſculo agnato defuncti, vel defunctæ, aſcendenti, vel deſcendenti, vel collaterali vſque ad tertium gradum de iure canonico. Idem ſeruetur in hæreditate deſcendentium ſcilicet vt mater, vel alia quælibet mulier aſcendēs, vel alij etiam maſculi aſcendentes per lineam maternam, non ſuccedant filio, vel alijs deſcendentibus ab inteſtato, extante patre, vel aliis aſcēdentibus, aut deſcendētibus, aut collateralibus maſculis per lineam paternam, ſeu agnatorum defunctæ, vel defuncti vſque ad tertium gradum incluſiue de iure canonico, ita tamen, quod cū aſcendentibus fratres maſculi vtrinque coniuncti, & filij maſculi fratrum maſculorum præmortuorum vtrinq; coniunctorum ſuccedant. Idem ſimiliter obſeruetur in hęreditate fratris, vel ſororis, vt ſoror vel deſcēdentes ex ea etiam maſculi non ſuccedant ab inteſtato fratri, vel ſorori extantibut fratribus, vel extantibus maſculis deſcendentibus ex dictis fratribus, vel extante aliquo maſculo aſcēdente, vel collaterali per lineam agnatorū vſq; ad tertium gradum incluſiue de iure canonico. Idem intelligatur de collateralibus fęminis, ſeu maſculis venientibus

per

per lineam fœminã scilicet, quod non succedãt ab intestato alicui defuncto, uel defunctæ extante aliquo, uel aliquibus masculis per lineam agnatorum. Et in quocunque prædictorum casuum omnis hæreditas defuncti, seu defunctæ ab intestato in integre, & sine aliqua diminutione debita etiã iure naturæ deferatur ad masculos per lineam agnatorum uenientes usque ad tertium gradum inclusiue de iure canonico. In quibus omnibus supradictis successionibus deferantur hæreditates masculis per lineam agnatorum proximioribus defuncti, seu defunctæ in stirpes, & non in capita, & seruata etiã gradus prorogatiua inter ipsos iuxta iuris ordinem. Saluo quod in quolibet prędictorũ casuum uniuersaliter succedens mulieri per hoc statutum à successione exclusæ, pro ea maritanda uel monacanda, uel pro eius sustentatione, si nubere uel monasterium ingredi noluerit, prouidere, & subuenire teneatur de bonis hæreditariis secundũ facultates hæreditatis, & secundum dignitates, & mores ciuitatis, si tempore mortis illius, de cuius hæreditate agitur, mulier prædicta non habuerit dotem, uel unde se dotare posset, uel ingredi monasterium, uel se sustentare debentis inspecta conditione, & dignitate suæ personæ, & inspectis uiribus hæreditatis, computando in prædictis prouisionibus faciendis, & in omnibus prædictis casibus legato dictæ mulieri exclusæ relicto per eum, de cuius hæreditate agitur. Et similiter si ille, cui successio ab intestato de iure communi deberetur

esset

esset auus maternus, uel alius masculus quicunque ueniens per lineam fœmininam, & non haberet, unde se posset decenter alere, q; tunc uniuersaliter succedēs teneatur sibi prouidere de frugibus hęreditatis, itaq; alimenta habeat ut uiuere possit decēter attenta cōditione & dignitate suæ personę, & attētis uiribus hæreditatis, & attenta qualitate & quātitate redditum dictæ hæreditatis arbitrio domini potestatis, uel alterius boni uiri, seu iudicis, coram quo de prædictis causa moueretur. Et in omnibus prædictis casibus bona hæreditaria illius, de cuius hæreditate agitur, & etiam bona ipsius hæredis pro prædictis omnibus obligata esse intelligantur, & sint cuicunque mulieri seu masculo ueníenti per lineam fæmininam, cui prouisio dotis ad maritandum, uel monacandum, uel prouisio alimentorum ad uiuendum secundum formam huius statuti facienda esset. Si uero mulier illa ab hæreditate exclusa esset mater, uel auia, uel alia ascendens materna, uel paterna, uel descendēs, aut soror una, uel plures defuncti, uel defunctæ, tunc & hoc casu ipsa mater, seu auia, uel alia ascendens, seu descendens, aut soror habere posit, & debeat tertiū hæreditatis, ita tamen, quod mulier transiēs ad secunda uota non succedat filio, uel filiæ ab intestato extantibus fratribus masculis utrinq; coniunctis defuncti, uel defunctæ, uel eis non extantibus non succedat cum filijs, uel alijs descendentibus masculis dictorum fratrū. Et si successerit prius q̃ transierit ad secunda uota, & postea transiuerit

ad ſecunda vota, tunc & eo caſu totum, quod perceperit, reſtituat integre dictis fratribus, ſeu nepotibus, vel aliis deſcendentibus maſculis, ſi fratres non ſuperaſſent, in ſtirpes, & non in capita, exceptis fructibus perceptis medio tempore per ipſam. Et mulier ſuccedens filio, vel filiæ, ſeu nepoti, vel alicui deſcendentium, etiam ſi ad ſecunda vota nõ tranſeant reſeruare teneatur fratribus defuncti, vel defunctæ maſculis vtrinque coniunctis hęreditatem ſibi delatam reſtituendam eiſdem poſt eius mortem. Et ſi fratres, vel alii maſculi deſcendentes ex dictis fratribus non ſupereſſent, reſeruetur ſororibus eius vtrinque coniunctis, retenta ſibi debita iure naturæ. Et de prædictis omnibus & ſingulis cognoſcatur ſummarie, breuiter & de plano.

Et vbicunque in pręſenti ſtatuto fit mentio de agnatis, intelligatur ſemper, & in quolibet caſu de agnatis maſculis, & legitimis & naturalibus, & de legitimo & naturali patre natis, & non aliquo alio modo.

MVlier aliqua habens alios non poſſit relinquere bona ſua, vel de bonis ſuis, niſi filijs ſuis, aut filię, vel filio, ſeu nepoti, vel nepotibus, aut pronepoti, vel pronepotibus, & aliis deſcendentibus ex prædictis, nec ab inteſtato; aut donatione cauſa mortis, aut aliquo modo, ita tamen, ꝙ extantibus filiis maſculis, vel maſculis ex eis deſcẽdẽtibꝰ non poſſint capere fęminę vel deſcendentes ex eis vltra dimidium eius, quod eſſent habituræ ab inteſtato de iure. Saluo eo, quod poſſit relinquere, quod

iuſtum

ſuſtum fuerit ſecundum qualitatem bonorum, ita tamen, quod illud iuſtũ non poſſit excedere quartũ bonorum ſuorum. Et filij & alij deſcendentes, ad quos deuoluta eſt hęreditas, ponantur in poſſeſſionum bonorum hæreditatis matris in omni caſu ſummarie ſine quęſtione, & querela. Et hoc habeat locum in præſentibus, præteritis, & futuris. Sed ordinare poſſit, quod bona ſua poſt eius mortem, cui voluerit, deueniãt ſi filij aut nepotes vel pronepotes decederent abſq; liberis, ſalua legitima ſiue ſit ſui iuris, ſiue in poteſtate patris. Si vero aliqua mulier habuerit virũ ſuum ſuſpectũ, & ſuſpectus fuerit male agere debere, tunc filijs ſuis, & deſcendentibus, ſi impuberes fuerint, poſſit relinquere quẽcũq; tutorem voluerit. Et ſi plures erunt, eodem modo poſſit relinquere eis duratorem. Et his duobus caſibus pater filiorum ſuper illis bonis nullam habeat adminiſtrationem, nec aliquid dicere poſſit.

STatuimus, q̃ omnes res tranſmiſſæ per patrem, vel matrem ſponſi, vel per aliũ pro ipſo ſponſo, eidem ſponſæ donatæ intelligantur, ita quod ualeat donatio cum effectu, exceptis ueſtimentis, cinturis, ſeu cingulis, coronis, ſeu ſertis, aut frenelis & filis de perlis, & annulis, & taciolis, quę donatæ non intelligantur. Et res portatæ, ſeu tranſmiſſæ per ſponſas, & uxores ipſi maritis, uel ſponſis non intelligãtur donatæ, exceptis rebus, quæ cõmuniter, & quotidie habent extra coffinos in uſum communem eius, uel alicuius de familia, uel mariti, aut ſoceri, aut ſocrus, quę donatæ intelligãtur, dũ tamẽ

præ-

prædictæ res, quæ in casibus prædictis intelliguntur donatæ, non excedant summam librarũ quinquaginta,& habeat locum in præsentibus & futuris matrimonijs.

SI maritus alicuius ex aliqua eius vxore defuncta haberet, vel habuerit filios, non possit nouercae illorum filiorum constituere dotem, aut augmentum dotis, vel per confessionem, aut alium contractum ab illo tempore citra, quo ipsam duxerit in vxorem, nisi de illis bonis, denariis, & rebus, quas ab ipsa recepit, aut reuera recepisset. Et si contrafactum est, vel fuerit, non valeat, nec teneat de iure nec de facto, & hoc locum habeat in præteritis & futuris. Illud idem obseruetur in qualibet uxore, cui constituta fuerit dos, vel augmentum dotis post quinquennium à tempore contracti matrimonii in antea.

SI aliquis acceperit vxorem, quæ dederit dotem, vel quiuis alius pro ea marito suo, & ipsa mulier decesserit constante matrimonio sine communibus filiis, aut liberis ex testamentò, vel ab intestato, maritus debeat lucrari dimidiam partem dotis datæ ab ipsa muliere, vel ab aliquo pro ea dotē dante. Et si decederet condito testamento, mulier ipsa relinquere possit marito suo id, quod voluerit arbitrio ipsius mulieris. Et legatum istud non computetur in dimidia prædicta, sed habere debeat maritus legatum, & partem dimidiam ipsius dotis. Et hoc habeat locum in dotibus iam constitutis & constituendis. Et huic statuto renũciari non possit, & sit

& sit præcisum. Saluo q per hoc statutum non derogetur suprascripto statuto, quod incipit. Mulier aliqua habens filios, posito sub pręsenti rubrica. Et saluo etiam q alius, qui non teneretur ipsam mulierem dotare, dedisset dotem, & fuerit stipulatus eam sibi reddi, mulier in dicto casu aliquid alicui legare non possit in pręiudiciũ eius, qui dotem dedisset. Sed maritus eo casu solũ dimidiam dotis debeat habere, & habeat locum in pręsentibus & futuris. Et si maritus receperit, seu recepisset constante matrimonio redditus, seu fruges aliquos de possessionibus ad vxorem quocunq; modo pertinentibus, ipse maritus, vel eius hæredes ipsi vxori, vel eius hæredibus ad restitutionem frugum, vel reddituum ipsorum, seu ad æstimationem ipsorum nullo modo teneatur. Et huic statuto renũciari nõ possit aliquo modo, vel ingenio, & si renunciatio facta fuerit, non valeat, nec teneat de iure, nec de facto, & sit præcisum. Et prædicta locum habeant in præteritis, præsentibus, & futuris, & q maritus lucretur fructus omnium bonorum parafrenaliũ vxoris & vndecunque venientium, qui fructus de iure communi spectare possint dictæ vxori. Idem intelligatur in quacunque muliere, qui contraxit matrimonium cum aliquo ciue Paduano, vel habitante in ciuitate Paduæ, vel districtu, quod maritus lucretur prædicta ubicunque celebratus fuerit cõtractus dotis. Et hoc habeat locum in præteritis, præsentibus, & futuris. Et omnia prædicta etiam habeant locum in dote cõfeßiata. Saluo q prætsens

statutum non vendicet sibi locum in vxoribus expulsis a maritis de domo maritorum, vel si habuerit iustam causam non habitandi cum dictis maritis, nisi tempore mortis cum eis renunciatum fuerit, reducentes eas & sibi alimenta præstantes.

STatuimus & ordinamus, quod si aliquis pro aliqua muliere dotem dederit, licet ante dotem aliquē contractum inierit cum dicta muliere, in quo dictā mulierem, seu dictæ mulieris dotem futuram sibi obligauerit, nullum preiudicium inferre possit descendentibus ex ipsa muliere, nec etiam marito, etiamsi contractus prædictus fuerit iuramento firmatus renunciatione aliqua non obstante, nisi de volūtate mariti precesserit mulieri cuilibet volēti vendicare dotem suam, vbi sit casus dotis exigendæ matrimonio existente, vel soluto, ius summarie fiat, & reddatur secundum formam statuti, quod incipit. Si qua mulier positi sub rubrica de Citationibus, & ordine procedendi in causis ciuilibus.

MUlieri cuilibet volēti vendicari dotem suam, vbi sit casus dotis exigendæ matrimonio cōstāte, vel soluto, ius summarijssime sibi fiat, & reddatur secundum formam statuti quod incipit. Si quā mulier, positi sub rubrica de Citationibus, & ordine procedendi in causis ciuilibus.

MVlieri fragilitati subuenire volentes, statuimus, & ordinamus, quod nulla mulier etiā consentiente marito, nec ipse maritus etiā consentiēte vxore, possit uendere, nec alienare, nec pignori obligare constante matrimonio aliqua bona immobilia

mobilia datæ in dotem inæstimata, aut etiam æstimata ea æstimatione, quæ non faciat emptionem. Et si contrafactum fuerit, talis venditio, alienatio, seu pignorum obligatio sit cassa, & nulla quocũq; fuerit iuramento uallata, quòd etiam habeat locũ in aliis quibuscunq; bonis immobilibus ipsius mulieris marito traditis, uel nõ traditis, nisi in casibus, in quibus de iure communi fundus dotalis potest alienari. Quo casu valeat uenditio, aut alienatio, seu pignoris obligatio facta. Si tamen in ea auctoritas Vicarij D. Potestatis Paduæ interueniat cum plena causæ cognitione præmissa, & ipsius mulieris duorum propinquorum consensus annorum 25. masculorum, vel fœminarum non extantibus masculis. Saluo quod si mulier prædicta proximos aliquos nõ haberet, uel haberet absente à ciuitate Paduę, uel districtu, uel pręsentes, sed requisiti non uellent adesse, tunc & eo casu sufficiat pręfacti domini Vicarij auctoritas interposita cum dicta causæ cognitione, quam auctoritatem interponere teneatur quandocunq; talis calamitas immineret.

Si vero mulier dederit in dotem pecuniam, aut alia quæcunq; bona æstimata ea æstimatione, quæ facit emptionẽ, nõ possit renunciare iuri hypothecæ, quã habet in bonis mariti, uel alterius occasione talis suæ dotis, nec ipse maritus, uel alius possit in ipsius mulieris aliquod pręiudiciũ bona talia uẽdere, alienare, uel in ipsis ius aliquod cõstituere, et muliere cũ marito cõsentiẽte, nisi ipso marito, uel alii remaneãt tot bona, q̃ sint sufficiẽtia ad satisfa-

ciendum ipsi mulieri pro sua dote in omnem casum dotis exigendæ, vel restituendæ, aut nisi in casibus à iure communi præmissis, dumtamen in hoc vltimo casu solēnitas intercedat supius declarata.

Possit tamen mulier de bonis quibuscunque prædictis testari, & aliter in vltima voluntate disponere, dummodo non præiudicet per eam, nec per prædicta in hoc statuto contēta ipsi marito in lucro dotis, aut aliorum bonorum, nec alicui statuto de ipsis lucris, & vltima voluntate loquenti.

STatuimus & ordinamus, quod soluto matrimonio, si dos restituenda sit vxori viuenti, vel aliter alimenta sint vxori præstanda durante matrimonio, quod interesse, siue alimēta dictæ mulieris sint, & esse intelligantur decē pro centenario dotis suę ad rationem centenarij pro anno & in ratione anni. Et ad hæc alimenta debita soluto matrimonio teneantur hęredes mariti cuiuscunque hæreditatis fuerit, vel sit dictus hæres sine aliquo beneficio restitutionis. Idem obseruetur in omni casu, in quo per maritum viuentem dos peti potest ab vxore, vel ab alio, vt eidem marito præstentur libræ decem pro centenario, & in ratione centenarij pro anno, & in ratione anni marito sustinente onera matrimonij. Et prædicta locū habeat in præsentibus & futuris. Et prædicta omnia & singula etiam locum habeant in dote confessata. Et idem intelligatur in quocunque debente dotare secundum formam statutorum, vel secundum formam alicuius testamenti post quartumdecimum annum mu-

heris

lieris dotandę, vt eidem in ratione librarum decem paruorum pro centenario ſoluere teneatur, computatis alimentis ipſius dotandæ, excepto quocunque, in cuius poteſtate mulier eſset. Et idem etiam intelligatur in quocunque, cui dos reſtitui debet, vt eidem ſoluantur librę 10. pro centenario à tempore mortis poſt moram reſtitutionis faciendæ.

QVOD PATER NON COMPELLATVR DARE PARTEM FILIO, ET QVALITER ÆTAS FILII PROBARI POSSIT. RVBRICA.

NVllus pater compellatur dare filio ſuo partem bonorum ſuorum. Sed pater teneatur prouidere filijs indigentibus ſecundũ mores, & facultates, & dignitates, niſi iuſtum videretur poteſtati, vel rectori, qui pro tempore fuerit de parte arbitrio eius danda. Et illud, quod dicitur de patre, idem intelligatur de auo, & auia materna, quod non teneantur dare partẽ aliquo caſu nepotibus, ſi habuerint filios maſculos, vel alios maſculos ex linea maſculina.

QVicunque volens poſſit facere ſcribi per baptizantem diem baptizationis, & diem natiuitatis filiorum, & filiarum, nepotum, & neptum, & quorumcunq; aliorum in vno quaterno baptizationis. Et ſecundum quod fuerit ſcriptum in illo quaterno ex relatione compatrum ſuorum fiat ple

na fides de ætate baptizati. Et volens facere prædicta ſcribi, teneatur dare vnum ſolidum ad minus pro prædicta ſcriptura. Et eodem modo credatur de ætate filij ſi reperiretur ſcriptura patris, ita tamen, ꝙ ſupradicti, qui ſcripſerunt, teneantur iurare ſcripturam continere veritatem, ſicut iurauerint.

DE FEVDIS. RVBRICA.

SI aliqua perſona habuerit, & tenuerit aliquod feudũ ab aliquo, vel ab aliquibus, & dominus, à quo tenetur feudum, decederet, & feudum in aliũ veniret, ille, qui habet feudum, debeat habere, & tenere ipſum feudum eiſdem pactis, & conditionibus, quibus olim habuit tenuit. Et locum habeat hoc ſtatutum in præteritis, præſentibus, & futuris.

ALiquis dominus non poſſit probare refutationem in ſe, vel in alio factam eſſe de feudo à vaſallo, niſi per inſtrumentum publicum confectũ per duos notarios bonæ opinionis, & legales, qui ſint de ciuitate Paduæ.

NVlli liceat adiutoriũ feudi accipere, vel petere, vel aliquid aliud loco adiutorij à ſuis vaſallis, licet foret in curia laudatum, ſeu vaſſallis.

DE DECIMIS. RVBRICA.

QVILIBET villanus, vel laborator, vel piſcator, qui laborat alienam terram, vel alienam aquam, debeat reddere decimam domino decimæ frugum ter-

rarum, apium, piſcium, anſerum, pullorum, atque aliarum rerum, de quibus decima redditur ſcilicet decimum ſtarium, decimum piſcem, decimũ pullum, et decimum anſerem. Et ſi habuerit minus decem anſeras, decimã dare teneatur de his, quæ habuerit ſecundum quãtitatem. Et quilibet teneatur dare pro decima duos denarios pro capreto, quatuor denarios pro vitulo, ſex denarios ꝓ pulerio.

SI deinceps aliqua terra, quæ arata, & laborata eſt, ad partem relinqueretur, & de ea pratum factum fuerit, quilibet decimam reddere teneatur, exceptis terris de campanea communis Paduæ, & etiam de his terris, quæ a 20. annis hinc retro fuerint laboratæ. Saluo q̃ per hoc ſtatutum ius terratici nõ auferatur illi, qui conſueuerunt habere terraticum. De pratis vero & nemoribus non reductis ad culturam nemo decimam ſoluere teneatur.

QVilibet, qui reddit decimam, teneatur reddere decimã domino decimæ, vel in grano, vel in paleis ad voluntatem domini, excepto in campanea Paduæ. Et ſi contrafecerit aliquis in aliquo prædictorum, ſoluat pro quolibet capitulo nõ obſeruato ſolidos 60. paruorum pro banno, cuius pœnæ medietas ſit communis, & alia domini decimę.

SI quis poſſederit, uel quaſi poſſederit aliquam decimam, vel ius decimationis per viginti annos per ſe, vel per ſuos auctores, & per ſe, aut auctores ſuos tẽpus continuando iuſtam habeat præſcriptionem, & defenſionem. Et dominus poteſtas Paduæ teneatur omnimode dare operã cũ effectu,

ad ſecunda vota, tunc & eo caſu totum, quod perceperit, reſtituat integre dictis fratribus, ſeu nepotibus, vel aliis deſcendentibus maſculis, ſi fratres non ſuperaſſent, in ſtirpes, & non in capita, exceptis fructibus perceptis medio tempore per ipſam. Et mulier ſuccedens filio, vel filiæ, ſeu nepoti, vel alicui deſcendentium, etiam ſi ad ſecunda vota nõ tranſeant reſeruare teneatur fratribus defuncti, vel defunctæ maſculis vtrinque coniunctis hęreditatem ſibi delatam reſtituendam eiſdem poſt eius mortem. Et ſi fratres, vel alii maſculi deſcendentes ex dictis fratribus non ſupereſſent, reſeruetur ſororibus eius vtrinque coniunctis, retenta ſibi debita iure naturæ. Et de prædictis omnibus & ſingulis cognoſcatur ſummarie, breuiter & de plano.

Et vbicunque in pręſenti ſtatuto fit mentio de agnatis, intelligatur ſemper, & in quolibet caſu de agnatis maſculis, & legitimis & naturalibus, & de legitimo & naturali patre natis, & non aliquo alio modo.

MVlier aliqua habens alios non poſſit relinquere bona ſua, vel de bonis ſuis, niſi filijs ſuis, aut filię, vel filio, ſeu nepoti, vel nepotibus, aut pronepoti, vel pronepotibus, & aliis deſcendentibus ex prædictis, nec ab inteſtato; aut donatione cauſa mortis, aut aliquo modo, ita tamen, ꝙ extantibus filiis maſculis, vel maſculis ex eis deſcẽdẽtibꝰ non poſſint capere fęminę vel deſcendentes ex eis vltra dimidium eius, quod eſſent habituræ ab inteſtato de iure. Saluo eo, quod poſſit relinquere, quod

iuſtum

iustum fuerit secundum qualitatem bonorum, ita tamen, quod illud iustũ non possit excedere quartũ bonorum suorum. Et filij & alij descendentes, ad quos deuoluta est hereditas, ponantur in possessionum bonorum hæreditatis matris in omni casu summarie sine questione, & querela. Et hoc habeat locum in præsentibus, præteritis, & futuris. Sed ordinare possit, quod bona sua post eius mortem, cui voluerit, deueniãt si filij aut nepotes vel pronepotes decederent absq; liberis, salua legitima siue sit sui iuris, siue in potestate patris. Si vero aliqua mulier habuerit virũ suum suspectu, & suspectus fuerit male agere debere, tunc filijs suis, & descendentibus, si impuberes fuerint, possit relinquere quẽcũq; tutorem voluerit. Et si plures erunt, eodem modo possit relinquere eis curatorem. Et his duobus casibus pater filiorum super illis bonis nullam habeat administrationem, nec aliquid dicere possit.

STatuimus, q omnes res transmissæ per patrem, vel matrem sponsi, vel per aliũ pro ipso sponso, eidem sponsæ donatæ intelligantur, ita quod ualeat donatio cum effectu, exceptis uestimentis, cinturis, seu cingulis, coronis, seu sertis, aut frenelis & filis de perlis, & annulis, & taciolis, que donatæ non intelligantur. Et res portatæ, seu transmissæ per sponsas, & uxores ipsi maritis, uel sponsis non intelligãtur donatæ, exceptis rebus, quæ communiter, & quotidie habent extra coffinos in usum communem eius, uel alicuius de familia, uel mariti, aut soceri, aut socrus, que donatæ intelligãtur, dũtamẽ

præ-

prædictæ res, quæ in casibus prædictis intelliguntur donatæ, non excedant summam librarũ quinquaginta, & habeat locum in præsentibus & futuris matrimonijs.

SI maritus alicuius ex aliqua eius vxore defuncta haberet, vel habuerit filios, non possit nouercæ illorum filiorum constituere dotem, aut augmentum dotis, vel per confessionem, aut alium contractum ab illo tempore citra, quo ipsam duxerit in vxorem, nisi de illis bonis, denariis, & rebus, quæ ab ipsa recepit, aut reuera recepisset. Et si contrafactum est, vel fuerit, non valeat, nec teneat de iure nec de facto, & hoc locum habeat in præteritis & futuris. Illud idem obseruetur in qualibet uxore, cui constituta fuerit dos, vel augmentum dotis post quinquennium à tempore contracti matrimonii in antea.

SI aliquis acceperit vxorem, quæ dederit dotem, vel quiuis alius pro ea marito suo, & ipsa mulier decesserit constante matrimonio sine communibus filiis, aut liberis ex testamento, vel ab intestato, maritus debeat lucrari dimidiam partem dotis datæ ab ipsa muliere, vel ab aliquo pro ea dotẽ dante. Et si decederet condito testamento, mulier ipsa relinquere possit marito suo id, quod voluerit arbitrio ipsius mulieris. Et legatum istud non computetur in dimidia prædicta, sed habere debeat maritus legatum, & partem dimidiam ipsius dotis. Et hoc habeat locum in dotibus iam constitutis & constituendis. Et huic statuto renũciari non possit, & sit

& sit præcisum. Saluo quod per hoc statutum non derogetur suprascripto statuto, quod incipit. Mulier aliqua habens filios, posito sub pręsenti rubrica. Et saluo etiam quod alius, qui non teneretur ipsam mulierem dotare, dedisset dotem, & fuerit stipulatus eam sibi reddi, mulier in dicto casu aliquid alicui legare non possit in pręiudiciũ eius, qui dotem dedisset. Sed maritus eo casu solũ dimidiam dotis debeat habere, & habeat locum in pręsentibus & futuris. Et si maritus receperit, seu recepisset constante matrimonio redditus, seu fruges aliquos de possessionibus ad vxorem quocunq; modo pertinentibus, ipse maritus, vel eius hæredes ipsi vxori, vel eius hæredibus ad restitutionem frugum, vel reddituum ipsorum, seu ad æstimationem ipsorum nullo modo teneatur. Et huic statuto renũciari nõ possit aliquo modo, vel ingenio, & si renunciatio facta fuerit, non valeat, nec teneat de iure, nec de facto, & sit præcisum. Et prædicta locum habeant in præteritis, præsentibus, & futuris, & quod maritus lucretur fructus omnium bonorum parafrenaliũ vxoris & vndecunque venientium, qui fructus de iure communi spectare possint dictæ vxori. Idem intelligatur in quacunque muliere, qui contraxit matrimonium cum aliquo ciue Paduano, vel habitante in ciuitate Paduæ, vel districtu, quod maritus lucretur prædicta ubicunque celebratus fuerit cõtractus dotis. Et hoc habeat locum in præteritis, præsentibus, & futuris. Et omnia prædicta etiam habeant locum in dote cõfessata. Saluo quod prǽsens

ſtatutum non vendicet ſibi locum in vxoribus expulſis a maritis de domo maritorum, vel ſi habuerit iuſtam cauſam non habitandi cum dictis maritis, niſi tempore mortis cum eis renunciatum fuerit, reducentes eas & ſibi alimenta præſtantes.

STatuimus & ordinamus, quod ſi aliquis pro aliqua muliere dotem dederit, licet ante dotem aliquẽ contractum inierit cum dicta muliere, in quo dictã mulierem, ſeu dictæ mulieris dotem futuram ſibi obligauerit, nullum preiudicium inferre poſſit deſcendentibus ex ipſa muliere, nec etiam marito, etiamſi contractus prædictus fuerit iuramento firmatus renunciatione aliqua non obſtante, niſi de volũtate mariti preceſſerit mulieri cuilibet volẽti vendicare dotem ſuam, vbi ſit caſus dotis exigendæ matrimonio exiſtente, vel ſoluto, ius ſummarie fiat, & reddatur ſecundum formam ſtatuti, quod incipit. Si qua mulier poſiti ſub rubrica de Citationibus, & ordine procedendi in cauſis ciuilibus.

MUlieri cuilibet volẽti vendicari dotem ſuam, ubi ſit caſus dotis exigendæ matrimonio cõſtãte, vel ſoluto, ius ſummariiſſime ſibi fiat, & reddatur ſecundum formam ſtatuti quod incipit. Si quá mulier, poſiti ſub rubrica de Citationibus, & ordine procedendi in cauſis ciuilibus.

MVlieri fragilitati ſubuenire volentes, ſtatuimus, & ordinamus, quod nulla mulier etiã conſentiente marito, nec ipſe maritus etiã conſentiẽte vxore, poiſit uendere, nec alienare, nec pignori obligare conſtante matrimonio aliqua bona immobilia

mobilia datæ in dotem inæstimata, aut etiam æstimata ea æstimatione, quæ non faciat emptionem. Et si contrafactum fuerit, talis venditio, alienatio, seu pignorum obligatio sit cassa, & nulla quocũq; fuerit iuramento uallata, quòd etiam habeat locũ in aliis quibuscunq; bonis immobilibus ipsius mulieris marito traditis, uel nõ traditis, nisi in casibus, in quibus de iure communi fundus dotalis potest alienari. Quo casu valeat uenditio, aut alienatio, seu pignoris obligatio facta. Si tamen in ea auctoritas Vicarij D. Potestatis Paduæ interueniat cum plena causæ cognitione præmissa, & ipsius mulieris duorum propinquorum consensus annorum 25. masculorum, vel fœminarum non extantibus masculis. Saluo quod si mulier prædicta proximos aliquos nõ haberet, uel haberet absente à ciuitate Paduę, uel districtu, uel pręsentes, sed requisiti non uellent adesse, tunc & eo casu sufficiat pręfacti domini Vicarij auctoritas interposita cum dicta causæ cognitione, quam auctoritatem interponere teneatur quandocunq; talis calamitas immineret.

Si vero mulier dederit in dotem pecuniam, aut alia quæcunq; bona æstimata ea æstimatione, quæ facit emptionẽ. nõ possit renunciare iuri hypothecæ, quã habet in bonis mariti, uel alterius occasione talis suæ dotis, nec ipse maritus, uel alius possit in ipsius mulieris aliquod pręiudiciũ bona talia uẽdere, alienare, uel in ipsis ius aliquod cõstituere, ẽt muliere cũ marito cõsentiẽte, nisi ipso marito, uel alii remaneãt tot bona, q̃ sint sufficiẽtia ad satisfa-

ciendum ipsi mulieri pro sua dote in omnem casum dotis exigendæ, vel restituendæ, aut nisi in casibus à iure communi præmissis, dumtamen in hoc vltimo casu solẽnitas intercedat supius declarata.

Possit tamen mulier de bonis quibuscunque prædictis testari, & aliter in vltima voluntate disponere, dummodo non præiudicet per eam, nec per prædicta in hoc statuto contẽta ipsi marito in lucro dotis, aut aliorum bonorum, nec alicui statuto de ipsis lucris, & vltima voluntate loquenti.

STatuimus & ordinamus, quod soluto matrimonio, si dos restituenda sit vxori viuenti, vel aliter alimenta sint vxori præstanda durante matrimonio, quod interesse, siue alimẽta dictæ mulieris sint, & esse intelligantur decẽ pro centenario dotis suę ad rationem centenarij pro anno & in ratione anni. Et ad hæc alimenta debita soluto matrimonio teneantur hęredes mariti cuiuscunque hæreditatis fuerit, vel sit dictus hæres sine aliquo beneficio restitutionis. Idem obseruetur in omni casu, in quo per maritum viuentem dos peti potest ab vxore, vel ab alio, vt eidem marito præstentur libræ decem pro centenario, & in ratione centenarij pro anno, & in ratione anni marito sustinente onera matrimonij. Et prædicta locũ habeat in præsentibus & futuris. Et prædicta omnia & singula etiam locum habeant in dote confessata. Et idem intelligatur in quocunque debente dotare secundum formam statutorum, vel secundum formam alicuius testamenti post quartumdecimum annum mu-

lieris

lieris dotandę, vt eidem in ratione librarum decem paruorum pro centenario ſoluere teneatur, computatis alimentis ipſius dotandæ, excepto quocunque, in cuius poteſtate mulier eſset. Et idem etiam intelligatur in quocunque, cui dos reſtitui debet, vt eidem ſoluantur librę 10. pro centenario à tempore mortis poſt moram reſtitutionis faciendæ.

QVOD PATER NON COMPELLATVR DARE PARTEM FILIO, ET QVALITER ÆTAS FILII PROBARI POSSIT. RVBRICA.

NVllus pater compellatur dare filio ſuo partem bonorum ſuorum. Sed pater teneatur prouidere filijs indigentibus ſecundũ mores, & facultates, & dignitates, niſi iuſtum videretur poteſtati, vel rectori, qui pro tempore fuerit de parte arbitrio eius danda. Et illud, quod dicitur de patre, idem intelligatur de auo, & auia materna, quod non teneantur dare partẽ aliquo caſu nepotibus, ſi habuerint filios maſculos, vel alios maſculos ex linea maſculina.

QVicunque volens poſſit facere ſcribi per baptizantem diem baptizationis, & diem natiuitatis filiorum, & filiarum, nepotum, & neptum, & quorumcunq; aliorum in vno quaterno baptizationis. Et ſecundum quod fuerit ſcriptum in illo quaterno ex relatione compatrum ſuorum fiat ple

na fides de ætate baptizati. Et volens facere prædicta ſcribi, teneatur dare vnum ſolidum ad minus pro prædicta ſcriptura. Et eodem modo credatur de ætate filij ſi reperiretur ſcriptura patris, ita tamen, q̃ ſupradicti, qui ſcripſerunt, teneantur iurare ſcripturam continere veritatem, ſicut iurauerint.

DE FEVDIS. RVBRICA.

SI aliqua perſona habuerit, & tenuerit aliquod feudū ab aliquo, vel ab aliquibus, & dominus, à quo tenetur feudum, decederet, & feudum in aliū veniret, ille, qui habet feudum, debeat habere, & tenere ipſum feudum eiſdem pactis, & conditionibus, quibus olim habuit tenuit. Et locum habeat hoc ſtatutum in præteritis, præſentibus, & futuris.

ALiquis dominus non poſſit probare refutationem in ſe, vel in alio factam eſſe de feudo à vaſallo, niſi per inſtrumentum publicum confectū per duos notarios bonæ opinionis, & legales, qui ſint de ciuitate Paduæ.

NVlli liceat adiutoriū feudi accipere, vel petere, vel aliquid aliud loco adiutorij à ſuis vaſallis, licet foret in curia laudatum, ſeu vaſſallis.

DE DECIMIS. RVBRICA.

QVILIBET villanus, vel laborator, vel piſcator, qui laborat alienam terram, vel alienam aquam, debeat reddere decimam domino decimæ frugum ter-

tarum,

rarum, apium, piscium, anserum, pullorum, atque aliarum rerum, de quibus decima redditur scilicet decimum starium, decimum piscem, decimū pullum, et decimum anserem. Et si habuerit minus decem anseras, decimā dare teneatur de his, quæ habuerit secundum quātitatem. Et quilibet teneatur dare pro decima duos denarios pro capreto, quatuor denarios pro vitulo, sex denarios ꝑ pulerio.

SI deinceps aliqua terra, quæ arata, & laborata est, ad partem relinqueretur, & de ea pratum factum fuerit, quilibet decimam reddere teneatur, exceptis terris de campanea communis Paduæ, & etiam de his terris, quæ a 20. annis hinc retro fuerint laboratæ. Saluo ꝙ per hoc statutum ius terratici nō auferatur illi, qui consueuerunt habere terraticum. De pratis vero & nemoribus non reductis ad culturam nemo decimam soluere teneatur.

QVilibet, qui reddit decimam, teneatur reddere decimā domino decimæ, vel in grano, vel in paleis ad voluntatem domini, excepto in campanea Paduæ. Et si contrafecerit aliquis in aliquo prædictorum, soluat pro quolibet capitulo nō obseruato solidos 60. paruorum pro banno, cuius pœnæ medietas sit communis, & alia domini decimę.

SI quis possederit, uel quasi possederit aliquam decimam, vel ius decimationis per viginti annos per se, vel per suos auctores, & per se, aut auctores suos tēpus continuando iustam habeat præscriptionem, & defensionem. Et dominus potestas Paduæ teneatur omnimode dare operā cū effectu,

quod prædictũ ſtatutũ ſeruetur. Et intelligatur iu-
ſto titulo poſſediſſe eo ipſo, ꝙ poſſederit per vigin-
ti annos, allegando inueſtituram, & probãdo poſ-
ſeſſionem per dictum tempus 20. annorum.

Villanus, & laborator, ſeu liuellarius debeat de-
nunciari collectori decimæ antequam leuet
bladum de campo, vel de ara, vt veniat ad accipiẽ-
dum decimam. Et ſi dominus decimæ collectorem
non habuerit ibi in villa illa, qui tunc eum bladum
leuet de ara, vel de campo, villanus faciat ibi eſſe
ſuos ex ſuis vicinis, quibus proteſtetur decimæ
quãtitatem, & eam colligat, & ſaluet cum alio ſuo
blado, donec dominus, vel collector eam accepe-
rit, & quarteſiũ locare & ſaluare teneatur. Et qui
contrafecerit pro qualibet vice ſoluat pro banno
ſolidos centum, quorum medietas ſit communis,
& altera medietas ſit illius, cuius eſt decima. Et vil
lanus, ſeu laborator teneatur dare decimã de vuis
domino, vel eius nuncio, ſi voluerit dominus, &
hoc quando dominus partitus fuerit vuam cum
villano, ſeu laboratore vineę. Et qui contrafecerit
ſoluat pro banno ſolidos viginti, quorum medie-
tas ſit cõmunis, & alia medietas ſit illius, cuius eſt
ipſa decima. Hoc idem intelligatur de decimis,
& tot ſtarios bladi ſicci det domino, vel eius nun-
cio ad ſtarium raſum, quod ei veniebat de viridi
ad ſtarium culmũ. Et qui contrafecerit, ſoluat pro
banno ſolidos centum, cuius medietas ſit commu-
nis, & altera medietas ſit domini. Et ſemper omni-
bus & ſingulis contentis in ſtatutis poſitis ſub hac
rubrica,

rubrica, possit procedi & cognosci summarie & de plano.

DE LIVELLARIIS, ET AGRICOLIS, RVBRICA.

QVICVNQVE possederit, vel laborauerit terram, vel domum habitauerit, siue sibi, siue alij per liuellum, vel per locationē proprie, vel improprie factā ad non modicum tempus datam, quocunque modo possideat, laboret, vel inhabitet, teneatur soluere, & præstare affictum, & pęnam, sicut tenebatur ille, cui data fuerit per liuellum, vel per locationem ad non modicum tempus. Et perinde in omnibus domino teneatur, nisi laborans, vel inhabitans conduxisset à liuellario, vel conductore, & soluisset eisdem affictum. Et non modicum tempus intelligatur quinque annorum.

TEneatur ille, in quem peruenerit liuellus, seu locatio ad non modicum tempus, recognoscere liuellum, seu locationem proprie, vel improprie factam, & inuectituram recipere vsque ad finem locationis ab illo, ad quem ius proprietatis pertinet ratione directi, vel vtilis dominij, uel quasi. Et in omni casu huius statuti, & in quocunq; alio casu cuiuscunque quæstionis præcedat liuellus, si in eo contineatur ꝙ agatur iure directi, uel utilis dominii, uel quasi. Et super omnibus possint fieri probationes. Et econuerso dominus teneatur

reco-

recognoſcere dictum liuellarium, ſeu cōductorem, ad non modicum tempus, vel eum in quem peruenerit liuellus, ſeu locatio ad non modicum tempus. Et ille, in quem iura proprietatis peruenerint, teneatur inueſtire liuellarium, ſeu conductorem ad non modicum tempus recognoſcere. Et ipſe liuellarius, ſeu conductor ad non modicus tempus, teneatur ipſum dominum recognoſcere. Et quilibet prædictorum poſſit cogi ad prædicta ſummarie, & præciſe abſq; alia ſolutione pecuniæ, vel pretij, niſi ſecundū pacta & conuentiones primæ inueſtituræ. Et non modicū tempus intelligatur 5. annorum.

SI in inſtrumento liuelli contineatur, quod res liuellata non poſſit vendi, neque alienari, niſi certis modis. Et ſi aliter facta fuerit, non valeat venditio, ſeu alienatio, quod eo caſu res illa liuellata reuertatur ad dominum. Et ſi poſſeſſio liuelli, vel iuris liuellarii peruenerit ad eas perſonas, ad quas peruenire ex forma inſtrumenti & pacti vetitum eſt, tunc & hoc caſu ſi ille, ad quem peruenit ſteterit in poſſeſſione per duos annos, perinde habeatur, ac ſi venditio facta fuiſſet, quamuis venditio & alienatio non poſſit oſtendi. Et illud ius competat domino, ac ſi alienatio oſtēderetur fuiſſe facta. Saluo iure domino in actione perſonali, vel quaſi contra illum, cum quo contraxerit, vel contra eius hæredes in affictu, & redditu, & pœnis præcedētis tēporis. Et hoc idem ſeruetur tam in molendinis, q̃ in locationibus perpetuis, ſiue ad nō modicū tēpus (vt ſupra dictum eſt) proprie vel improprie factis.

SI quis reddiderit affictum, vel decimā per quinque annos continuos, in futurum præstare teneatur, nisi ostenderit quare præstare non debeat.

Idem seruetur de eo, ad quem peruenit terra, seu possessio, propter quam decima, seu affictus reddebatur ab aliqua persona.

SI aliquis colonus, inquilinus, vsufructuarius, liuellarius, vasallus, vel conductor, emphiteota, vel socius de cætero vendiderit, donauerit, vel aliquo modo alienauerit rem immobilem, de qua est colonus, inquilinus, vsufructuarius liuellarius, vasallus, ēphiteota, vel socius ignorant eo, cuius nomine possideat, nullum fiat præiudicium ei, cuius nomine possideret. Et nunq̄ currat præscriptio cōtra eum, nisi a tēpore scientiæ. Et talis alienās tanquā falsarius puniatur arbitrio potestatis. Et super prædictis cognoscatur summarie, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij. Et probetur dicta possessio etiam per instrumentum si in instrumento contineatur, q̄ talis possidens se constituerit alieno nomine possidere quantum est in constituentis præiudicium, vel quod dictā rem recognouerit per instrumentum. Idem intelligatur de quocunq; alieno nomine possidente, qui de cætero deliquerit, prodiderit, vel vendiderit possessionem aliquam inuito, vel ignorante eo, cuius nomine possidebat.

NOn audeat, nec liceat domino sua auctoritate, vel etiā iudicis, auctoritate, non citato liuellario, vel vasallo expellere liuellarium, vel vasallū de possessione rei, quā tenet per feudū, vel per liuellū,

vel

vel possessionem, vel quasi possessionem ipsius rei apprehendere, vel intrare. Et si contrafactum fuerit, non valeat de iure, nec de facto, & condemnetur dominus liuellario, vel vasallo ad restitutionē possessionis, damni, & interesse. Et insuper idem dominus in libris centum, vel arbitrio potestatis. & iudex qui contra prædicta fecerit dando licentiam non citato liuellario, vel vasallo soluat libras 25. paruorum, & tabellio, qui scripsit, soluat libras decem paruorum. Et istarum pœnarum medietas sit communis, & altera medietas sit denunciantis.

SI aliquis liuellarius, vel vasallus, vel conductor etiam partiarius, vel aliam præstationem reddens, interrogatus, fuerit corā iudice, cui interrogationi teneatur respondere etiam ante litem cōtestatam, & negauerit se esse liuellarium, vel vasallum, vel conductorem, vel partiarium, siue aliam præstationem reddere debentem, interrogatus cadat à iure suo, si voluerit interrogans. Et nihilominus condemnetur in libris 50. paruorū, cuius pœnę medietas sit cōmunis, & alia medietas sit domini.

DE VILLANIS, ET INQVILINIS LICENTIANDIS. RVBRICA.

Statutum vetus conditum. 1236.

DOMINVS mansi si voluerit licentiare rusticum de supra mansum suum, debeat per se, vel per nuncium suum licentiare quandocunque ante festum

B. An-

B. Antonii confessoris de Iunio. Et si vsque ad dictũ terminum licentia data non fuerit, non possit dominus expellere rusticum vsque ad vnum annum. Hoc idem intelligatur de terris sclapatis. Et similiter si rusticus voluerit exire de manso domini, debeat denunciare domino eodem modo. Et si rusticus (vt dictum est) non denunciauerit, debeat remanere supra mansum in vite usque ad unum annum. Et si dominus mansi licẽtiauerit villanum partiarium de manso, tunc & casu isto villanus habeat medietatem palearum frumenti, venæ, speltæ, hordei, cannarũ surgi, milei, panigeij, & totius alterius straminis excepta segalina. Et alia medietas, & totum lætamen & tota segalina remaneat domino supra mansum. Si autem villanus partiarius exiuerit de manso inuito, vel non licentiante domino, tunc & casu isto prædicta omnia & totũ lætamen sit domini, & remaneat supra mansum. Si vero villanus laborauerit ad affictum, & licentiatus fuerit à domino, tunc habeat omnia prædicta, exceptis segalina & letamine. Si autem villanus affictuarius recesserit de manso inuito, vel nõ licentiante domino, tunc villanus habeat medietatem omnium prædictorum, exceptis segalina & lætamine, quæ remaneant supra mansum: idem dicimus de fœno, ut dictum est de paleis, si villanus habuerit pratum à domino, de quo nihil reddat: & idem dicimus si rusticus vendiderit, seu alienauerit fęnum, paleas, seu lætamen, vel aliquod de prædictis, quod pretium restituere domino teneatur

tur modo prædicto. Et si rusticus partiarius, vel q̃ soluerit affictum, inuenerit & habuerit fœnum, paleas, & cannas, vel aliquod prædictorum supra sedimen, quando intrauerit mansum, uel terram, tūc teneatur villanus, vel laborator dimittere in māso vel terra omnes dictas res illius generis & qualitatis, cuius erant prædictæ res anno illo, quo iuit ad laborandum, etiamsi licentiatus fuerit per dominum. Et teneatur villanus, seu laborator etiam licentiatus cannas surgi incidere & ligare.

ET in licentiandi villanis de Pedeuenda colētibus, seu laborantibus vineas talis modus seruetur scilicet, q̃ dominus vineæ debeat villanum, seu laborantem vineas licentiare 15. diebus antē festū S. Michaelis, vel 15. diebus post illud. Idem seruetur, si villanus accipere licentiam voluerit a domino, q̃ licentiam accipere debeat 15. diebus ante festum prædictum, vel 15. diebus post.

VIllanus, postquam licentia sibi data fuerit per dominum, vel etiam postq̃ licentiam ipse petierit, vel recesserit ab ipso domino, nō debeat certpire, vel incidere, seu deuastare per se, vel per aliū salices, vel perticas, seu al ias arbores de māso, nec etiam sarraturas, vel inuiolaturas ipsius māsi, sediminis domorum, vel tectum auferre, vel deuastare, vel carraticos perticas, vel vineas, seu perticas auferre. Et qui cōtrafecerit, soluat pro banno solidos 40. pro quolibet pede inciso, vel re vastata, seu ablata, cuius pœnæ medietas sit communis, & alia denunciantis. Et insuper damnum emendet, et duplum

plum damni domini restituat. Hoc idem seruetur etiam de laboratoribus aliarum terrarum possessionum, licet non sint mansi. Et id seruetur si ei denunciari debent si fuerit absens, si ad eius domum fuerit denunciatũ. Et si rusticus contrafecerit, credatur domino vsq; ad decem libras iuramento suo, & in vtroque casu si fuerit homo bonæ famæ, & opinionis. Et non liceat rustico, seu villano non licentiato, vel qui licentiam non petierit aliquam arborem viuam, vel mortuam incidere de supra terram domini sine parabola eius. Et qui contrafecerit, soluat pro banno solidos 60. paruorum pro quolibet pede, cuius pęnæ medietas sit communis, & alia denunciantis. Et insuper duplum damni domino restituat, & credatur domino modo prædicto: Et nullus villanus sine licentia domini audeat cerpire salices, nisi perticas trium annorum, & hoc tunc tantum liceat ei festo S. Martini vsque ad medium mensem Martij in pœna librarum triũ pro quolibet pede, & qualibet vice, cuius pœnæ medietas sit communis, & altera medietas sit denunciantis. Et nihilominus villanus ipse teneatur domino emendare damnum.

Potestate Domino Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

SI quis habuerit ad affictum prata aliqua, tamen sine mãso, vel sine terra aratoria, tũc & eo casu sit terminus per totum mensẽ Aprilis ad dandum seu accipiendũ licentiã ꝓ anno futuro. Si autẽ fuerint

rint nemora tãtum, quæ ſine manſo, vel terra aratoria data ſint ad affictum, tunc & hoc caſu terminus dandi ſiue accipiendi licentiam ſit per totum menſem Martij. Et ſi in dictis terminis licentia data, vel petita non fuerit, intelligatur eſſe, & ipſo iure ſit affictatio facta confirmata pro anno futuro, ita q; neque locator dare, neque conductor accipere licentiam poſſit abinde. Sed teneatur dominus dimittere & ruſticus tenere pro anno tunc futuro eiſdem pactis & conditionibus, quibus affictatio anni præteriti facta erit, niſi licentia data, vel petita fuerit, videlicet de pratis per totum mensẽ Aprilis, & de nemoribus per totum menſem Martij, vt dictum eſt.

Poteſtate, & Capitaneo, & Anno eiſdem.

Villanus aliquis tenens nemora cum manſo, ſiue ad affictum, ſiue alio iure ab aliquo teneat, nõ debeat incidere arbores vel aliqua ligna de nemore ſine expreſſa domini licentia & voluntate, niſi à primo die menſis Septembris vſq; per totum menſem Martii. Et quicunque contra fecerit, condemnetur pro qualitate arboris, ſeu ligni inciſi ſecũdum formam ſtatutorum loquentium de Regulis & damnis datis.

SI ruſticus acceperit licentiã à domino ſuo exeũdi de mãſo, vel terra ſclapata, & fecerit aliquod laborerium in domibus, vel teietibus ſupra manſum, non debeat ipſe ruſticus mouere illud opus, & dominus propter illud dare nihil teneatur. Si vero

dominus

dominus licentiam dederit, tunc dominus teneatur soluere rustico secundum æstimationem boni viri factam & de toto lignamine & de cupis siue paleis positis per rusticum in laborerio domorum, seu teictum, intelligẽdo de lignamine & paleis nõ natis in dicto manso, vel terreno. Et si dominus nõ soluerit, tunc & eo casu rusticus nõ teneatur exire

Villanus aliquis, qui laborauerit mansum domini, non possit, nec debeat trahere, vel portare lætamen supra suam terram, & nemini dare debeat de suo lætamine sine licentia domini, sub pœna sexaginta solidorum, quarum medietas sit communis, & altera denunciantis, & nihilominus duplum damni restituere domino teneatur.

NOn debeat laborator aliquis cum bestiis domini laborare suam vel alienam terrã, vel cũ eis carrizare, & qui cõtrafecerit solidos sexaginta pro qualibet vice pro banno soluat, excepto in montaneis Paduæ, cuius banni medietas sit communis, & altera manifestantis. Et de hoc iuramẽto domini, si fuerit bonæ famę, & opinionis credatur.

IN quolibet casu contentorum in statutis positis sub rubrica de Villanis & inquilinis licentiãdis, possit procedi summarie, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij.

INquilini, seu conductores domorum, si noluerint habitare, seu tenere de cætero domos per eos conductas, teneantur, & debeant denunciare domnis domorum per unum mensem ante terminum suæ locationis. Et si hoc non fecerit, nihilo-

minus teneatur ad affictum pro sequenti anno. Et intelligatur tacite recōdusisse eas domos pro anno sequenti. Idē in dominis & locatoribus obseruetur.

QVandocunque de certo termino soluendi affictus domorum nulla expressa conuentio inter locatorem & conductorem facta esset, intellitur, quod conductor soluere debeat medietatē affictus ad festum paschæ resurrectionis D. N. Iesu Christi, & alteram medietatem soluere conductor debeat ad festum S. Iustinæ secundum consuetudinem ciuitatis Paduæ. Et inquilinus si in termino debitum affictum non soluerit, pignorari, & compelli ad solutionem possit secundum formā statuti quod incipit. Iudex quilibet, positi sub rub. de Citationibus, ac possit etiam personaliter cogi secundū formā statuti quod incipit. Statuimus & præsenti legi decernimus, positi sub rub. de Carc. & secundū formam aliorū statutorū de prædictis loquentium.

QVilibet ciuis, seu districtualis Paduæ, seu Paduani districtus, masculus vel fœmina, seu quæuis alia persona cuiuscunque conditionis, aut status existat, qui vel quæ habeat, vel habebit in futurum domum vel domos in ciuitate Paduæ non scriptam vel nō scriptas hactenus pro scolaribus, possit eam vel eas libere cuicunq; scholari forensi in quacunq; facultate studenti locare ad modicum, vel non modicum tempus. Et finito tempore locationis ipsā vel ipsas libere habere, & de ea vel eis disponere pro libito voluntatis suæ, vti & quemadmodum poterat ante locationem, & propter di

ctam

etiam locationem vnam vel plures dictæ domus sic scolaribus locatæ, vt præmittitur, non intelligantur esse scriptæ scholaribus, seu deputatis pro habitatione scholarium.

NVllus colonus, partiarius, affictuarius, molendinarius, vel bouarius in Padua, vel Paduano districtu, possit terram vel molendinum conductũ vel conductam, seu ad affictum, seu ad partem acceptam, dimittere vel relinquere, aut comeatũ siue licentiam accipere etiam termino elapso inuito vel non licentiante domino vel locatore, aut eius hærede vel successore, nisi prius & ante omnia domino, vel locatori, aut eius hæredi, vel successori satisfecerit de omni & toto eo, in quo dicto domino vel locatori teneretur & obligatus esset quacũque ratione & causa. Et si dictus colonus, partiarius, affictuarius, bouarius, vel molendinarius contra prædicta fecerit, non possit aliquis ciuis Patauus, vel districtualis, vel quiuis alius cuiuscunque fori, cunditionis, & status existat, per se vel alium locare ad partem, vel ad affictum, vel ad donicatũ dare possessionem, terram, vel molendinum eidem colono, partiario, affictuario, vel molendinario. Nec modo aliquo possit eum, aut filium, seu fratrem, vel consanguineum, aut nepotem insimul habitantem ad vnum panem & ad unum vinum acceptare, uel tenere in possessionibus, terris, vel molendinis suis, vel ab alio conductis, vel per ipsũ aliquo modo habitis, tentis, vel possessis. Et si quis contra prædicta, vel aliquod prædictorum fecerit,

& sibi denunciatum fuerit per olim dominum seu locatorem, uel per eius procuratorem, aut nunciū specialem infra vnum annum à tempore, quo per secundum, aut tertium, vel vlteriorem, dominum, aut locatorē fuerit receptus, quod ipsum cōductorem, affictuarium, partiarium, molendinarium, uel bouarium expellat, vel debitum soluat facta mentione debito vno, vel pluribus, & de eius vel eorum quantitate tempore dictæ denunciationis.
Et ipsum conductorem, partiarium, bouarium, vel vel molendinarium, aut alium de eius familia (vt supra) non expulerit cum effectu infra vnum mensem a tempore dictæ denunciationis factæ ut supra, teneatur dictus sequens locator, siue receptor aut dominus soluere, & satisfacere dicto denuncianti omne & totum illud, quod apparet de iure dictum colonum, affictuarium, donicarium, seu bouarium, uel molendinarium, & obligatum fore quacunque ratione, & causa cum expensis duplicatis. Et ultra prædicta condemnetur, & condemnatus esse ipso iure intelligatur aliis locator, vel acceptator ad soluendum pro qualibet vice, qua sibi denunciatum fuerit libras 50. paruorum, quarum medietas sit communis Paduæ, & altera medietas sit denunciantis.

Et nihilominus dictus colonus, partiarius, bouarius, affictuarius, uel molendinarius non posit de possesione, seu molendino recedere. Et si recesserit, reuerti, & remanere debeat, & teneatur ipsum molendinum, seu possesionem laborare, & pen-

ſionem ſeu partem debitam ſoluere quouſque ſatisfactum erit primo domino, vel locatori de omni & toto eo, ad quod ſibi tenetur. Et in quocunque caſu huius ſtatuti intelligatur, ꝙ maſculinũ genus concipit fęmininum. Et præſens ſtatutum vendicet ſibi locum in præſentibus & futuris. Et de prædictis omnibus & ſingulis teneatur, & debeat D. Poteſtas Paduæ, & quilibet iudex curiæ ſuæ & palatij communis Paduæ, ac quilibet rector locorum, & terrarum Paduani diſtrictus (omni exceptione remota) cognoſcere, & effectualiter obſeruare, & executioni mandare realiter, & perſonaliter omnibus iuris remediis, ſummarie, breuiter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicii, inſpecta mera & pura veritate, nullis obſtantibus ſtatutis communis Paduæ, vel legibus, aut iuribus in contrarium loquentibus.

Villanus licẽtiatus legitime de manſo, vel terra ſclapata teneatur ſtatim collectis groſſulibus vel legumine de manſo pati, & permittere illum, qui debet ſequenti anno laborare mãſum, vel terram venire ad laborandum, & laborare in manſo, & rumpere ſteuolas, & alia laboreria facere, quæ ſpectent pro ſequenti anno. Et etiam teneatur dictus villanus de mãſo, vel terra receſſurus præſtare nouo laboratori prædicto commoditatem habitandi, & ſtandi in curtiuo cum ſuis beſtiis aptis ad laborerium tantum, & cum ſuis arneſis.

LAborator, qui receſſurus eſt de manſo, ſi contingat eum habere in curtiuo aliqua ædificia,

vel aliqua iura in re aliqua, quę fissa sit, teneatur & debeat vendere domino mansi, si voluerit emere, in æstimatione duorum vicinorum de villa ipsa, sub pœna librarum 25 paruorum, quarum medietas domino mansi, & altera medietas communi Paduæ applicetur. Et teneatur villanus, seu laborator etiam licentiatus sine aliqua solutione sibi facienda dimittere sepes, penatas, & huiusmodi serraleas, qui vel quæ facti vel factæ, seu constructi vel constructæ fuerint in uel super manso, domo, uel curtiuo, vel eorum aliquo.

RE locata proprie, uel improprie, & ad modicum tēpus successor singularis necesse habeat dictæ locationi stare, nisi eo anno, quo successerit, aut sequenti, uel subsequenti usq; ad complementū termini locationis præfactæ ipse cōductor ad terminos in statutis communis Paduæ descriptos per ipsum successorem licentiatus fuerit. Eo autem ad dictos terminos non licentiante, durāte ipsa locatione & completa pro anno postmodum sequenti a dicto successore & suo capite ꝑ eadē pręstatione qua primo reconducta facile, uel tacite intelligatur.

SI quis fictæ alienauerit rem locatam alicui animo expellendi conductorem, puniatur in libris 20. pro centenario ualoris rei alienatæ, cuius pœnæ medietas sit communis, & altera accusantis.

Et nihilominus ex alienatione facta non possit conductor expelli.

LAborator aliquis recessurus de manso, non debeat in terra, prato, uel manso, de quo recessu-

rus est, pasculare bestias aliquas, quæ suę, vel alienæ sint, nisi essent bestiæ domini mansi illius. Et si cōtrafecerit postq̃ acceperit, uel habuerit licentiã recedendi, posit manifestari, & puniri pro regula & pro damno dato tanquam esset extraneus, qui in alieno loco pasculare inuentus esset.

ALiquis colonus, seu laborator recessurus de manso non posit data, vel accepta licētia recedendi seminare blada aliqua minuta in aliquibus terris, quę ad grossula blada uenirent de iure secũdum consuetudines antiquas agriculturæ, neq; debeat aliquo modo vastare molias terræ. Et quicũq; de cętero cōtrafecerit, condênetur in libris x. paruorũ quarũ medietas sit cōmunis, & altera medietas sit domini denũciãtis. Et nihilominus teneatur ad emendationê damni, & interesse domino mãsi.

QVilibet, qui dederit terram, vel vineam ad laborandum, præferatur in omnibus, quæ habere deberet ab eodem laboratore, quibuscunque creditoribus habentibus etiam potiora iura, etiam in tempore in frugibus & redditibus possessionum datarum ad laborandum quocunque modo, & sit præcisum iurante ipso domino debitum esse uerũ, & se nunquam recepisse id, pro quo petit.

QVilibet villanus, uel laborator, qui laborat alienam terram, debeat bladum minutum, quando est uiride, & est auentatum mensurare ad starium culmum; & quando bladum est siccum mensurare debeat ad stãrium rasum præsente domino, uel nũcio domini si erit. Et si nũ erit, idē fiat

facta denunciatione domino, vel eius factori, ꝙ sit ad videndum mensurare. Et Villanus si contrafecerit, puniatur in libris tribus pro qualibet vice, cuius poena medietas sit communis, & altera domini sui, a quo terram laborat.

SI liuellarius alicuius, qui reddit medietatem, vel tertium, vel quartum, vel aliam partẽ, vel certam pensionem commiserit homicidium, vineæ, vel arbores, quas per liuellũ tenebit, non destruãtur, sed terra, seu domus, seu res illa, quam ille tenebat, remaneat domino libere. Saluo iure homicidæ si ad gratiam reuersus fuerit, quod tunc ius pristinum habeat, & habere debeat. Et idem seruetur in terris liuelli.

OMnes laboratores vinearum, & liuellari tam in monte, q̃ in plano debeant reddere domino partem tangentem ipsum, vel in vuis, vel in vino ad domini voluntatem. Et si dominus elegerit partem in uuis, nõ teneatur laborator, uel liuellarius de parte domini portãda, nisi in uilla illa, partiendo uuam ad carrum, uel ad mastellum ad uoluntatem domini. Et qui contrafecerit, soluat pro banno solidos 60. cuius poenæ medietas sit communis, & altera domini uineæ. Et sit in electione domini, uel sui nuncij uelle, quod liuellarius diuidat uuam ad ordines uinearum, uel ad perticam. Et partem, quæ uenerit domino, prius deferat uillanus ad canipam domini, uel ad locum, ad quem portare debet, uel consueuit ante, q̃ de sua parte tangat, siue moueat aliquid. Et si dominus uoluerit

rit vuas ad vetolarios partiri, tunc sit in electione domini accipere quem magis vellet pleno vetollario, videlicet post vnum vel secundum aut tertiũ, & sic de singulis. Et si dominus vuam non acceperit, vel non partitus fuerit, teneatur rusticus, & debeat dare domino partem primæ aquæ secundum modum & cõditionem vini puri. Et facere debeat primam aquam ac domini voluntatem. Et teneatur villanus dare pastum vindemiæ sicut continetur in liuellis. Et teneatur plantare villanus quolibet anno 12. pedes oliuarum pro quolibet campo vinearum de monte, & ipsos plantatos laborare, regere, & manutenere, & tam de ipsis, quã de aliis fructibus, frugibusq́, & redditibus dare partem domino volenti secundum quod reddit in vino. Et villanus quilibet, qui contra prædicta, vel aliquod prædictorum contrafecerit, si dominus voluerit eum accusare, condemnetur iu libris sex paruorum, quorum medietas sit communis, & altera medietas sit domini vineæ.

Liuellarii, qui habent vineas, seu terras ad plantandum, teneantur illam terrã totã bene plantare vineis, & non dimittere in guasto, seu tramito vltra septem pedes, exceptis serraturis, vnde possit plaustrum commode duci cum vino, vel vno vetolario. Et vites seu vineas bene laborare, & vuam custodire, ita ꝗ non auferatur aliquo modo, neque eam furetur & nihil auferat de illis liuellarius, uel aliquis de familia sua. Et liuellarius quilibet, qui p̃dicta, vel aliquod prædictorum non seruauerit, si

accusatus fuerit per dominum, condemnetur in libris sex paruorum, quarum medietas sit communis, & altera medietas sit domini accusantis ipsum.

Villanus quilibet, siue liuellari⁹, siue laborator sit, qui reddit tertiam, uel aliquam partē frugum, debeat per duos dies, uel per unum antequā tibliet frumentum, fabam, siliginem, & hordeum & antequam uindemiet, & antequam carrizet grossula, denunciare domino, uel suo nuncio qualiter tali die est tibliam, uel uindemiam facturus, ut si uelit, posit dominus superesse, uel mittere nuncium, qui super sit tiblationi, seu uendemiæ. Et si dominus, uel eius nuncius non uoluerit superesse, tunc posit uillanus tiblare, & uindemiare saluo iure domino. Et uillanus, qui non facta denunciatione domino (ut dictum est) tiblauerit, uel uindemiauerit, condemnetur in libris sex paruorum, quarum medietas sit communis, & altera domini sui.

Quilibet, qui teneatur reddere affictum aliquē, uel redditum ad uillaticum, uel per liuellum, uel aliquo alio modo, reddat & det grossula usque ad festum S. Mariæ de Augusto, & minuta usque ad festum omnium sanctorum, intelligendo grossula frumentum, siliginem, hordeum, speltam, auenam, fabam, & omnia legumina, exceptis fasiolis, & intelligēdo quod fasioli, surgum, mileum, panigium sint minuta. Et qui contrafecerit, solidos 60. pro banno soluat, quorum medietas sit communis, & altera medietas sit domini.

Villanus,

Villanus, uel laborator, qui laborat mansũ, uel terram aliorum, quæ non sit affictata ad certum affictum, non possit rebatere absque domini uoluntate palearium factum per ipsum de paleis collectis de terra illa, quam laborat. Et si rebatet, tunc teneatur dare domino tantũ, quantum reddere tenetur de alio blado. Et qui contrafecerit, soluat pro banno solidos centum, cuius banni medietas sit communis, & altera medietas sit domini

Aliquis liuellarius, uel laborator nõ debet sine licetia domini incidere, vel incidi facere aliquam arborem viuam de terra liuellata, seu quam laborat. Et qui contrafecerit, soluat pro banno solidos 60 pro qualibet arborẽ contra formam huius statuti incisa, cuius pęnæ medietas sit communis, & altera mediecas sit domini. Et insuper damnum domino restituere teneatur.

QVilibet agricola, qui alienam terrã, uel mansum laborat, teneatur quolibet anno temporibus debitis, & consuetis plantare super manso, uel terra, quam laborat plantonos de salice, uel de albaro, uel de pluuialis pro rata, & secundum quãtitatem cãporum, & ipsos plantonos inuoluere ita, ꝙ à bestiis comedi non possint. Et plantare similiter debeat uites apud ipsos plãtonos, & ipsas uites uel plantonos debitis temporibus zapare, & bene laborare uidelicet. Si mansus fuerit 20 camporum plantet qui nquaginta plantonos. Si uero mansus erit decem camporum, tunc plantet 25. plãtonos. Si autem terra esset plurimorum aut pauciorum

cam-

camporũ,q̄ supradictum est, tunc plantet pro rata prædicta plantonos, & ipsos inuoluat, zapet, & apud eos ponat vites, & bene laboret. Ac teneatur villanus quilibet lædamare ad minus campũ vnũ terrę pro manso, & pro rata camporum vt dictum est. Et huic statuto renunciari non possit per pactũ speciale, vel expressum, etiam cum iuramento. Et si renunciatio modo aliquo facta erit, non valeat, & ipso iure sit nulla. Et nihilominus nullatenus quilibet, qui prædicta non seruabit, condemnetur in solidis 60. paruorum pro quolibet capitulo non seruato, & qualibet vice, & quilibet possit accusare, & habeat medietatem banni.

QVilibet agricola, qui ab aliquo laborauerit campos 20. teneatur fodere, vel fodi facere omni anno in dictis campis vnam turnam fossati secundum consuetudinem latitudinis, vel profunditatis ipsius ville, vel loci, vbi situati essent illi campi. Et si laborauerit pauciores campos viginti tunc teneatur fodere, vel fodi facere tanto minus fossiatum de turna pro rata, quot campi sunt pauciores viginti. Si vero laborauerit campos plures viginti tunc teneatur tantum plus fossiatum vltra vnam turnã fodere, vel fodi facere pro rata, quot campi essent plures viginti. Ita vt quilibet agricola teneatur fodere, vel fodi facere tanto plus vel minus de vna turna fossati, quot plures vel pauciores campos viginti laborauerit, habito semper respectu pro rata camporum ad vnam turnam fossati. Et villanus qui (vt dictum est) non foderit, aut fo-

di

di non fecerit, condẽnetur in libris decem paruorum pro qualibet vice. Et huius banni medietas sit communis, & altera domini camporum. Et huic statuto renunciari non possit, neque per pactum, vel iuramentum remitti.

SI quis habuerit terram, vel uineam ad laborandum, quæ sit affictata, uel etiam quæ non sit affictata, & ipsam terram, uel uineam nõ bene laborauerit, uel minus bene laborauerit, teneatur totũ damnum & interesse resarcire ei, cuius est terra, uel uinea secundum æstimationem duorum bonorum hominum illius uillę, in qua est dicta possessio. Et si possessio esset in confinio ciuitatis Paduæ, tũc resarcire debeat damnum, & interesse secundum æstimationem duorum bonorum hominum de ciuitate, qui duo boni homines de uilla, uel ciuitate eligi debeant, uel per partes concorditer, vel per iudicem de medio, ubi partes in eligendo concordes non essent. Et iudex de medio teneatur partes ad hoc compellere, & reum condemnare, sine partium iuramento, & sine aliqua probatione, & summarie & quolibet tempore.

SI aliquis colonus, inquilinus, usufructuarius, liuellarius, uassallus, ul conductor, emphiteota, uel socius de cætero uendiderit, donauerit, uel aliquo modo alienauerit rem immobilem, de qua est colonus, inquilinus, usufructuarius, liuellarius, uassallus, emphiteota, uel socius ignorante eo, cuius nomine possideat, nullum fiat præiudicium ei, cuius nomine possideret. Et nũquam currat præscri-

ptio

ptio cōtra eum, nisi à tēpore scientiæ. Et talis alienans tanq̄ falsarius puniatur arbitrio potestatis. Et super prædictis cognoscatur summarie, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij. Et probetur dicta possessio etiam per instrumentum, si in instrumento contineatur q̄ talis possidens se cōstituerit alieno nomine possidere, quantum est in constituentis præiudicium, vel q̄ dictam rem recognouerit per instrumentum. Idem intelligatur de quocunq; ex alieno nomine possidēte, qui de cætero deliquerit, pro... derit, vel vendiderit possessionem aliquam inuito vel ignorante eo, cuius nomine possidebat.

DE REGVLIS, ET DAMNIS DATIS. RVBRICA.

MANIFESTATIONES, & denunciæ de Regulis, & damnis datis in bladis, aut vineis, aut arboribus, aut alijs rebus existentibus in campis, seu villis Paduani districtus de cætero fieri debeant per notarium ibi deputatum specialiter ad damna data scribenda. Possint etiam fieri manifestationes coram illo potestate, seu vicario, sub cuius iurisdictione damnum datum erit. Et hoc sit ad arbitrium manifestantis.

Potestas, seu vicarius, aut iudex, cui manifestatio de regulis & dānis datis facta erit, teneatur procedere, & fine debito terminare, & cognoscere absoluendo, uel condemnando q̄ secundu de iure debet

debet secundum formam statutorum communis Paduæ. Non tamen possit iudex D. Potestatis Paduæ ad victualia deputatus, aliquem pro regulis & damnis datis condemnare, vel absoluere. Sed D. Potestas Paduæ cum deliberatione dicti iudicis & curiæ suæ debeat videre, & diligenter examinare probationes, & defensiones, & totum processum coram iudice ipso factum, & condemnare, vel absoluere in publico arengo, vt sibi de iure videbitur, secundum formam statutorum communis Paduæ.

DE omnibus causis, quæ erunt de regulis, & dãnis datis, possit cognosci quolibet tẽpore feriato & non feriato, sũmarie & de plano, omissa omni solẽnitate iuris, sine libelli oblatione, & sine litis cõtestatione, & sine figura aut strepitu iudicij. Et debeat potestas, seu vicarius vel iudex, coram quo manifestatio facta erit, causas ipsas expedire, & terminare infra duos mẽses a die manifestationis factæ computandos. Et nemo possit se appellare à sententiis superinde latis, aut dicere sententiã esse nullam. Et teneatur iudex, seu rector, qui sententiam tulit, mandare executioni sententiam à se latam infra 15. dies à die latæ sententiæ in pęna librarum centum paruorum de salario suo soluenda, cuius pęnæ medietas sit communis, & altera medietas sit accusantis eum, & quilibet possit accusare, & teneatur in credentia. Et nihilominus infra alios 15. dies teneatur sub eadem pęna mittere executioni sententiam ipsam.

De

DE condemnationibus, quæ fiēt pro regulis de manifestationibus, seu denunciationibus factis coram dicto iudice victualium, fieri debeant quatuor partes, quarum vnam habere debeat dominus iudex, qui superinde processit, alterã camera communis Paduæ, tertiam vero debeat habere saltuarius, seu ille qui manifestauit, vel denũciauit, quartam uero partē habere debeat dominus possessionis. Si vero manifestatio seu denunciatio pro regulis vel damnis datis facta erit corã potestate, vel vicario illius loci, sub cuius iurisdictione fuerit damnum datum, tunc similiter fieri debeant quatuor partes de cõdemnatione superinde per ipsum potestatem, vel vicarium pro regula facta. Et illius pœnæ partem vnam habere debeat potestas, seu vicarius, qui sentētiam tulit de regulis vel damnis datis in iurisdictione sua, alteram partem habeat dominus possessionis, tertia pars detur saltuario, seu illi, qui manifestauit, vel denunciauit, quarta vero pars applicetur cameræ communis Paduæ, seu detur communi illius castri, vel loci, vbi damnum datum fuerit. Et in hoc obseruetur antiqua consuetudo, videlicet ꝙ hæc quarta pars detur illi communi, quod solet tales condemnationes exigere. Et prædicta locum habeant, videlicet ꝙ pœnæ in quatuor partes diuidantur, nisi aliter per statuta expresse prouisum esset. Item si damnum datũ esset, tunc, & eo casu ille, qui damnum dedit, condemnetur vltra pęnã pro regula limitata ad emēdationem damni domino possessionis, & in tantumdem

tundem communi Paduæ, seu cameræ dominationis nostræ.

TEneantur, & cogantur communia villarum accipere, & obseruare omnia & singula statuta communis Paduæ ordinata & loquentia de regulis et damnis datis sub pœna librarum quinquaginta paruorum.

NVlli sit licitum auctoritate sua pignorare aliquem pro regula vel damno dato, saluo ꝙ si dominus, vel laborator, aut filius, vel famulus domini vel laboratoris inuenerit aliquam bestiã dantem sibi damnum, ꝙ liceat sibi accipere vnam, vel plures earum pignore, & testimonio damni dati. Sed postea teneatur illud iudici, seu rectori suo manifestare, & procedi facere contra dominum bestiæ secundum formam statutorum.

NVllus cedat, vel aliquo iure det alicui iura, vel actiones eius pro regulis vel dãnis datis, & si contrafactũ fuerit, nõ valeat, sed principalis persona iuramentum subeat. Saluo ꝙ filius, siue in patria potestate, siue emancipatus sit, possit de patris volũtate agere, & petere pro regula et dãno dato in possessionẽ patris, & subire iuramentũ, sicut pater posset. Et saluo ꝙ si fuerint plures habẽtes vnã possessionẽ cõmunẽ, tũc vnus eorũ de volũtate, & cõsensu aliorũ possit agere, & petere regulã & dãnũ datũ, et possit subire iuramẽtũ sicut oẽs possẽt. Si vero alij nõ cõsẽtirẽt, tũc possit ipse agere, petere, et iurare ꝓ parte sua. Et saluo ꝙ maritus ꝓ vxore possit agere, petere, et iurare sicut mulier ipsa posset.

Q DE

DE SALTVARIIS. RVBRICA.

QVælibet communia villarum Paduani districtus, & officiales cuiuscunq; communis, teneantur, & debeant facere, tenere, & habere continue, & per totum annum bonos, & idoneos saltuarios, & ipsos quolibet anno eligere ad custodiēdum blada, legumina, arbores, & omnia alia, quæ sunt in villis, & districtibus suis. Et commune, quod prædicta non seruauerit, puniatur videlicet. Si fuerit commune villæ in libris 25. paruorum. Si vero fuerit commune alicuius castri, aut villę habentis potestatem, aut vicarium in libris 25. paruorum pro quolibet officiali. Si autem fuerit officialis villaru non habentium potestatem, uel vicariū, puniatur in lib. x paruorū pro quolibet officiali. Et cōmunia villarū teneantur in totum, vel in partē aliquam ad solutionem mecōdēnationum officialium. Et istarum pęnarū medietas sit cōmunis, & altera medietas sit accusātis.

PRo qualibet porta burgorum ciuitatis Paduæ eligatur unus homo, qui sit idoneus saltuarius, qui teneatur iurare custodire, sicut alij saltuarij villarū, ac teneatur manifestare quolibet die Veneris coram iudice Victualium quomodocunque inuenerit facere contra formam statutorum Paduæ loquentium de regulis & damnis datis, sub pæna solidorum viginti paruorum pro quolibet non manifestato, & pro qualibet die Veneris, qua inuentos non manifestauerit. Et huius pœnę medie-

tas

tas sit communis, & altera denunciantis.

QVilibet possit cõstituere, & ponere saltuarios speciales ad custodiẽdũ possessionẽ suã. Et saltuarii ipsi teneãtur iurare custodire, & manifestare secũdũ ꝙ tenẽtur saltuarii de publico ordinati.

IVdex Victualium teneatur ad instantiam consortium habentium possessiones infra terminos campaneæ Paduæ dare, & constituere saltuarios illos, quos sibi nominabunt, & dixerint esse idoneos, & eos compellere, ut iurent, & officium saltuariæ exerceant. Et utrum nominati sint idonei, uel non stetur denominationi D. Potestatis, vel dicti iudicis de hoc requisiti.

NVllus, qui sit seruus, uel maritus ancillæ, famulus, uel prӕco possit esse saltuarius alicuius cõmunis, terræ, uel uillæ, seu alicuius priuatæ personæ. Neque possit aliquis esse saltuarius, qui fuerit saltuarius anno præterito. Sed quilibet, qui semel fuit saltuarius, uacare debeat ab officio saltuariæ saltem per unum annum. Et non possit esse saltuarius alicuius Villæ, uel territorij, nisi qui sit habitator illius Villæ, uel loci. Et commune Villæ si contrafecerit, condemnetur in libris decem; paruorum, quarum medietas sit commune, & altera accusantis.

SAltuarius quilibet siue de publico per commune alicuius Villę, uel loci, siue per hominem aliquem priuatum sit constitutus, teneatur & debeat in principio officii sui corporaliter iurare in manibus iudicis uictualium, seu in manibus potestatis

vel vicarij illius loci, ſub cuius iuriſdictione ſit, ꝙ ipſe bene & diligenter cuſtodiet campaneam ſibi commiſſam, & quod manifeſtabit quoſcunq; inueniet dare damnum, aut facere contra ſtatuta communis Paduæ loquentia de regulis, & damnis datis. Et quod generaliter obſeruabit, faciet, & adimplebit omnia, & ſingula, quæ ad officiũ eius ſaltuariæ pertinere cognoſcet. Et quilibet, qui per homines villæ ſuæ erit electus ſaltuarius, teneatur ipsũ officium acceptare, & iurare (vt dictum eſt) ſub pęna ſolidorum centum paruorum, cuius pœnæ mepietas ſit communis, & altera accuſantis.

CVſtodire ſaltuarius qlibet teneatur, & debeat campaneã ſibi commiſſam, & cuſtodire quod pali, & filagnæ vinearum non auferãtur, & inquirere, ac procurare diligenter, ne damna fiãt. Et ſaltuarii, qui ſint per communia villarum conſtituti, teneantur, & debeant comparere qualibet die Dominico coram iudice victualium, ſeu coram poteſtate, vel vicario, ſub cuius iurisdictione habitabũt, & manifeſtationes ſuas fideliter facere ſub pęna ſolidorũ centum pro quolibet, & qualibet vice, & qualibet manifeſtatione non facta, cuius pœnæ medietas ſit communis & altera accuſantis. Et poſſit quilibet, qui ſit ſaltuarius, etiamſi eſſet forbannitus, venire in plateis communis Paduæ, & aſcendere palatium iuris pro manifeſtationibus ſuis faciendis, ac manifeſtationes ſuas facere, & manifeſtatione ſua facta, poſſit recedere, & partem ſuam condemnationis habere, non obſtante, quod eſſet

in

in libro forbannitorum scriptus.

DE regulis & dãnis datis manifestationes fieri possint infra vnum mensem, non computatis ferijs postquam aliquam inuenerint in regulam incidisse. Mẽse vero elapso manifestatio per aliquem fieri non possit. Et manifestatus citetur ad defensiones suas faciendas, & si non venerit in termino ordinato vlterius non audiatur.

SIndici, & officiales villarũ teneantur notificare cuilibet ciui Paduæ sustinenti onera, & factiones cum ciuitate Paduæ, quando, & per quem sibi damnũ datum erit. Et hoc teneantur facere infra decem dies, postquã per saltuarium sibi manifestatio facta erit. Et sindicus, seu officialis alius quisq; qui prædicta non fecerit, puniatur in libris decem paruorum, cuius pœnæ medietas sit communis Paduæ, & altera medietas sit damnum passi.

SAltuarius, qui falso manifestauerit aliquem, cõdemnetur in libris vigintiquinque paruorum, & in pluribus arbitrio potestatis, attenta qualitate facti, & personæ. Et huius pęnæ medietas sit communis, & altera medietas sit illius, qui falso manifestatus erit.

SI damnum datum fuerit in clausura, vel in aliquo alio loco in bladis, vuis, herba, lignis, seu arboribus, vel in aliquibus frugibus, teneantur saltuarij manifestare damnum datum esse infra tempus per statuta concessum. Et saltuarius, qui non manifestauerit, condemnetur secundum formam statutorum. Et nihilominus damnum emendare

teneatur,& commune villæ suę in libris tribus cõdemnetur. Et si saltuarius non manifestaret, aut nõ esset soluendo, tunc commune villæ suæ damnum emendare teneatur, nisi commune manifestauerit damnum datum esse, & damnatorem dederit infra tertiam diem finito termino, infra quē saltuarius manifestare debuisset. Et commune illius villę quæ condemnata fuerit, & satisfecerit de damno dato alicui, habeat regressum contra illum, vel illos qui damnū dedissent. Et non satisfaciendo communi de damno, & interesse, & expensis, possint, & debeant damnatores compelli etiam personaliter. Et damnatores, qui occasione prædicta capti fuerint, si integre nõ satisfecerint dicto communi infra decem dies, tunc circa palatium ter fustigentur, vel maiorem pœnam patiantur secūdum qualitatem facti arbitrio potestatis.

NOn possit aliquis, qui nõ sit saltuarius manifestare, uel denunciare de regulis, vel dānis datis in aliquo loco, nisi elapso termino infra quem saltuarij manifestare debent. Et si aliquis, qui non sit saltuarius ante dictum tempus manifestationē aliquam fecerit, valeat manifestatio ipsa, & superinde procedi possit, ac si per saltuariu facta esset. Et quarta pars condemnationis debita manifestāti, detur saltuario, perinde, ac si per saltuarium manifestaretur. Si vero termino elapso aliqs manifestauerit, tūc puniatur saltuarius, qui nõ manifestauit. Et hoc casu quarta pars condemnationis detur illi, qui manifestationē fecit, ēt si saltuarius nõ sit.

Con-

COntra quemcunq; accusatum, seu manifestatū credetur saltuario iurato, & domino possessionis, ac filio, seu famulo domini, & liuellario, ac colonno deponentibus per iuramentū, q̄ sint de prędictis p̄sonis & de domino possessionis siue vtile, siue directum habeat, & de possessione sit eius, qui dicetur dominus, & q̄ terra sit in eo territorio, vbi dicetur esse sita, & de damno dato vsq; ad summā librarum 3. paruorum, si damnum datum fuerit in plano. Abinde vero supra non credatur de damno dato in plano, nisi in quantum probatum sit.

SI damnum datum fuerit alicui ciui Paduano sustinenti onera, & factiones cum ciuitate Paduæ in territorio suarum vinearum, vel in nemoribus positis prope ipsas vineas positas in territorio villæ bouis, vel alicuius alterius villæ de Pedeuenda, aut montium Este, aut Montissilicis, vel alicuius alterius monti Paduani districtus, credatur iuramento illius, qui dixerit damnum sibi datum esse de damno, & quantitate damni, & quod vineę, seu nemús sint suæ, vel suum, & de damno, proprietate, & possessione sine oblatione libelli, & sine aliqua solemnitate iuris, & nulla in cōtrarium probatione, vel exceptione iuris vel facti admissa, dummodo sit bonæ famæ, & opinionis. Et de hoc stetur determinationi D. Potestatis Paduæ, seu rectoris, de iudicis de causa cognoscentis. Et ad emendationē damni D. Potestas Paduæ, seu rector, vel iudex, qui de causa cognoscet, compellat realiter, & personaliter homines illius villæ, vbi dānum datū sit.

STatuimus, & ordinamus, ꝙ in aliquo casu ciuis aliquis contra ciuem aliquem probare non possit per iuramentum, quod damnum datum sit sibi.

QVicunque fuerit condemnatus pro regulis, vel damnis datis in aliquo loco Paduani districtus, teneatur soluere condemnationem suam. Et si soluere non posset, & fuerit singularis persona, teneatur per duos dies in carceribus.

DAmna data in villis Paduani districtus emendari debeant secundum formam statutorum, ita tamen, ꝙ beneficio statutorum communis Paduæ non gaudeant illi, qui non sunt subiecti temporali iurisdictioni communis Paduæ. Et si damnum datum fuerit alicui non subiecto iurisdictioni communis Paduæ, non teneantur vicini de dãno dato in bonis suis, nisi prius q̃ damnum datum sibi fuerit, expressè dixerit, & se obligauerit vicinis, quod etiam ipse vult teneri simul cum aliis vicinis suis de damnis datis sine aliqua exceptione. Alioquin fiat sibi ius contra eum, quem probauerit sibi dedisse damnum. Sed contra commune villæ nullatenus audiatur.

SI fuerit damnum datum alicui in villa, vel eius territorio in aliqua re mobili, vel se mouente vbicunq habeat in villa, vel eius territorio, teneatur quilibet vicinorum habitantium in dicta villa ꝓportionaliter emẽdare damnũ secundũ æstimationẽ, & arbitrium potestatis, seu iudicis de medio.

SI damnum datum fuerit extra terminos campaneæ ciuitatis Paduæ in aliqua terra, quæ dicatuq

catur nō ēsse de territorio alicuius villæ, tunc villa proximior emendare damnum teneatur, ita tamē, quod quicunq; habitarent etiam in eo loco, teneā tur pro parte sua etiam ad emēdationem damnorum datorum in territorio dictæ villæ perinde, ac si habitarent in ipsa villa.

QVælibet villa, vel vicinantia, seu locus, uel vicinus, si qua, vel si quis est in Paduano districtu minor centum, & quinquaginta campis, teneatur emēdare damnum cum proximiori villa, quæ sit maior. Et e conuerso villa maior teneatur emēdare damnum cum villa illa, seu vicinantia, quæ sit minor. Et si duæ, vel plures villæ magnæ ibi essent æqualiter proximæ, tunc uilla minor eligat vnam ex magnis, cum qua velit damna emendare. Huic tamen statuo non astringimus habitantes intra terminos campaneæ ciuitatis Paduæ.

SI alicui ciui Paduano sustinenti onera, & factiones ciuitatis Paduæ damnum fuerit datum per ignem non impositum per hostes tempore guerræ, neq; ortum ex fulgore in aliqua terra, castro, vel villa Paduani districtus, siue in eorum cōfinio, vel territorio, tunc commune illius villę, terræ, vel castri teneatur emēdare damnum passo. Si vero alibi, siue in aliquo loco, qui non sit de districtu, seu confinio alicuius villæ damnum ab igne datum erit, tunc cōmune proximioris villæ emendare illud teneatur, & in quolibet casu huius statuti procedatur summarie, sine libello, & omni iuris solemnitate omissa, & qualibet die etiā feriata, &

post-

postq̃ deposita fuit de hoc querimonia præsente, vel legitime citato decano, seu sindico illius villæ, castri, vel loci, iudex de medio statuat terminum quindecim dierum vtrique parti ad probandum de iure suo. Et termino ipso finito, iudex de medio condemnet, vel absoluat prout ex probatis, & allegatis de iure debetur, delato tamẽ prius iuramẽto illi, qui damnum passus erit, & eo palam iurante de damno & quantitate damni, si damnum fuerit maioris summæ librarum vigintiquinque paruorum, & fuerit a commune ipso requisitus. Et si infra dictum terminum non fuerit causa expedita, non pereat propterea instãtia causæ. Sed iudex de medio, qui causam in dicto termino non expediuerit, incidat in pœnam librarum quinquaginta paruorum, cuius pœnæ medietas sit communis, seu cameræ domini nostri, & altera medietas sit damnum passi. Et nihilominus iudex ipse sub formidine similis pœnæ teneatur causam infra octo dies expedire. Et a sentẽtia super hoc lata nemo se possit appellari. Et iudex de medio teneatur (si requisitus fuerit) mittere ipsam executioni infra vnũ mensem. Et prædicta obseruentur, & fiant nullis obstantibus alijs statutis, si quæ essent, quæ in contrarium loquerentur.

SI aliqua persona dixerit sibi damnum datũ esse, vel iniuriam, seu molestiam esse illatam, siue in persona, siue in rebus, vel dixerit possessionem aliquam, vel quasi, aut ius aliquod occupatam, vel gristatam seu turbatam, vel inuasam, vel modo

aliquo

aliquo impeditam ab aliquo vel aliquibus perso-nis singularibus, vel ab aliqua congregatione, seu collegio, aut vniuersitate, qui, vel quæ, seu quod non sustineat onera & factiones cum ciuitate Paduæ, vel ab aliquo vel aliquibus eorum gastaldionibus, negociorum gestoribus, vel factoribus, vel alijs quocunque nomine censeatur, tunc & hoc casu commune illius villæ, vbi prædicta esse facta, vel commissa dicentur, teneatur totum damnum, & satisfactionem de iniuria & molestia emendare, & possessionem, seu res, vel ius ablatum, vel ablatas restituere, damnum seu iniuriam passo. Et de prædictis omnibus & singulis, & de quantitate ac qualitate credatur, & plena fides adhibeatur soli iuramento conquerentis, & nulla alia probatio exigatur, si fuerit homo bonæ famæ, & opinionis, de quo stetur determinationi domini potestatis. Stetur etiam determinationi domini potestatis, si prædicta videbuntur verisimilia inspectis conditionibus personarum, & qualitate facti considerata. Et super prædictis omnibus & singulis procedatur summarie, sine libello, & omni iuris solemnitate omissa quolibet tempore, & die etiam feriato, & mandentur executioni infra quindecim dies a tempore depositæ querimoniæ contra commune illius villæ. Saluo iure dicto communi, & omnibus eius contra tales personas, quæ prædicta fecissent, ita quod dicti homines & commune ad reparationem, & emendationem prædictorum habeant regressum pro omni damno

&

& intereſſe ſuis contra illos, qui prædicta commiſiſſent, & contra eorum vxores, & concubinas, & contra eorum filios ſiue legitimi & naturales, ſiue naturales tantum, ſiue ſpurij ſint, & contra gaſtaldiones, & factores eorum, & contra quemlibet eorum inſolidum, non obſtante, ꝙ non ſint ſubiecti temporali iuriſdictioni communis Paduæ. Et conſequi poſſint prædicta cõtra tales perſonas eiſdem modis, quibꝰ iniuria, vel damnificatio facta fuerit. Et in prædictis nulla debeat admitti probatio in contrarium. Et non pereat inſtantia etiã ſi in dicto termino cauſa expedita non eſſet. Et tali ſententia neque appellari, neque ſupplicari poſſit, neq; poſſit ſententia dici nulla, vel contra eã reſtitutio in integrum poſtulari. Et in quãtum ad prædicta intelligatur hæreditatem apprehendiſſe, & habuiſſe poſſeſſionẽ, vel quaſi poſſeſſionem, quæ erat apud defunctum tempore mortis ſuæ. Et credatur iuramẽto hæredis ſine aliqua probatione, quod poſſeſſio, vel quaſi eſſet apud defunctum tempore mortis ſuæ. Ita quod prælati vel earum eccleſiæ ex hoc ſtatuto non teneantur, neq; obligẽntur in aliquo.

SI aliquis in ciuitate Paduæ, vel in villa ſibi ipſi damnum dederit, vel dari fecerit. Et damni à commune æſtimationem poſtulauerit, puniatur in duplum eius, in quo puniretur, qui damnum dediſſet, & ſit ipſo iure infamis, & ad teſtimonium amplius non admittatur, nec aliquo ciuili munere in ciuitate, vel extra fungatur, neque iuramento eius amplius credatur.

Si

SI alicui, qui ſit ciuis Paduæ, & ſuſtineat onera, & factiones, cum ciuitate Paduæ damnũ fuerit datum in aliqua eius poſſeſſione vel terra poſita infra terminos campaneæ ciuitatis Paduę, teneantur, & debeant decani, ſiue meneuelli, vel ſaltuarii, ſeu homines habitantes in illa contrata nominare, & dare damnatorem. Alioquin decanus, ſeu meneuellus, vel ſaltuarius, & homines illius cõtratæ habitantes in campanea Paduæ extra ciuitatem, & ſuburbia ciuitatis poſſint compelli ad emendationem damni, & contra eos procedere debeat iudex victualium in omnibus, & per omnia ſecundum quod per ſtatuta Paduæ ordinatum eſt de regulis & damnis datis in villis Paduani diſtrictus.

DE VVIS. RVBRICA.

SALTVARIVS aliquis non debeat accipere occaſione ſui ſalarij, vel alicuius ſolutionis vuam, vel muſtum de aliquo vetollario, neq; debeat ſaltuarius aliquis intrare vineas alicuius contra voluntate domini, vel laboratoris, ſub pœna solidorum centum. Et de hoc credatur domino vineæ, vel laboratori, & huius pœnæ medietas ſit communis, & altera accuſantis.

QVicunque repertus fuerit portare furatolam, vel aliquid in fraudem furatolæ, vel cum furatola vuam accipere, ſolidos uiginti ſoluat pro regula, qui diuidantur in quatuor partes ſecundum

dum formam statutorum.

COmmunia villarum quolibet anno in calẽdis Augusti teneantur; & debeant eligere homines bonos, & legales quatuor, vel plures secũdum qualitatem villæ pro qualibet villa. Qui electi debeant procurare vsque ad festum omnium sanctorum ad minus, ꝙ aliquis non furetur, non vendat, non emat, nõ abscondat vuam, neque mustum faciat furtiue in aliquo loco. Et intelligatur furtiue mustum facere, qui sine licentia communis, vel officialium villarum, qui debeant de prędictis inquirere, ipsum faciat. Et si aliquos inuenerint cõtrafacientes, teneantur ipsi capere, & captos D. Potestati Paduæ, vel potestati, seu vicario, in cuius iurisdictione factum fuerit, prę sentare. Et potestas Paduæ, seu rector, cui facta erit præsentatio, debeat præsentatum condemnare pro regula in lib. x. ad minus, & in pluribus arbitrio suo, attenta qualitate facti, quæ pœna diuidatur in quatuor partes secũdum formam statutorum. Et condẽnatus si soluere non potuerit, ponatur cathenis communis Paduæ in plateis, & ibi teneatur per tres dies. Et postmodum circa palatium ter fustigetur, & publicani seu officiales, qui prædicta non obseruabunt, condemnentur in libris x. paruorum pro quolibet. Et commune villę, qui non elegerit, condemnetur in libris 25. paruorum. Quorum medietas sit communis Paduæ, seu cameræ nostri dominii, & altera medietas sit accusantis.

Com-

COmmunis Montisilicis, & Este nullo modo permittant vendi vuam in eorum plateis, vel in aliquo loco suorum districtuum, sub pęna suprascripta tam cõmuni, quã officiali contrafacienti, & quilibet possit accusare, & habeat medietatẽ bãni.

ALiquis de villis Pedisuendæ, seu Montanearũ Paduani districtus non audeat vindemiare ante festum S. Mariæ de mense Septembris sine licentia potestatis Paduæ, seu potestatis, vel vicarii, sub cuius iurisdictione sit, sub pœna librarum 25. paruorum, cuius pœnæ medietas sit communis Paduæ, seu cameræ dominii nostri, & altera medietas sit accusantis. Saluo ꝙ in Monte nouo possit vindemiari etiam ante dictum tempus sine aliqua pœna, & sine licentia alicuius.

MVstum non faciat aliquis in Padua, vel Paduano districtu antequam incipiatur communiter vindemiari sine licentia communis villæ, sub pœna solidorum 60. cuius pœna medietas sit communis, & altera accusantis. Saluo ꝙ in Montanei Paduani districtus communis alicuius villæ non possit dare licentiam alicui vindemiandi ante tempus ordinatum per statuta Paduæ. Et si commune alicuius villę de Montanea dederit alicui licentiam prædictam, puniatur in libris 25. paruorum, quarum medietas sit cameræ dominii nostri, & altera medietas sit accusantis.

NEmo vendat, vel emat, seu incampet vuas de monte vsque ad festum S. Iustinæ, sub pœna librarum vigintiquinque paruorum, & in tantum-

dem

dem condemnetur commune illius castri, vel villæ. Et quicunque tenuerit vuam ad vendendum ante dictum tempus, præsumatur eam emisse, & puniatur vt dictum est. Et si Thuscanus, vel forensis fuerit, qui emerit vuam ante dictum tempus, cōdemnetur in libris cētum. Et istarum pœnarum medietas sit cameræ nostri dñij, & altera accusātis

ALiquis non portet vuam, vel mustum ad Paduam, vel ad alium locum in plaustro, vel bestia, aut in rocijs, vel in cistis ante vindemiam generalē. Et qui contrafecerit, puniatur si portauerit in plaustro in libris decem paruorum. Si uero portauerit cum bestia, vel aliter in solidis centum puniatur, & condemnetur. Et aliquis etiam dominus vel laborator non possit decernere in uindemia vltra singulos cistos de vua de uinea de monte, sub pœna solidorum centum. Et pœnæ istæ diuidātur in quatuor partes secundum formam statutorum. Et de prædictis decani & officiales uillarum de Montanea inquirere & manifestare teneantur sub dicta pœna.

NOn intret aliquis vineā causa spigandi ad tertiam diem postq̃ uindemiatum erit sub pœna solidorum sexaginta. Et persona aliqua factis vindemijs, vel ante non audeat permittere intrare aliquas bestias in uineas causa pasculādi, vel alia causa, sub pœna solidorum decem pro quolibet equo, equa, & polerio, aut boue, seu vacca, vel asino. Et si fuerit aliqua alia bestia, soluat solidos quinque pro quolibet capite. Et prædicta locum habeant in

campanea

campanea Paduæ & in villis de Pedeuenda, & pę-
na huiusmodi pro regula diuidatur in quatuor par-
tes secundum formam datutorum,

QVicunq; antequā vindemia facta sit, inuentus fuerit in aliqua clausura, vel ante portā clausuræ, vel vineæ in Padua, vel Paduano districtu sine domino, vel laboratore, vel eius nuncio, puniatur pro regula in solidis centum perinee, ac si vuam accepisset. Et de hoc credatur soli saltuario, stel pomino, vel laboratori, vel filiis suis, si fuerit bonæ famæ & opinionis, & diuidatur pęna in quatuor partes secundum formam statutorum prædictorum.

SI aliquis minor quatuordecim annis inuentus fuerit portare furatolam, vel aliquid in fraudē furatolæ, vel damnum facere contra formam statutorum, & condemnatus fuerit, teneatur pro eo soluere condemnationem ille, cuius consilio regi debet, siue pater, siue mater, aut soror, vel frater, aut tutor sit.

DE BESTIIS. RVBRICA.

SALTVARIVS quilibet manifestare debeat] bestias cuiuscunqne sint, si quas inuencerit esse in alieno campo, prato, vel vinea, & posit auferre pignus à bouario, siue custode ipsarum. Et si bouarius, aut custos ib, non esset, aut pignus dare non valeat, tunc possit saltuarius ducere secum dictas

bestias, uel unam ex illis. In manifestandis bestijs habeat saltuarius arbitrium manifestandi non solum eas, quas inuenerit in pertinentis villæ suæ, verũ etiam manifestare possit, & debeat illas, quas inueniet in terris hominum habitantium in villa sua, uel alicuius ciuis Paduę, etiam si extra territorium uillæ suæ positæ essent, & hoc casu habeat partem suam condemnationis perinde, ac si de terris regulæ suæ manifestasset.

SI aliquis collocauerit in uillas suas bestias, uel aliqua animalia in domo sua, vel curte clausa in nocte, & de domo, seu curte bestiæ, vel animalia fuerint extractæ, aut in domo, seu curte, vel extra fuerint interfectæ, uel uulneratæ, aut debilitatæ, tunc & quolibet istorum casuum liceat domino, si voluerit agere, & probare contra quoscunque, quos habeat suspectos. Et si dominus contra communis villæ agere voluerit, teneatur commune illius uillę damnũ sibi emẽdare. Ita tamen quod hoc casu dominus cum illis de familia sua maioribus annis 14. iuret, quod dictas bestias, vel animalia de domo, vel curte sua non extraxit, neque extrahi fecit, uel quod sana erant illo sero, quo ibi posita fuerint, & ꝙ eas non interfecit, uulnerauit, uel debilitauit, neque scit aliquem prædicta fecisse.

QVilibet liceat bestias pascere in paludibus & pasculis communis villæ suæ, dumtamen sint custodes, qui caueant, ne damnum faciant alicui.

SI bestia vel bestiæ alicuius corroserint, vel excoriauerint aliquam arborem, condemnetur do-

minus

minus bestiæ pro regula in solidis 5. paruorum pro quolibet pede arboris vastatæ. Et si bestia alicuius, quæ sit bos aut uacca, equus uel equa, asinus uel asina, hircus aut capra inuenta fuerit corrodendo in aliquo nemore infra biennium incisionis nemoris, condemnetur pro regula dominus bestiæ in solidis 5. paruorum pro qualibet bestia. Et pęnæ istæ in quatuor partes diuidantur secundum formam statutorum.

BEstias non permittat aliquis in ęstate, vel hyeme ire per uineas de Pedenēda Paduani districtus occasione pasculandi, uel alia causa. Et si bestia alicuius reperta fuerit in alieno prato, uel uinea, uel clausura uel blado suprastando, uel attrahinando, si sit equus uel eqna, bos uel uacca, asinus uel asina condemnetur pro regula dominus bestiæ in solidis x. pro qualibet capite bestiæ. Si autem sit porcus uel porca, hircus uel capra, ouis uel moltonus solidos quinque soluat. Et prędicta intelligantur, si fuerit de die. Si uero esset de nocte condemnatio duplicetur. Et quocunque in casu diuidatur condemnatio in quatuor partes secūdum formam statutorum, & quilibet possit accusare, cui sit bonę famæ & opinionis.

BEcarii, uel alij pro eis, possint suos boues, uaccas, castronos, moltonos, hircos, & capras per Paduam & in campanea Paduæ, & in Paduano districtu tenere, & pascere in uegris, intelligendo quod ille terræ sint uegræ quæ non sint laboratæ, & quæ non fuerint cultę per tres annos proximos

elapſos cum aratro, vel in quibus non fuerit fœnũ ſecatum, dumtamen caueant beſtias a damno. Et ſaluo quod in Pedeuenda tenere non poſſint, niſi ſecũdum formam ſtatuti infra poſiti, quod incipit. Non audeat, nec præſumat.

QVælibet villa Paduani diſtrictus, quæ nimis parua non ſit, intelligendo etiam de villis, quę faciunt cum ciuitate Paduæ, teneatur, & debeat habere vnum porcarium ad minus, & plures ſecũdum poſſibilitatem villæ ſuæ. Et quælibet perſona illius villæ debeat quolibet die, horis debitis ducere & porcario conſignare porcos & porcas, hircos, & capras eius in pœna ſolidorum x. pro qualibet prædictarum beſtiarum, quæ pœna in quatuor partes diuidatur ſecundum formam ſtatutorum. Et dicti porcarij teneantur ducere ad paſcua omnes porcos & porcas, hircos & capras hominum villæ ſuæ. Et cuſtodire debeant, ne tales beſtiæ damnum inferant alicui. Et ſi dictæ beſtiæ damnũ fecerint, dum in cuſtodia porcarij erunt, condemnetur porcarius, & teneatur totũ damnum emendare. Si autem dictæ beſtiæ non eſſent conſignatæ porcario, & damnum aliquod darent, tum dominus condemnetur, & totum damnum emendare cogatur. Et commune villæ ſi porcarium non habebit, condemnetur in libris 50. & decanus villæ cõdemnetur in libris 25. paruorum, quarum medietas ſit communis, & altera accuſantis.

ALiqua familia de Padua, vel de campanea Paduæ non teneat vltra vnam capram ſub pœ-

na ſolidorum 60. pro qualibet familia, intelligendo campaneam Paduæ vſq; ad terminos campapaneæ Paduę, vbi ſunt termini, vel vſq; ad loca, vbi habitant ſuſtinētes onera cum ciuitate Paduæ. Et nō poſſit aliquis tenere aliquas capras in Padua vel Paduano diſtrictu, niſi habeant dentes anteriores extractos, vel fractos, ita quod damnum facere nō poſſint, ſub pęna ſolidorum 60. pro qualibet capra. Et quilibet poſſit impune auferre capras, quæ non haberent dentes extractos, ſeu fractos. Et de hoc etiam ſaltuarij poſſint & debeant manifeſtare. Et iſtę pœnæ diuidantur in quatuor partes ſecundum formam ſtatutorum.

QVilibet poſſit mittere, conducere, & tenere beſtias ouinas de alienis diſtribus quibuſcunque ad ciuitatem Paduæ & diſtrictum, & in ciuitate Paduæ ac diſtrictu libere & ſecure quocunque tempore nullis obſtātibus repreſaleis, aut alijs quibuſcunque interdictis.

ITem ꝙ aliqua perſona cuiuſcunque conditionis exiſtat, non debeat locare, neque conducere paſcua alicuius villæ aut contratæ, neque aliquarum terrarum, niſi ad ſe pertinentium, ſiue ab iis, ad quos pertinuerint, ſine conſenſu & expreſſa licentia eorum, ad quos ſpectant.

Aliqua perſona cuiuſcunque conditionis ſit; nō audeat, neque præſumat accipere ad affictū, vel alio aliquo titulo quocunque nomine cenſeatur paſculum vel paſcula alicuius villæ Pediſuendæ, niſi de cōſenſu & voluntate omniū vel maioris

partis consortium villæ, vbi pasculum erit, intelligendo maiorem partem quantum ad possessiones, nisi essent propria pascua ipsius villæ, vel alicuius alterius personæ.

LIceat cuilibet habenti pasculum ouium locare pastoribus ouium pasculum suũ, ita quod conductores pasculorum possint pasculare cum ouibus à die S. Michaelis vsque ad festum S. Gregorij in terris permissis, ita tamen quod non pasculent in pratis, quæ secantur, nisi vsque per totum mensem Martij, neq; pasculent in brodulis aliquo tempore. Et saluo ꝙ cõsortes villarum possint tenere in pasculo dicto tempore soluẽdo ratã affictus pro quãtitate ouium in pasculo existentium. Et hoc casu appellatione prętorum non intelligãtur tramites.

NOn audeat, nec præsumat aliquis tenere, vel habere aliquas pecudes, castronos, agnelos, vel multonos, hircos seu becos in aliquibus villis Pedisuendæ, nisi modo prædicto, pœna librarum ducentarum pro quolibet & qualibet vice, & huius pœnę medietas sit communis, altera denunciãtis. Et omnes bestiæ pecudinæ, caprinæ, & porcinæ, quæ reperientur in alienis terris, vel clausuris Paduani districtus, impune possint per quemcunq; interfici, vel auferri. Et aliquis habitator villarum Pedisuendæ, vel ciuis Paduanus consors in Pedeuenda, vel ecclesiastica persona, vel alterius cuiuscunque conditionis sit, non possit, nec debeat retinere, vel hospitare aliquas bestias pecudinas in suis domibus, vel curtiuis villarum Pedisuendæ vltra

vnam noctem faciendo transitum per vnam villã ad aliam in pœna librarum 25. paruorum pro qualibet vice, cuius pœnæ medietas sit communis Paduæ, & altera denunciantis. Et persona illa, quæ contrafecerit, si fuerit ecclesiastica, extrahatur de protectione communis Paduæ, & in rebus suis impune damnum inferri possit, & officiales villarum teneantur, & debeant denunciare contrafaciẽtes, prout & sicut maleficia denunciare tenentur. Et si officiales prędicta non fecerint, cõdemnetur commune villæ suæ, in libris 50. paruorum, & officialis ipse, qui non denunciauit, cõdemnetur in libris x. paruorum, & istarum pœnarum medietas sit commun is Paduæ, & altera medietas sit accusantis. Et aliquod commune Pedisuendæ non debeat, nec possit aliquas bestias pecudinas in suis districtibus retinere in pœna prædicta. Et contrafacientes possint denunciari palam & secrete quolibet tempore. Et de prædictis inquirirere possit potestas Paduæ, & dictus iudex, & quilibet rector sub cuius iurisdictione esset. Saluo ꝙ in pasculis, quæ etiam in aliquibus villis Pedisuendæ esse consueuerunt, possint teneri & pasculari oues in locis & temporibus permissis secundum formam statutorum, & saluo ꝙ Beccarij de Padua possint suos agnelos, & castronos tenere in villis prædictis habentibus pascua in plano, dũtamẽ de cõsensu & volũtate omniũ cõsortiũ dictæ villæ, & etiã pascere, & tenere possint suas bestias in villis Paduani districtus incultis, & in alijs terris nõ seminatis, nec aratis, in qui-

bus damnum fieri non possit, dumtamen non in Pedeuenda. Et si reperirentur cõtra prędicta damnum dare alicui, teneantur ad emendationem damni secundum formam statutorum.

QVOD NVLLVS FACIAT TRANSITVM PER TERRAS SEMINATAS,

RVBRICA.

NVllus debeat facere transitum per aliquam terram seminatã, vel plantatam vitibus cum plaustro, aut cum equo, vel cum alijs bestiis, aut solus cum persona sua exceptis passatoribus. Et qui contrafecerit, puniatur pro regula videlicet. Si transitum fecerit cum plaustro in libris tribus. Si vero cum equo, aut alia bestia, vel bestijs, aut solus cum persona in solidis viginti pro quolibet, & qualibet vice. Idem seruetur in pratis videlicet, quod nullus faciat transitum per ea cum plaustro aliquo tempore, cum bestiis, vel persona transeat à calendis mensis Aprilis vsque ad festum omnium sanctorũ. Et saltuarij communis, & priuatarum personarũ possint, & teneantur iuramento contrafacientem manifestare Et tales pœnæ diuidantur in quatuor partes secundum formam statutorum, & credatur domino terræ, si fuerit bonæ opinionis, & famæ, dumtamen infra mensem tantum, & semel tantum accusatio porrigatur ad hoc, vt credatur iuramento

ramento accusantis, & aliter iuramento accusantis nō stetur. Et si amplius quàm semel in mense accusauerit, tunc accusator teneatur vltra primā accusationem, de qua eius iuramento stetur probare per testes infra mensem accusationes omnes alias, quas faciet in illo mense.

ALiquis passator non debeat ire passando ad equum absq; freno in ore equi, nec debeat aliquis occasionem passandi, nisi habeat accipitrē intrare in alienam terram seminatā milco, panigio, vel alio blado, sub pęna regulæ videlicet librarum decem pro quolibet contrafaciente, quæ pęna diuidatur in quatuor partes secundum formam statutorum.

Aliquis nō audeat capere qualeas cum rete, vel setarolo, seu cum quaiarolo, vel aliquo alio modo, vel ingenio pręterquā cum accipitre, vel cū aliis auibus in pęna solidorum 60. si fuerit de die, si vero fuerit de nocte, puniatur in solidis centum. Et communia villarum teneantur infra tres dies, postquam contrafactum fuerit, denunciare, sub pœna librarum x. & pœnæ diuidantur in quatuor partes secundum formam statutorum.

SI aliquis fregerit, vel intrauerit alienā clausuram, vel hortum, vel vineam in Padua, vel Paduano districtu absque domini, vel laboratoris voluntate, condemnetur pro regula in solidis quadraginta.

NVllus herbam, vel folia surgi debeat facere in bladis, vel tramitibus alienis, sub pœna solidorum

dorum 20. pro quolibet, & qualibet vice, quæ pęna diuidatur in quatuor partes secundum formam statutorum.

SI quis acceperit de alieno prato, aut vinea, vel clausura herbam, vel fęnum, puniatur pro regula in solidis decem pro qualibet tursia, quam dorso eius portauerit. Et si tursiam portauerit cum bestia, tunc condemnetur pro regula in solidis 20. pro qualibet uice. si fœnum secatum portatum fuerit in plaustro, puniatur in solidis 60. pro regula.

QVicunque abstulerit de aliena terra frumentum, vel aliquod aliud bladum messum in campis, puniatur pro regula, si portauerit in plaustro in solidis centum pro quolibet plaustro, si portauerit ad somam bestiæ condemnetur in solidis 40. pro qualibet soma, si vero portauerit somam ad eius dorsum soluat viginti solidos. Si autem ad dorsum portauerit fassum talis frumenti, uel bladi messi, tunc puniatur in solidos decem pro quolibet fasso. Et omnes istæ pœnæ diuidantur in quatuor partes secundum formam statutorum. Et nihilominus manifestatus ad emendationem damni domino damnum passo, & in tantumdem communi Paduæ seu cameræ dominationis nostræ condemnetur.

QVisquis inciderit, vel incidi fecerit, aut extirpauerit, vel extirpari fecerit arbores non fructiferas, vel quercum, vel vlmum, aut frassinum, soluat pro regula si fuerit minor trabe 20. solidos

pro

pro quolibet pede, si fuerit trabes, vel maior trabe, tunc soluat solidos 40. De aliis arboribus vineis nõ fructiferis incisis, vel extirpatis soluat, si fuerit minor trabe solidos x. si autem esset trabes, vel maior trabe, tunc solidos 20. soluat, pro arbore fructifera, & vite solidos 60. soluat. Si quis autem inciderit, vel extirpauerit, seu excoriauerit postigiam, vel de perticis postigiæ, condemnetur in solidis x. pro quolibet pede, pro perticis incisis seu ablatis de salice soluat solidos x. pro qualibet pertica. Fassum lignorum deferre si quis inuentus fuerit, nisi habeat terram suam, vel ad laborandum, in qua sint arbores, soluat solidos decem pro quolibet fasso, nisi ostenderit aliquem habentem terram cum arboribus dedisse sibi dicta ligna. Et tales pęnæ diuidantur in quatuor partes secundum formam statutorum. Et in omnibus prædictis casibus damnum passis restituatur, & in tantundem communi Paduæ, seu cameræ dominationis nostræ condemnetur, & quilibet possit impune auferre ligna, seu herbam, vel fructus portantibus.

IN omnibus casibus, in quibus potest peti regula non possit pro vnaquaq; inuentione, siue manifestatione condemnari inuentus, & accusatus de regula camporum, & pratorum vltra libras tres. De nemoribus vero, & clausuris non possit condemnari vltra solidos centũ. Saluo quod in omnibus casibus, quibus damnum datum erit, debeat damnum passis restitui, & in tantundem debeat

qui

qui damnum dedit, cōdemnari communi Paduæ, seu cameræ dominationis nostræ quantum fuerit facta æstimatio damni. Et nullus possit imponere maiora damna pro regulis, seu damnis datis, nisi prout, & secundum quod per statuta Paduæ ordinatum est.

SVb quacunque accusatione, vel denuncia, quæ fiet de arboribus, vel vitibus, aut de nemoribus incisis, deuastatis, vel combustis contra aliquem, si summa condemnationis, quæ sequi debeat ex ea, erit maioris summæ librarum x. teneatur iudex, coram quo ventilabitur quæstio receptis suspectis à partibus mittere ad requisitionem accusati, vel denunciati infra tres dies postquam fuerit requisitus vnum, vel duos officiales palatij prout exiget qualitas negocij expēsis partium ad locum, in quo dicetur incisas, deuastatas, vel combustas arbores, seu vites esse. Et dicti officiales ad hoc missi debeant videre accusationem, seu denūciam, & examinare, ac inquirere, & videre qualitatem damni, & quantitatem arborum, vel vitium incisarum, deuastatarum, seu combustarum, & diligenter cōsiderare tempus, quo fuerunt incisæ, vel deuastatæ, seu combustæ, & ea ac prout inuenerint, debeant referre in scriptis, ac per ordinē dare iudici de medio, & secundum eorum relationem iudex ipse debeat ad absolutionem, vel condemnationem procedere, dummodo pœnæ appositæ per statuta in damnis datis non minorentur vllo modo. Si vero fuerit damnum a decem libris infra vsque ad tres,

tunc

tunc mittatur expensis petentis, quę expresse reficiantur per victum incontinenti.

Interpretata, & declarata solemniter fuerūt per maius consilium communis Paduę statuta posita sub rubricis de regulis, & damnis datis in villis hoc modo videlicet, quod ipsa statuta non habeant locum, nec intelligantur in fauorem illorum, qui habitant in villis Paduani districtus, & sustinentium onera, & factiones cum communibus villarum, sed solum habeant locum, & intelligantur in fauorem ciuium Paduæ, & habitantium in ciuitate, vel in burgis Paduæ continue, aut pro maiore parte anni, & sustinētium onera, & factiones cum ciuitate Paduæ tantum, & non in fauorem aliorum, etiamsi aliàs essent exempti, vel sustinere non tenerentur, seu priuilegium haberent non sustinendi onera & factiones cum ciuitate Paduæ, vel gaudendi beneficijs statutorum communis Paduæ.

DE FORBANNITIS. RVBRICA.

Fficium iudicis Lupi, et procuratorum sit solummodo in forbanniendo, & cācelando forbannitos, & in dependentibus ab eisdem, & non possit iudex ipse Lupi, seu procuratorum delegari, vel subdelegari, vel subrogari in locum alterius iudicis allegati suspecti competentis, vel aliter recusati, etiā de voluntate partium. Et si in causis coram ipso vertētibus iudex ipse fuerit datus suspectus, tunc ille,

qui

qui loco eius fuerit subrogatus, debeat quantum ad illas causas sedere, & cognoscere solum ad discum Lupi, seu procuratorum. Possit tamen iudex Lupi, seu procuratorum, vel iudex ille, cuius iussu facta fuerit forbãnitio, cognoscere, an iusta fuerit facta forbannitio. Et teneatur dictus iudex se subscribere in fine cuiuscunq; forbãnitionis scriptę de commissione sua per notarium suum in libro forbãnitorum, & subscriptione qualibet possit iudex ipse recipere solidos 5. Teneatur etiam iudex Lupi sub pęna librarum vigintiquinque procurare & facere, quod notarii sui faciant copiam, & ostendant cuicunque requirenti ad dictum officiú libros forbannitorum, data sibi solutione debita secundum formã statuti positi sub hac rubrica quod incipit. Notarij ad discum Lupi. Et hanc pęnam iudex ipse euitare non possit, nisi statim denunciauerit D. Potestati, vel vni ex suis iudicibus, ꝙ per ipsum non stet, quin talis videre volens non posit libros ipsos, exprimendo nomen notarii, qui non vult quod talis inquirat. Qua denunciatione facta potestas, seu iudex, cui prędicta denúciatio facta erit, teneatur incontinenti & sine exceptione aliqua, sub pæna librarum centum compellere notarium, & facere quod quisque posit videre libros ipsos & inquirere de forbannitis.

TAbelliones deputati ad discum Lupi debeant habere vnum librum de chartis pecudinis, in quo scribãt ordinate forbãnitiones omnes, & singulas, quas faciunt, & cum scribunt aliquem in libro

bro forbannitorum, debeant in ipsa forbannitione ponere millesimum, diem, locum, & nomen illius, ad cuius petitionem quis forbanniatur, quando ad petitionem alicuius forbanniatur, exprimēdo quis fecit fieri forbannitionem, & nomen patris eius, contratam seu villam, in qua habitet. Et similiter nomen & prænomē forbāniti, & nomen ac prænomen patris forbanniti, & contratam seu villam habitationis suæ, & quantitatem debiti. Et nomi- iudicis sui, de cuius commissione scribit illum in lē bro forbannitorum, & nomen, & officium iudicis, qui commisit cedulam, q̄ forbanniatur ille, & nomen notarij, qui cedulam ipsam scripsit, ac nomē, & prænomē præconis, qui dictam cedulam præsentauit, & præcepit quod ille forbāniatur, & nomina testium saltem duorū, qui forbannitioni pręsentes sint. Et in fine forbannitionis notarius ipse Lupi, qui scripsit forbannitionem in libro prædicto, debeat subscribere nomen suum, & ponere notam cum signo suo secundum quod ponit in publicis instrumētis, alias forbannitio ipsa ipso iure non valeat, & pro nulla sit. Hoc idem obseruetur in cancelatione forbannitionis. Et tabellio qui contrafecerit, condemnetur in solidis centum pro qualibet vice, & cassetur nihilominus ab officio, & priuatus sit ab omni officio vsq; ad quinque annos.

NOtarij ad discum Lupi deputati debeant sub pęna librarum 25. paruorum pro quolibet, & qualibet vice facere copiam librorum omnium forbannitionum vnicuique ciui Paduano volenti

in-

inquirere de forbannitis, vel cancelatis, ita tamen quod inquisitio ipsa fiat ad dictum discum præsentibus iudice vel notario ipsius officij, & possint recipere solutionem a quolibet inquirere volente, in ratione denariorum sex pro quolibet libro, dummodo non excedat summam solidorum quinque paruorum.

VT facilius posit inueniri, qui forbanniti sunt, teneãtur notarij Lupi sub pæna librarum decem paruorum habere vnũ librum de chartis pecudinis, & in ipso libro ordinate de die in diẽ scribere in effectu nomen cuiuslibet forbanniti secundum ordinem alphabeti hoc modo videlicet, Albertus Rauanus, de Lucio forbannitus die tali pro tali debito ad petitionẽ talis, nominando expresse vt dictũ est. Et similiter cancelent in isto libro quẽcunque cancelent de libro forbannitorum, & ipsum librum ostendant, & videri ac legi permittãt omnibus, & singulis inquirere volentibus de forbannitis, accipiendo solutionem denariorum sex pro quolibet. Non tamen intelligetur aliquis esse forbannitus, vel cancelatus de libro forbannitorũ ex eo, quod sit scriptus, vel cancelatus in hoc libro ad reperiẽdum facto, nisi in quantum appareat in libro autentico forbannitorum, quod legitime scriptus, vel cancelatus sit.

NOtarij quilibet Lupi sub pęna librarum vigintiquinque paruorum pro quolibet teneãtur penultima, & vltima die officij sui pręsentibus vno, vel duobus gastaldionibus fratalcæ notario-

rum

rum consignare notarijs nouis successoribus suis librum forbannitorum tempore suo, & similiter librum illum ad reperiendum factum sub pœna librarum decem pro quolibet notario. Et quilibet possit accusare notarios cõtrafacientes, & habeat medietatem banni. Et de prædictis etiam inquirãt gastaldiones notarij in exitu officij dictorum notariorum, si fecerint dictos libros, & si prædicta consignatio facta est. Et notarius, qui consignationem ipsam non fecerit intelligatur cælare dictum librũ per fraudem. Pupilli, furiosi, seu mentecapti, neq; forbanniri, neque capi possint.

NOn forbanniatur aliquis pro minori summa solidorum 20. Et non intelligatur forbannitus aliquis, nisi in forbãnitione sit proprium eius nomen cum prænomine, & cognomine suis expressum. Nec forbannitus intelligatur heres etiam forbanniti, nisi (ut prædictum est) proprio nomine fuerit forbannitus.

NVllus possit forbanniri pro debitis generalibus ad petitionẽ alicuius personæ, nisi fuerit legitime citatus ad respondendum de iure, & contumax non comparuerit in termino, quo casu contumax forbannitus exire de libro forbannitorum non possit, nisi solutis expensis omnibus arbitrio iudicis taxandis secundum formam statuti quod incipit. Reus autem, sub rubrica de Citationibus & ordine procedendi.

SI quis fuerit bis forbannitus pro eo, quia citatus non venerit ad rationem faciẽdam, vel quia ad

terminum a iudice assignatum ante litem cõtesta-tam non comparuerit responsurus. Et is qui fecit eum forbanniri probauerit per instrumentum, vel testes iudici procuratorum etiam lite non cõtestata forbánitum aliquid dare sibi debere, pro cõfesso habeatur. Et de libro forbannitorum exire non possit, nisi illud soluerit creditori.

ALiquis etiam condemnatus, vel ad forbanniẽdum obligatus pro aliquo debito priuatorũ, seu hæres eius nõ possit tamẽ forbanniri, nisi præceptum factum fuerit sibi, vel eius hæredi pro admonitione personaliter vel bis ad domum habitationis suæ, si habitationem habet in Padua, vel Paduano districtu, vel si tempore admonitionis non habet habitationem in Padua, vel Paduano districtu, cridetur bis ad domum habitationis suæ tempore condemnationis vel obligationis, ꝙ soluat creditori vsq; ad tertiam diem illud, quod confessus est, vel id, ad quod obligatus vel condemnatus est. Et ꝙ si vult cõtradicere, compareat coram iudice, nominando officium, siue discum, ad quem debeat comparere, & fiant prædictæ cridationes ad domum spatio 3 dierum inter primã & secũdã cridá. Et figatur hoc casu vnũ breue in vna ex portis palatii, in quo citatio, seu admonitio ipsa contineatur. Et si talis admonitus nõ cõtradixerit in termino, vel suo non satisfecerit creditori, tunc possit forbãniri. Et de libro forbãnitorũ exire nõ possit, nisi satisfecerit creditori suo. Saluo ꝙ hoc locũ non habeat, quando iudex procuratorum, seu Lupi faceret

ceret aliquem banniri exequendo sententiam vel preceptum alicuius alterius iudicis, quo casu etiam nō citato de ipsius iudicis procuratorū cōmissione dicto condemnato, iudex prædictus procuratorum & Lupi possit ipsum facere forbanniri, exequendo sententiam, vel præceptum cuiuscunq; alterius iudicis, qui haberet exequi sentētiā, vel præceptum.

FRāciscus Foscari Dei gratia dux Venetiar. &c. Nobilibus & sapientibus viri Moisi Grimani de suo mandato potestati, & Iacobo Barbarico capitaneo Paduæ & successoribus suis fidelibus dilectis salutem & dilectionis affectum. Significamus vobis, q̄ in nostro cōsilio rogatorū die duodecimo mensis præsentis capta fuit pars huius tenoris videlicet. Cum de terris & locis nostris multi sunt banniti pro diuersis criminibus & delictis, qui morā trahentes prope ipsa confinia quotidie redeunt ad noua mala, & delicta, vadit pars q̄ omnes illi, qui bāniti de cætero erunt de aliquo territorio nostro pro quolibet delicto, non possint stare, vel habitare per milliaria 15. prope territorium illud, de quo fuerunt banniti. Et si infra tale confine caperentur, consignentur in manibus rectorum loci, de quo banniti erunt, vt pœnam luant ac si in territorio ipso capti fuissent. Et si ipsi banniti redirent in territorio, de quo habuerunt bannum ad perpetrandum noua delicta, priuentur beneficio standi prope dicta territoria per spatium suprascriptum millariorum quindecim. Quare mandamus vobis cum dicto consilio quatenus suprascriptam

partem, & contenta in ea obſeruare & obſeruari facere inuiolabiliter debeatis Faciētes has noſtras literas in actis cancelariæ veſtri regiminis ad futurorum memoriam regiſtrari. Data in noſtro ducali palatio die duodecimo Menſis Nouembris inditione ſeptima 1443.

SI aliquis fuerit ſcriptus in libro forbannitorum pro debitis generalibus, ideſt priuatorum & nō communis Paduæ, & velit dicere ſe iniuſte & malò modo ſcriptum, vel contra formam ſtatutorum communis Paduæ, & ſe debere cancelari de libro forbannitorum. Et ille, ad cuius petitionē forbannitus eſt, compareat contradicturus per ſe, vel per procuratorem, eodem iure cognoſci poſſit, & cognoſcatur de cancelatione, quemadmodum eſt cognitum de forbānitione, vt eadem ſolemnitas obſeruari poſſit ad poſtulationem forbanniti, qui dicit ſe iniuſte & malo modo ſcriptum in libro forbannitorum, vel contra formam ſtatutorum, quæ obſeruata eſt in eo forbanniendo, & quemadmodum libelli oblatio, litis conteſtatio, vel alia ſolemnitas iudicij non ſunt obſeruata in forbannitione, ſic nec prędicta neceſſaria ſint in cancelatione, dūtamen aliquis forbannitus non poſſit cācelari propter ſolam contumaciam creditoris, niſi creditor fuerit citatus perſonaliter, & nō venerit infra tertiam diem contradicturus, vel bis ad domum ſpatio trium dierum, vel ſi non habitat in Padua, vel diſtrictu, figatur citatio in vna ex portis palatij facta citatione, vt ſupra dictum eſt de forbāniendo.

Et

Et post octo dies elapso termino citationũ, possit cancelari si appareat iudici de medio ipsum fuisse iniuste, vel malo modo forbannitum, vel forbannitionem non tenere, vel solutionem debiti factã esse, vel forbãnnitum cancelari, etiam si creditor esset præsens, & contradiceret, vel si forbannitus pecuniam, pro qua forbannitus esset, deponeret, vbi iudex præceperit. Qua depositione facta forbannitus si voluerit, faciat citari creditorem vt infra tempus à iudice statuendum compareat coram eo, si vult contradicere, ne fiat restitutio pecuniæ. Quo non comparente, iudex faciat dictum depositum restitui.

FOrbanniti intelligantur esse illi tantum, qui reperirẽtur scripti in libro forbannitorum communis, vel qui secundum formam statutorum communis Paduæ habentur pro forbannitis, licet non sint scripti in libro forbannitorum.

SI aliquis forbannitus iniuste, & malo modo per fraudem in libro forbannitorum descriptus, vel cancelatus fuerit, ipsum in libro poni, & scribi, vel cancelari reddẽdo singula singulis faciat potestas. Et ille, qui malo modo descripserit, centum libras paruorum auferat eidem D. Potestas pœnæ nomine. Et si centum libras non soluerit, tunc potestas Paduæ faciat ei manum aputare. Et illi, qui iniuste, & malo modo, & per fraudem fecerit aliquem describi, vel cancelari, D. Potestas Paduæ auferat centum libras paruorum pœnæ nomine salua tamen pœna falsitatis.

CÆterum si quis fecerit malo modo aliquẽ poni in libro forbannitorum pro debito, soluat communi Paduæ pœnæ nomine solidos centum, & nihilominus restituere cogatur forbãnito damnum, & expensas in duplum.

LIceat forbãnitio constituere, & habere procuratorem, defensorem ad defensionem suam & rerum suarum, nisi esset forbannitus pro maleficio in libris quinquaginta, vel abinde supra. Saluo ꝙ possit se excusare per procuratorem secũdum formam statutorum communis Paduæ, in casu dictorum statutorum, & non aliter.

FOrbannitus aliquis neque per se, neq; per procuratorem possit agere, vel petere in causa, vel ex causa ciuili coram potestate, vel coram alio iudice, et rationem agẽdi habere non debeat, donec fuerit forbannitus. Non tamen vicietur processus habitus cum ipso ante propositam oppositionem forbannitionis, sed possit executo de banno ex eisdem actis litem inceptam complere, nisi lapsus temporis ad durationem instantiæ causæ deputati per statuta communis Paduæ, vel aliquod aliud legitimum impedimentum obstaret eidem.

OMnes et singuli forbanniti pro debitis generalibus possint eximi, & cancelari de libris for bannitorum communis Paduæ, dummodo sint concordes cum suis creditoribus.

SI quis in libro forbannitorum pro debitis generalibus scriptus fuerit pro forbannito, & per vnum mensem steterit forbannitus, tunc abinde

vltra

vltra si aliquod damnum sibi datum fuerit, vel acciderit quoquomodo in bonis suis, nullum ius, nec restitutionem ab aliqua persona, vel communitate consequi possit. Nec super prædictis aliqualiter procedi debeat, quamdiu stabit forbannitus. Postquam autem exiuerit de libro, possit consequi ius suum, & bona sua quocunque modo voluerit, dūmodo non agat ad pœnam.

Aliquis forbannitus non possit aliquem facere forbanniri. Et si aliquem fecerit, vel faciet forbanniri, teneatur facere illum cancelari de lib. forbannitorum omnibus suis expensis.

FOrbannitus aliquis pro debito non occidetur, nec vulneretur. Et si quis contrafecerit occidēdo vel vulnerando, puniatur, ac pœnam patiatur, ac si non esset forbannitus.

FOrbanniti scripti in libro forbannitorum, seu debitores communis postq̃ erunt trāsacti quindecim dies, quibus debeant soluere, nullum officium ordinarium siue extraordinarium, vel potestariam, seu vicariam alicuius villæ, vel aliquod ciuile munus pro communi Paduæ, vel pro cōmuni alicuius villę habere debeāt. Et si quis cōtrafecerit aliquod prædictorum accipiēdo officium ordinarium, aut potestariam, seu vicariam alicuius villæ, vel alterius loci in Padua, vel Paduano districtu, vel aliquod aliud ciuile munus, soluat communi Paduæ pro qualibet vice, & quolibet prædictorum solidos centum, & non valeat electio eius ad aliquod prædictorum, neque teneat de iure nec

de facto etiam si forbannitus ipse postea exiuerit de libro forbannitorum, aut si debitor eius postea soluerit communi, quod debeat. Si uero aliquo errore perseueraret in aliquo prædictorum, & perceperit salarium, teneatur illud restituere cum duplo communi Paduæ. Et potestas Paduæ, & quilibet officialis teneatur inquirere de prædictis, & positos in officio extrahere, & condemnare, & banna exigere.

POtestas Paduæ expellat de Padua, & Paduano districtu forbannitos omnes huius ciuitatis ex quacunque causa scriptos in libro forbannitorum. Et siquis forbannitus reperiretur in platea, vel statione aliqua circa plateam communis, soluat cõmuni Paduæ pœnæ nomine solidos sexaginta. Si autem reperiretur in palatio, in quo ius redditur, vel in domo habitationis domini potestatis Paduæ, seu judicum suorum, soluat cõmuni Paduæ solidos centum. Et talium pœnarum medietas sit communis, & altera accusantis, & quilibet possit accusare, & accusatio fieri hoc casu debeat infra octo dies, postquã repertus fuerit, & vlterius nullus de hoc accusans audiatur. Et si per plures aliqui, fuerit accusatus, & eodẽ die repertus sit in aliquo dictorum locorum, tunc iudex Aquilæ super omnibus accusationibus procedere debeat, percipiẽdo tamen solum vnam securitatem, & pro illa tantum accusatione, quæ probat fuerit, condemnetur. Et mediatas talis cõdemnationis detur primo accusatori, si probauerit, alioquin secundo vel

tertio,

tertio, vel alij, qui probabit. Et non possit forbannitus aliquis, qui repertus fuerit in aliquo dictorũ locorum habere aliquam excusationem prætextu alicuius detentionis. Et non habeatur aliquis forbannitus pro detento, nisi semper, & cõtinue cum ipso forbannito erunt præcones cõmunis Paduæ, aut nisi forte baroderij domini potestatis conducerent eum ad dominũ potestatem, vel ad aliquem iudicum eius ipsum forbannitum pro aliquo maleficio, seu datio persoluendo, aut testimonio reddendo super aliquo maleficio, vel nisi ipse forbannitus haberet compedes, seu bogas ad pedes, aut nisi detentus erit, & steterit continue die, & nocte in palatio, seu cameris palatij, vel in carceribus cõmunis Paduæ, ita tamen ꝙ nullo modo pro detento quis habeatur pro aliqua supradictarum causarum, neque habere vllam excusationem possit, si modo aliquo, vel ingenio descenderit de palatio communis Paduæ. Et si aliquis forbannitus compareret in aliquo dictorum locorum, non relaxetur, nisi prius soluerit condemnationem, & bannũ communi Paduæ, cuius banni medietas sit communis, & altera medietas sit accusantis, siue denũciantis, vt dictum est. Et potestas Paduæ, & quilibet eius iudex requisitus teneatur dare cuilibet petenti baroderios, & præcones ad capiendũ quemlibet forbannitum inuentum in aliquo dictorum locorum.

QVicunque de cętero stabit forbannitus, & in libris forbannitorum pro dębitis generalibus

scriptus

ſcriptus per duos menſes poſſit ad petitionem creditoris, vel eius hæredis vel eius, qui habuerit iura ceſſa ab aliquo de prædictis capi, & detineri, & in carceribus poni, & relaxari non debeat, niſi prius ſatisfecerit, & ſoluerit debitum, pro quo fuerit forbannitus, vel niſi fuerint ſeruata, quæ requiruntur ſecundum formam ſtatuti, quod incipit. Non poſſit aliquis, poſiti ſub rubrica de carceribus, ſaluo ſemper ſtatuto B. Antonij Confeſſoris de ceſſione bonorum.

POteſtas Paduæ, vel aliquis iudex curiæ, vel palatij, vel aliquis officialis nõ poſſit aliqua occaſione affidare aliquem forbannitum, niſi de voluntate creditoris, vel creditorum, pro quo, vel quibus fuerit forbannitus. Saluo quod vt veritas in maleficiis ſine vllo metu poſſit inueſtigari, dominus poteſtas, & iudex ſuus ad maleficia deputatûs, poſſit affidare reos etiam forbannitos, vl à ſuis creditoribus ea die, qua ſe excuſabunt, non poſſint capi pro debitis, vel in carceribus poni, aut de banno libri accuſati, nec etiam poſtquam ſe excuſauerint quatuor pro maleficio ſtabunt detenti, & vna die, aut plus habeant liberum arbitrium recedendi. Idem fiat de teſtibus venientibus ad perhibendum teſtimonium in quæſtionibus maleficiorum.

FOrbannitus aliquis, qui per creditorem, ſeu de ipſius licentia ſit affidatus, non poſſit durante affidatione per aliquem accuſari vigore illius forbannitionis, pro qua fuerit affidatus.

Qui-

QVicunq; cōdemnatus est de cætero, vel condemnabitur pro aliquo maleficio, vel debito pecunialiter, vel corporaliter, vel quomodocunq; si non soluerit condemnationem suam infra tempus per statuta declaratum, habeatur pro forbannito, etiam si non sit scriptus in libro forbannitorum, & subiaceat pœnis, bannis, & statutis contra forbannitos loquētibus, perinde, ac si nominatim & expresse scriptus esset in libro forbannitorum pro ea causa, pro qua condemnatus est.

QVilibet habitator ciuitatis Paduæ, vel suburbiorum, aut villarum, vel locorum subiectorum cōmuni Paduæ, qui per se habitat, & habeat familiā per se, & qui sustinere teneatur, & debeat onera, & factiones, si nō erit scriptus in libro æstimorum, & impositionum communis Paduæ, vel alicuius villæ, seu loci Paduani districtus, si villa habuerit æstimum in scriptis, aut si positus fuerit ad æstimum, vel ad sustinendum onera, & factiones, & nō sustinuerit onera, & factiones cum cōmune Paduæ, vel cum commune alicuius villæ, vel loci Paduani districtus, & ciuitati Paduæ subiectæ, subiaceat illis pœnis, & bannis, quibus subiaceāt forbanniti pro debito generali seu priuato. Et intelligatur sustinuisse onera, & factionēs quantum ad pœnam euitandam, si fuerit scriptus in libro æstimorum, seu impositionum ciuitatis Paduæ, vel alicuius villæ, seu loci Paduani districtus.

QVicunq, iuerit ad aliquam religionem, & se Deo dedicauerit, & postea exiuerit religionē,

sub-

subiaceat, & subiacere debeat pœnis, & bannis, quibus subiacent forbanniti pro debitis generalibus, idest priuatorum, qui steterint forbāniti vltra vnum mensem, & non habeat, nec habere debeat de paterna hęreditate, vel materna, nec succedere cum fratribus, vel propinquis ab intestato, vel ex testamento possit nec debeat, nec habere possit officium aliquod vel honorem in ciuitate Paduæ.

QVilibet, qui pro debito aufugerit de Padua, & Paduano districtu habeatur pro forbannito secundum formam statutorum loquentium, & positorum sub rubrica de fugitiuis.

STatuimus q̃ per forbannitionem factam pro debitis generalibus seu priuatorum à quadriēnio citra, & quæ de cætero fiet actio conseruetur, & perpetua intelligatur esse vsque ad 30. annos durante ipsa forbannitione perinde ac si condemnatio facta esset. Et vigore alicuius instrumenti alicuius repertæ forbannitionis ante prædictum tempus facti dictis occasionibus, nullus possit detineri, accusari, vel offendi, vel interdici, seu aliquod damnum pati, & sit præcisum.

ALiquis non possit accusari de bāno libri, quod fuerit in palatio, vel in platea, aut stationibus communis, nisi prius denunciatum fuerit eidem audienti, & intelligenti facie ad faciem, quod est forbannitus, & detentus, vel repertus in palatio, vel in platea communis contra formam statuti communis Paduæ, & sit præcisum.

Qui-

QVicunque inuentus fecisse malo modo poni aliquem in libro forbannitorum pro maleficio, cogatur sine controuersia resarcire damnum, & expensas in duplum ei, qui positus taliter fuerit, & in libris centum paruorum pro banno communi condemnetur, salua pœna falsitatis.

DE CARCERIBVS, ET CARCERANDIS. RVBRICA.

DE carceratis cõmunis Paduæ vbicunq; in carceribus cõmunis sint positi, fiant duo libri cũ nominibus, & prenominibus, & locis, ex quibus oriundi, & habitatores sint ipsi carcerati, & cum quantitatibus, & causis, ex quibus carcerantur. Et taliũ librorũ vnus maneat penes iudicem Aquilæ, quẽ consignet suo notario ad officiũ Buscheti deputato, alter maneat apud capitaneum carcerum. Et capitaneus carcerum teneatur portare, & dare instrumento dicto iudici ea die, vel sequentis cum aliquis caput, ductus, & consignatus sibi fuerit ad carceres, nomen, & prænomen detenti, & causam quare detentus est, & de cuius commissione detentus ẽt. Et similiter quãdo relaxetur de carceribus, teneatur dictus capitaneus referre dicto iudici, de cuius commissione, & quare relaxatur. Et capitaneus ipse si predicta non fecerit, condemnetur pro quolibet, & qualibet vice in libris vigintiquinq; paruorum denariorum Venetorum, cuius banni medietas sit

com-

communis, & altera accusantis. Et quod notarius dicti iudicis ad Buschetum, seu dictus capitaneus vel aliquis custos, aut officialis carcerum, siue alius quicunque fuerit, qui prædicta scribant, non audeant aliquid accipere ab aliquo carcerato, seu de carceribus relaxatio, sub pœna librarum 25. paruorum pro quolibet contrafaciente, & pro qualibet vice. Et huius banni medietas sit communis, & altera denunciantis.

QVilibet, qui conductus fuerit in carceribus communis Paduæ, teneatur, & debeat soluere communi primo solidos sex pro introitu. Item quando relaxatur solidos viginti pro exitu. Item si fuerit pro tali causa, debito, vel crimine quod sibi imponendæ sint compedes, seu bogæ, tunc soluere debeat communi solidos decem pro imbogatura. Et teneatur ad solutionem illam solidorum decem quilibet carceratus pro debito à librarum centum supra, etiam si compedes, seu bogæ impositæ sibi non sint. Item quilibet carceratus, qui positus fuerit in camera magna, quàm vocant salam, positam supra calegarias, teneatur soluere communi solidos 4. qualibet die, qua steterit carceratus, & habitauerit in dicta sala. Item liceat capitaneo carcerũ accipere a quolibet carcerato solidos duos pro labore suo scribẽdi tantum. Item liceat cuilibet famulo carcerum, qui imponet alicui carcerato bogas accipere solidos tres ab illo, quem imbogabit. Nihil tamen soluere communi teneatur carceratus aliquis pro introitu, & exitu carcerum, si reper-

tus

tus fuerit non culpabilis pro eo maleficio, seu quasi, quod si imputaretur, & pro quo incarceratus fuisset. Et capitaneus, ac quilibet officialis, seu famulus carcerũ, si acceperit ab aliquo carcerato vltra id, quod dictum est, teneatur ad restitutionem dupli eius, quod illicite acceperit. Et nihilominus condemnetur in libris decem paruorum communi pro quolibet, & qualibet vice, & quilibet possit accusare, & habeat medietatem banni. Et hoc casu credatur iuramento eius, qui dixerit, quòd ab eo sit aliquid vltra taxationem ipsam acceptum.

NOn audeant capitaneus, notarius, & custodes carcerum, vel aliquis eorũ per se, vel per interpositam personam vendere vinum, vel victualia, seu comestibilia aliqua, vel lectum ad naulum dare alicui carcerato, vel modo aliquo cũ carceratis vel aliquo eorũ cõtrahere tẽpore, quo erũt carcerati, neq; postq̃ relaxati fuerint vsq, ad tertiã diẽ. Sed permittere, & pati debeãt loq. cuilibet carcerato, & portari, & dari quibuscunq; carceratis vndecunque, qui dare sibi voluerit lectos, panem, vinum, & alia comestibilia. Exceptis illis, quibus ꝓhibitum est loqui per Dominum Potestatem, vel suum iudicem. Illis autem capitaneus per suum nuncium portari faciat. Et capitaneus, & alius officialis carcerum quicunq; fuerit, si contrafecerit in aliquo prædictorum, condemnetur in libris centum, & quilibet possit accusare, & habeat medietatem banni. Et nihilominus cõtrafaciens ille priuetur

neturofficio. Saluo tamen ꝙ liceat domino capitaneo dare lectum etiam ad naulum cuilibet carcerato forensi, vel non habenti aliunde, & volenti, & petenti ab eo lectum.

CApitaneus carcerum teneatur relaxare, & dimittere de carceribus quemcunq; carceratum incontinenti, cum sibi præceptum fuerit, seu bulletam relaxationis habuerit ex parte potestatis, seu iudicis, de cuius commissione ille relaxandus captus fuerit. Et capitaneus carcerum si statim facto sibi pręcepto, vel bulleta relaxationis habita, & sibi pręsentata non relaxauerit carceratum, condẽnetur in libris decem paruorum pro quolibet, quẽ contra præceptum retinuerit, & pro qualibet die, qua eum tenuerit. Et carceratus aliquis postq̃ relaxandus est, nihil soluere teneatur capitaneo, aut notario, vel alicui custodi, vel famulo carcerum, neq; alicui alteri personæ pro ipsis officialibus carcerum, vel aliquo eorum recipienti, saluo eo, quod debitum sit secundum taxationem suprascriptam. Et possit capitaneus carcerum accipere solutionẽ ab ipso carcerato relaxando eius, quod habere debuerit pro carcere secundum taxationem prædictam. Et hoc si carceratus relaxandus habebit bona sufficientia. Si vero carceratus ipse relaxandus non haberet ibi bona sufficientia, tunc capitaneus carcerum possit accipere omnes vestes pręter bragam, & camisiam. Et nihilominus relaxare ipsum debeat secundum præceptum sibi factum. Saluo sibi iure in cæteris bonis relaxati.

Si ad

SI ad petitionem alicuius pro debito aliquis fuerit, vel steterit detentus in carceribus communis Paduæ per vnum mensem, & ille sic detentus nō habuerit, vnde se alat, & nesciat ministerio aliquo vti, propter quod victum nesciat lucrari, de quo stetur arbtrio domini vicarii domini potestatis Paduę, tunc ille creditor talis, ad cuius petitionā ille fuerit detentus, teneatur illi carcerato facere expensas omni die panis, vini, & ferculi, dando eidem saltem panes duos, & bochaletā vnam vini, & vnam scutelam ferculi in prandio, & similiter in cœna, aut debeat dare carcerato solidos duos quolibet die loco dictarum expensarum, vt carceratus pauper habeat, vnde sibi expensas emat, & in hoc stetur electioni creditoris. Et si creditor requisitus steterit per octo dies, ꝙ nō dederit dictos solidos duos, vel dicta alimenta, de qua requisitione constet per notarium carcerum, tunc ille talis detentus possit libere relaxari, stāte tamen debito in terminis suis. Et aliquis ex causa ista vt supra relaxatus, non possit pro eodem debito carcerari de cætero vsque ad tres menses a die relaxationis suæ futuros.

SI aliquis fuerit bis relaxatus de carceribus communis Paduæ amore Dei, qui esset detentus alicuius cōdemnationis factæ in eum occasione propter quod maleficiū, seu delictum per eum cōmissum, & fuerit iterum vigore tertiæ condemnationis in carceribus reclusus, non possit, etiam si habuerit pacem, relaxari de carceribus amore Dei,

vel occasione alicuius festiuitatis, nisi integraliter soluat communi cõdemnationem ipsam, pro qua retentus est.

POtestas Paduæ procuret, & faciat, quod carcerati non relaxentur de carceribus, & non permittatur aliquis ex eis ire per ciuitatem, nisi iret pro elemosinis percipiendis.

CApitaneus carcerum si aliquem dimiserit sine licentia potestatis, vel suorum iudicum, vel alterius officialis, de cuius præcepto & cõmissione positus ille fuerit in carceribus, aut sine licẽtia successoris dicti iudicis, vel officialis, aut si carceratus aliquis aufugerit, tunc compellatur per dominum potestatem, vel iudices suos incontinenti omissa omni iuris solemnitate, & iudiciorum scriptis, satisfacere tam communi, quam singularibus personis de eo, pro quo esset ille carceratus. Et nihilominus condemnetur capitaneus ille in libris centum paruorum.

ALiquis, cui præceptum fuerit facere aliquam securitatem librarum 25. vel abinde infra, vel qui fuerit de cętero condemnatus in dicta summa, vel abinde infra, non possit, nec debeat mitti in carceribus maleficiorum, vbi ponuntur homicidiarii, & latrones, sed ponatur in carceribus, vbi ponuntur illi, qui sunt pro debitis generalibus detenti. Et ibi retineri & stare debeat quousque adimpleuerit, quod debet.

FOrbanniti vel alio modo capti pro debitis, qui detenti fuerit, non ponantur in eodem carcere,

re, in quo ponuntur illi, qui pro maleficiis & furtis detinentur, & potestas non possit, nec debeat aliquē carcerari facere, vel detineri in palatio, vel in domo potestatis, vel pręcipi eidem, vel prohiberi, quin vadat, quo voluerit, nisi pro homicidio, vel occasione homicidij, vel proditionis, vel falsitatis, vel incendii, vel furti, seu rapinæ, vel prædæ, vel pro delictis ingerentibus pœnam sanguinis, vel pro debitis communis, vel condemnationibus cōmunis. Pro aliis verò maleficus non possit aliquem facere carcerari, dummodo præstare voluerit idoneam securitatem de condemnatione soluenda secundum qualitatem delicti. Et si potestas, vel aliquis de sua familia contra præpicta, vel aliquod prædictorum fecerit, amittat de suo salario libras centum pro qualibet vice, & valeat ex nunc statuto aliquo non obstante.

QVicunque fuerit de aliquo crimine accusatus, vel denuncietus, seu inquisitus ex officio Domini Potestatis, propter quod debeat corporaliter puniri, possit capi & detineri, & personaliter in carceres detrudi, & retineri prout D. Potestati conueniens videbitur, quam[illegible] cognitum & pronunciatum fuerit contra eum. Quæ cognitio debeat expediri vsque ad duos menses a tempore detentionis in pœna librarum centum, nisi fuerit legitima causa, ex qua infra dictum tempus expediri non possit.

POtestas Paduæ, & iudex, seu iudices sui teneantur statim post absolutionem factam de quo-

cunq;carcerato præceptum facere capitaneo carcerum,quod relaxet talem, qui pro tali delicto retentus erat, ex quo repertus non culpabilis absolutus est. Et qui negligens fuerit in faciendo aliquem absolutum relaxari, condemnetur in libris 20. paruorum pro quolibet absoluto non relaxato, & qualibet vice, & qualibet die, qua absolutus steterit in carceribus, postquam absolutio facta sit.

QVilibet fideiussor, vel eius hæres, qui soluit, aut in futurum soluet pro aliquo principali, vel si eius bona accepta fuerint in solutum, vel vèdita ad incantum pro ea quantitate, pro qua erat fideiussorio nomine obligatus, possit & liceat ei, vel eius hæredi, & cuilibet habenti iura cessa ab aliquo ex prædictis, non obstante aliquo statuto, facere pro ea quantitate, de qua satisfactũ est creditori, capi, detineri, & in carceribus communis Paduæ poni & retineri illum principalem debitorem,pro quo fideiussit,vel eius hęredem postquam constiterit legitime iudici ipsum esse hæredem,vel se immiscuisse in hæreditate,vel adiuisse hęreditatem sine beneficio inuentarij. Et confectio inuentarii non prosit hæredi principalis debitoris, quominus capi, & detineri possit personaliter hęres ille,dummodo cõstet, ꝙ bona hæreditaria sint soluendo. Non possit tamen confideiussor facere detineri alium confideiussorem vigore solutionis,vel cessionis factæ tanquam confideiussor pro aliqua parte. Et si cõfideiussor promiserit alicui confide-

iussori

iussori conseruare ipsum indemnem, non possit propterea ipsum facere detineri uigore talis promissionis, nisi pro parte ipsum tangente, viriliter, & pro rata, pro qua promiserit de parte, de qua potuit secundum formam statutorum communis Paduæ conueniri & compelli à creditore, intelligendo tam pro debitis communis, quam de debitis singularium personarum.

LIceat etiam cuilibet, vel eius hæredi, seu habẽti iura cessa ab aliquo ex prædictis capere, & detinere, seu capi & detineri facere, & in carceribus communis Paduæ poni illum, vel illos pro virilibus portionibus, quando essent plures, qui promiserint, seu promiserit ei, vel eis seruare eum, vel eos idemnem de aliquo debito facta solutione per eum, vel eos.

POssit etiam quilibet creditor facere detineri debitorem suum, qui steterit per duos menses forbannitus, & ipsum detẽtum poni in carceribus cõmunis pro eo debito, pro quo forbannitus fuit secundum formam statutorum communis Paduæ.

DEbitor quilibet, qui aliquo modo legitime cõstet non esse soluẽdo, intelligatur esse, & ipso iure, & facto sit in casu detẽtionis. Et possit ipsum creditor suus ex quacunque causa facere detineri, & in carceribus communis Paduæ poni pro debito suo, stãtuto aliquo in contrarium non obstante.

QVicunque fuerit ex causa mercantiæ obligatus, & per sententiam condemnatus, possit de commissione iudicis, qui sententiam tulit ad peti-

tionem creditoris sui pro debita quātitate capi, & in carceribus communis Paduæ poni, & detineri exequendo sententiam secundum formam statutorum sub rubr. de Mercatoribus positorum.

Statuimur & præsenti lege decernimus, q̄ si aliquis conduxerit per se, vel alium ad affictum aliquam domum ad modicum, vel non modicum tempus, vel habuerit seu tenuerit ad laborandum per se, vel alium terram, nemus, pratum, vallem aliquam, vel montem ad modicum, vel non modicum tempus, siue iure locationis, vel affictus, vel ad liuellum, vel in emphiteosim; aut aliquo iure quocunque, pro qua, vel quibus domino, vel locatori aliquid soluere debeat, aut etiam conduxerit, vel ad liuellum, seu emphiteosim ceperit domum, vel molendinum, aut rem aliquam immobilem, pro qua domino, vel locatori præstare, vel soluere aliquid teneatur, & habuerit, seu habere potuerit realiter, & de facto commoditatem vtendi re ipsa, possit ad petitionem domini, vel locatoris talium rerum, vel eius hæredis, aut legitimi procuratoris eorum, vel habentis iura cessa ab eo in ea re capi, & carcerari, & in carceribus communis Paduę poni pro debito, affictu, liuello, censu, aut præstatione quacunque certa, & specificata, quæ iam dictis rebus spectare debeat. Et hoc fieri possit domino vel locatore prædicto prius iurante, & etiam probante coram D. Potestate Paduæ, vel eius vicario, aut coram quocunque alio iudice, vel officiali communis Paduæ ad ius reddendum deputato per duos

testes

testes saltem testificantes parte non citata, talem obligatum, vel qui iuratur obligatum per petentem, vel eius procuratorem cōmoditatem habuisse, vel habere potuisse vtendi, & fruendi rebus prędictis, aut aliqua earum, aut etiam ipso domino, vel locatore, vel aliqua ex prædictis personis probante per publicum instrumentum de locatione, & iurante se habere debere, quod petit, & illū habuisse commoditatem vtēdi, & fruendi, vel habere potuisse. In quibus duobus casibus .i. factis proclamationibus per alterum de dictis duobus modis, D. Potestas, & eius vicarius, & quilibet ex iudicibus potestatis vel palatii committere possit cedulam ad detinendum super prædictis, & supra prædictos (vt dictum est) reddere, & præstare debentes. Et quod beneficio præsentis statuti gaudere non debeant vsurarii, & qui per famam publicam vsurarii reputantur. Et si contrafactum fuerit, non valeat de iure, nec de facto. Et nihilominus vsurarius puniatur in libris 50. paruorum cum damno, & interesse, & expensis duplicatis, & exceptionem ipsam oppositam hoc casu quod quis sit vsurarius teneatur notarius medius notificare ea die iudici Aquilæ in pęna librarum 25. paruorum applicanda communi. Et super omnibus prædictis quęstionibus, quæ ex prædictis contentis in statuto præsenti oriri possent, procedatur, cognoscatur, & determinetur secundum formam statutorum aliorum loquētium de illis, qui possint pro debitis generalibus capi.

SI quis debitor alicuius, vel eius hæres fuerit in tali casu, ꝙ pro debito aliquo per formam statutorum communis Paduæ ille talis de iure obligatus possit detineri, & pro dicto debito in carceres poni, & positus retineri, & per creditorem, vel legitimum procuratorem habentem ad hoc speciale mandatum, vel per præconem habentem ad hoc speciale mandatum a iudice, & cedulam detinendi talem debitorem, denuntiatum fuerit tali obligato & debitori personaliter, ꝙ soluat debitũ infra quindecim dies, vel vadat & intret carceres communis Paduæ intra dictum tempus, & debitum fuerit librarum centum, vel minoris summæ, vel infra vnum mensem, si debitum fuerit maioris summæ librarum centum. Et si personaliter non poterit haberi, & denunciatum fuerit modo prædicto ad domum suæ habitationis, & ꝙ iuramento haberi non possit, credatur iuramento denunciantis, si talis debitor denũciatus non soluerit debitum infra dictum tempus quindecim dierum, vel vnius mensis, vel non intrauerit carceres communis Paduæ in ciuitate paduæ personaliter & re vera, & continue ibi manendo, & stando ad voluntatem creditoris, donec ei satisfecerit, vel cum eo fuerit in concordia, tunc si debitum fuerit librarum centum, vel ab inde infra vsq; ad libras quinquaginta inclusiue, incidat in pœnam librarum viginti quinque paruorum. Si verò fuerit debitum à libris quinquaginta infra, incidat in pœnam librarum decem. Si autem debitum fuerit à libris centum

tum supra vsque ad ducentas, incidat in pœnam librarum 50. Et si debitum fuerit à libris ducentis supra, incidat in pœnam librarum centum quotiescunque contrafecerit pro vnaquaque denunciatione, dummodo infra tempus prædictum quindecim dierum, vel vnius mensis, non possit fieri, nisi vna denunciatio, & sic successiue fiat. Et creditor per se vel per legitimum procuratorem habentem ad hoc speciale mandatum infra quindecim dies post elapsam primam dilationem, vel vnius mensis, possit instituere accusationem cõtra talem debitorem, seu suprascriptas personas, qui prædicta non seruauerint, vlterius autem non audiatur pro iam dicta denunciatione facta, sed de nouo necesse habeat denunciare forma suprascripta, & instituta accusatione si debitor, seu prædictæ personę fuerint in concordia cum creditore, vel legitimo procuratore habente ad hoc speciale mandatum, anteq̃ se excuset facta concordia, ꝗ ostendat per publicum instrumentum, quod instrumentum producatur, & scribatur in actis notariorum ad discum maleficiorum, & per quem notarium scriptum est, vel personaliter creditor compareat coram iudice maleficiorum, qui super accusatione cognoscit, & dixerit se esse in concordia de dicto debito cum debitore suo, tunc possit talis persona accusata euadere pœnam prędictam. Et hoc casu accusatio ipsa sine aliqua solemnitate, vel absolutione canceletur & inducatur, & iuxta ipsam scribatur causa, quare cancelatus est, &

cancelari debeat talis accusatio sine aliqua pœna quandocunq; creditor voluerit accusationem ipsā cancelari debere ante sentētiam, & vlterius super ipsa accusatione procedi non possit. Et si intrauerit carceres communis Paduæ, debeat ad voluntatem ipsius creditoris ante sententiam relaxari, & non aliter, nisi soluat, saluo semper beneficio cessionis bonorum ei, qui carceres intrauerit. Et quod supradictum est de denunciatione, & pęna non habeant locum contra fideiussorem, nisi in casu, quando principalis iam carceratus cessisset bonis, vel quādo confideiussor soluisset debitū, & denunciare confideiussori modo prædicto, tunc confideiussor detineri possit. Et appellatione creditoris intelligatur quilibet, qui aliū habet seu habebit ex aliqua causa obligatū. Et appellatione debitoris intelligatur quilibet, qui obligatus est, vel erit alicui ex aliqua causa, & hæres eius, cūmodo prædictæ personæ sint in casu, quo possint detineri ex forma statutorum Paduæ. Et beneficiū huius statuti competat illis tantum, qui sint habitatores ciuitatis Paduæ, vel districtus; & sustineant onera, & factiones ciuitatis Paduæ, vel districtus, & sint subiecti temporali iurisdictioni domini potestatis, & communis Paduæ, & qui in criminalibus subijciuntur statutis communis Paduæ, alijs autem non competat beneficium huius statuti, nec habentibus iura cessa ab eis. Et nihilominus debitor quilibet, non obstantibus, quæ in præsenti statuto continentur, possit semper, & in omni casu detineri, cum erit in

casu

casu detentionis secundum formam statutorum communis Paduæ.

CEdula quælibet, quæ fiet ad detinendum aliquem pro debito ad petitionem alicuius personæ, debeat registrari in actis notarij de medio, & debeat habere signum, & nomen notarij, qui illam scripsit, ac debeat esse subscripta manu iudicis, qui illam cõmisit. Saluo quod si potestas Paduæ commisisset ipsam, tunc sufficiat, ꝙ si manu eius vicarij subscripta, & debeat etiam esse subscripta quęlibet cedula ad detinendũ manu vnius alterius notarij, qui tunc in palatio Paduæ officium exerceat. Et debeat continere cedula ipsa annum, inditionem, mensem, & diem commissionis, & nomen iudicis committentis, & nomen ac prænomen, tam creditoris, quam debitoris cum nominibus, & prænominibus patris sui, & locis originis, & habitationis suæ, & quantitatem debiti, & causa propter quam extat casus detentionis secundum forma statutorũ Paduæ, ac nomen, & prænomen præconis, cui executio talis capiendi commissa est. Et duret quælibet cedula commissa, & facta ad detinendum per totum illud tempus, quo notarius, qui ipsam scripsit, manebit in officio ad discum illum.

ALiquis, qui habitet in ciuitate Paduæ, vel suburbijs, vel qui habitet in aliquo castro Paduani districtus, non possit pro aliquo debito generali, idest priuatorum, detineri modo aliquo in ecclesia, vel in domo suæ habitationis, & appellatione domus intelligatur etiam porticus domus suæ habitationis

bitationis propriæ, & ſtatio vbi ſtata ad laborandum. Et quilibet, qui contrafecerit puniatur in libris centum. Et nihilominus detentio non valeat. Nec interdici poſſit modo prędicto detentus, & præco, qui non ſoluit dictam pœnam, fuſtigetur ter circa palatium, & ab officio pręconatus ſit priuatus. Ruſtici vero habitantes in villis extra ciuitatem, & ſuburbia Paduæ, ſeu extra caſtra Paduani diſtrictus, qui liberiorem fugiendi poteſtatem habent, & in locis apertiſſimis habitant, poſſint impune, & licite capi, & detineri, etiam in curtiuis, & domibus habitationis eorum, & in quocunque loco. Saluo quod in eccleſia, quæ debet eſſe cuilibet receptaculum, & refugium tutiſſimum. Et ſi ruſticus talis captus fuerit in aliqua eccleſia, non valeat detẽtio eius, & relaxetur ipſo facto. Et nihilominus puniatur, qui detinuit ipſum in eccleſia in libris centum vt dictum eſt.

DEtentus aliquis, qui ſtetit carceratus in carceribus cõmunis Paduæ per vnam diẽ, vel vltra, non poſſit interdici in carceribus ad petitionem alicuius alterius perſonæ de commiſſione alicuius iudicis, ſaluo quam de commiſſione illius iudicis, de cuius commiſſione detentus eſt.

NOn poſſit aliquis pro debito detentus, vel carceratus impedire commiſſionem, vel detentionem, neque debeat modo aliquo relaxari, niſi ſoluat debitum, pro quo fuerit detentus, vel carceratus, etiam ſi voluerit ſatiſdare, vel deponere pecuniam, pro qua carceratus eſſet, niſi iurauerit, &

ex-

expresserit causam, vel exceptionem legitimam, propter quam non teneatur debitum soluere, vel detineri nō posse. Quo casu si deposuerit debitum, pro quo detentus erat cum expensis legitimis ad arbitrium iudicis, possit, & debeat relaxari, etiam absente, & non citato creditore. Et possit fieri talis relaxatio qualibet die etiam non iuridica, & etiam qualibet die solemni. Et casu isto non possit pecunia deposita aliqualiter interdici, vel imbrigari ad alicuius petitionem. Et si relaxatus modo prædicto non probauerit exceptionem per eum propositam modo prædicto, condemnetur creditori in duplo expensarum. Et pecunia deposita cum dictis expensis detur creditori. Si vero captus, & allegans aliquas defensiones legitimas, propter quas dicat se relaxandum esse, & pecuniā deponere non voluerit, tunc etiam nulla depositione pecuniæ facta, dumtamen ipse maneat in carceribus, audiatur in iure suo quolibet tempore etiam solemni. Et si legitime probauerit causam, qua detineri de iure non debuit, vel nō potuit, tunc relaxetur. Si autē non probauerit, cōdemnetur parti in duplum expensarum, & de carceribus non relaxetur, donec debitum cum dictis expensis soluat. Saluo semper statuto B. Antonii, cui modo aliquo derogari non possit. Et super omnibus, & singulis prædictis procedatur summarie, breuiter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, & omni solēnitate iuris omissa.

QVicunque fecerit aliquem detineri pro debito aliquo, quod reuera habere nō debeat, vel

pro maiori quãtitate, quam reuera habere debeat, vel pro aliqua causa, propter quam non extet casus detentionis ex forma statutorum Paduæ, condemnetur in libris quinquaginta paruorum, cuius banni medietas sit communis, & altera detenti. Et nihilominus detentus ille relaxetur sine aliqua expensa, & nõ possit capi etiam ex legitima causa ad petitionem illius creditoris vsque ad menses duos.

QVicunque pro debito non voluerit esse detentus, seu recusauerit detineri per nuncios communis ad hoc missos de voluntate domini potestatis, vel iudicis, aut alicuius officialis sui, vel communis Padue, componat communi Paduæ si fuerit ciuis Paduæ solidos 60. Si fuerit rusticus solidos 40 & credatur præconi hoc, qui retulit. Et quilibet præco teneatur illud referre infra tertiam diem, ex quo contigerit, alioquin incidat in pœnam, quam detinendus soluere debuisset, & ad pœnam hanc non teneatur debitor, si infra tertiam diem post accusationem satisfecerit creditori. Et hoc probari possit ex testimonio creditoris, vel aliis modis ad probandum de iure concessis, saluo iure statutorum.

NVllus audeat præconibus communis Paduæ, vel familię domini potestatis, vel alicui alteri personæ, quæ aliquem cæperit conducendum in forciam communis Paduæ, accipere aliquem, vel aliquos detentum, seu detentos, aut facere fugere de manibus capientium, vel dare auxilium, aut fauorem ad prædicta in pœnam librarum centum

par-

paruorum, si fuerit captus quis pro debito singularium personarum, & soluēdi debitum pro quo captus, seu capiendus erat. Si vero fuerit pro debito cōmunis Paduę, vel pro cōdemnatione pecuniaria cōmunis tunc sit pęna soluendi debitū, vel cōdemtionem communi, & vlterius arbitrio potestatis. Si vero pro debito, vel maleficio nondum facta condēnatione captus fuerit, tunc puniatur in libris ducentis paruorum, vel corporaliter arbitrio D. Potestatis puniatur, & hoc habeat locum in præsentibus, & futuris. In aliis vero casibus in statuto non comprehensis, condemnetur arbitrio potestatis, & suæ curiæ, inspecta qualitate personarum, & facti.

MVlieres qualitercunque se obligauerint, non possint capi, vel detineri, nec in carceribus poni, sed bona earum sint principaliter obligata creditoribus; Locū tamen præsens statutū non habeat in debitis communis, neque locum habeat in mulieribus publice mercantiam exercentibus, & publice vendentibus, & contrahentibus in debitis contractis occasione dictæ mercantiæ, dumtamen mulieres ipsæ non habeant viros.

NVlla mulier possit carcerari, vel teneri detenta, seu carcerata in palatio communis Paduę vel in domo potestatis, seu in carceribus communis Paduæ si voluerit se facere custodiri suis expensis sub fida custodia in alio tuto, & honesto loco in ciuitate Paduæ, vbi sint monachæ, vel alibi vbi voluerit custodiri suis expensis, sub pœna librarum ducentarum auferenda cuilibet contrafacienti.

facienti. Et nulla mulier possit detineri, vel eidem præcipi quod non recedat de certo loco per aliquē officialem D. Potestatis absq; licentia D. Potestatis. Et quicunq; cōtrafecerit, puniatur ad standum in carceribus octo dierum, & vltra puniatur contrafaciens pecunialiter arbitrio D. Potestatis. Si vero pro maleficio, vel alia causa mulier aliqua in carceribus poneretur, tunc capitaneus carcerum non ponat eam in eodem carcere cum viris, sed ponat fœminas detentas in alio carcere per se.

ALiqua persona de Padua, vel Paduano districtu non posit se obligare ad capiendum personaliter in aliquo contractu; & si se obligauerit, non valeat, nec teneat obligatio, nec propter illud capi, vel detineri possit. Et huic statuto renunciari non posit, vel modo aliquo per pactum, vel iuramentum remitti. Non possit aliquis, qui sit pupillus, vel furiosus, vel mentecaptus capi.

NOn posit aliquis capi diebus prohibitis secundum formam statuti, quod incipit. Non possit aliquis, & statuti sequētis ibi quod incipit. Tempore nundinarum, quæ duo statuta sunt posita supra sub rubrica de feriis.

Carceratos visitare debeant aduocatus, & procurator pauperum, & elemosinas inter eos distribuere, & sibi prouidere secundum formam statuti loquentis de prædictis, sub rubrica de Caussis miserabilium personarum.

DEbitores fugitiui intelligātur esse, & sint ipso facto in casu detentionis, & relaxari non debeant

beant, nisi secundum formam statutorum positorum infra sub rubrica xiij.de Fugitiuis.

AD hoc, vt tollatur occasio tabernarijs de villa, ne teneant ludũ, & obuietur lusoribus, & fraudibus eorum, non possit, nec debeat aliquis capi, vel detineri vigore alicuius contractus facti in personam alicuius tabernarij de villa, seu vxoris, vel alicuius filiorum eius, aut fratris, vel sororis, vel alterius habitantis cum eo, aut vigore alicuius cõtractus cessionis bonorum quæ aliquis ex prædictis acquisiuisset, statuto aliquo non obstante.

ALiquis occasione ludi vetiti faciendi in nundinis quibuscunque in Paduano districtu non possit personaliter detineri.

Potest. D.Vberto de Cancelerijs de Pistorio 1316.

NVllus audeat præconibus communis Paduæ, vel familię domini potestatis, vel alicui alteri personæ, quæ aliquem ceperit conducendum in forciam communis Paduæ, accipere aliquem, vel aliquos detentum, seu detentos, aut facere fugere de manibus capientium, vel dare auxilium, vel fauorem ad prædicta in pœnam librarum centum paruorum, si captus fuerit quis pro debito singularium personarum, & soluendi debitum pro eo, qui captus, seu capiendus erat. Si vero fuerit pro debito communis paduæ, vel pro aliqua condemnatione pecuniaria communis, tunc sit pœna soluendi debitum, vel condemnationem communi, & vlterius arbitrio potestatis. Si vero pro delicto, vel

maleficio nondũ facta condemnatione captus fuerit, tunc condemnetur in libris 200. paruorum, vel corporaliter arbitrio domini Potestatis puniatur. Et hoc habeat locum in præcedentibus, & futuris, in alijs vero casibus in statuto non comprehensis condemnetur arbitrio potestatis, & suæ curiæ, inspecta qualitate personarum, & facti.

DE CESSIONE BONORVM, RVBRICA.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. Ad postulationem venerabilis Fratris B. Antonij Confessoris de ordine Fratrum Minorum. Statutum, & ordinatum fuit, quod nullus de cætero tam debitor, quã fideiussor pro aliquo debito siue debitis pecuniarijs tam præteritis, quã futuris, teneatur in carceribus, si voluerit renunciare bonis suis. Et si renunciare, siue cedere voluerit bonis suis, faciat hoc modo, scilicet, quod depositis omnibus vestimẽtis, & calciamentis, infula, & capelo, exceptis camisia, & sarrabula in publica concione, vel in maiori palatio, vel consilio centum hominibus præsentibus ad minus per tres vices super quadrum, quod altum tribus pedibus ponatur, & sit in maiori sala palatij, & cũ natibus super eo percutiat dicendo ter alta voce. Cedo bonis, intelligendo ꝙ ex hac cessione etiam fruges feudorum refutentur, & fruges feudorum sine aliqua dilatione dentur creditoribus in solutũ, saluo

saluo iure dominis & cohæredibus. Et si aliqua renūciatio, vel cessio, vel alienatio facta fuerit in fraudem a debitoribus, vel fideiussoribus, q̄ ipsa renunciatio, vel cessio non valeat, nec teneat, nec creditoribus præiudicet. Et si ipsa fraus non poterit ostendi esse facta in fraudem, q̄ sit in arbitrio potestatis. Facta vero cessione pręcipiatur ei, qui cessit per potestatem, vel per vnum ex iudicibus eius, vt non veniat in ciuitate Paduæ, & suburbijs. Et si postea venerit & captus fuerit in ciuitate, vel suburbijs (nisi incontinenti concordauerit se cum creditoribus suis) depositis vestimentis, excepta camisia & sarrabula, tres situlæ aquæ voluantur supra eum sedentem supra lapidem prædictum. Et sic debeat fieri quoties captus fuerit, & componat communi Paduæ solidos centum, & omnia vestimenta dentur creditoribus, excepta sarrabula, & camisia Et postquam aliquis cesserit bonis, nō debeat portare arma, neque mātelum, cirosnam, capam, vel guascapam valentem vltra solidos septē pro quolibet. Et quoticscunque creditores eius inuenerint vltra quam dictū est, possint ei accipere sine nūcio potestatis. Nec possit, nec debeat habere aliquod officium ordinarium, vel extraordinarium, vel aliquod ciuile munus, saluo q̄ si fuerit in concordia cū suis creditoribus, quod dicta cessio nō faciat ei aliquod præiudicium in honoribus & officijs communis Paduæ, ita quod eos & ea habere possit, sicut alii ciues. Et de illis, qui cedant bonis, fiant duo libri, nomina quorum in eis scribantur,

de quibus libris vnus ſtet apud notarios aquilæ, & alter in cancelaria communis Paduæ. Et iſtud ſtatutum circa ceſſionẽ bonorum loquens, non poſſit cõmutari, vel minui, ſeu auferri in perpetuum per ſtacionem, vel per conſilium, vel per mutatores ſtatutorum aliquo modo, vel ingenio. Et ſi iſtud ſtatutum non ſemper reperiretur in ſtatuto, & oſtenderent inſtrumenta huius tenoris facta per Patauinum notarium de Zamboneto, tunc notarius ſig illi, quod poteſtas nihilominus obſeruare teneatur, & in ſtatuto poni facere ſecundum formam inſtrumenti, & ſit præciſum.

Statuimus, quod aliquis cõdemnatus, vel obligatus communi immedite ex obligatione cum commune facta, non poſſit cedere bonis, nec beneficium ceſſionis in eis vendicet ſibi locum.

Statuimus & ordinamus, quod illi, qui ceſſerunt, vel de cętero cedent bonis ſuis, non poſſint, nec debeant ſtare in villis, vbi creditores ipſi, vel vxores, aut filii eorum, vel nurus eorum habebunt poſſeſſiones, nec penes illam villam per 5. milliaria, ſtatuto aliquo non obſtante, & hoc in pęna librarum x. Et commune illius villæ teneatur poſtquã denunciatum illæ villæ per creditorem fuerit, expellere ipſos in pœna prædicta vſque ad tres dies, niſi fuerint in concordia cum ſuis creditoribus.

DE FVGITIVIS. RVBRICA.

Debitor aliquis alicuius aufugere de Padua, ſeu Paduano diſtrictu pro debitis de cætero non de-

debeat. Et quandocunq; erit aliqualis fama, & notitia aliquem aufugisse propter debita, fiant proclamationes super schalis omnibus palatij, in quo ius redditur, & ad Garzariam artis lanæ, & super plateis herbarum & bladi, & in plateis Sancti Clementis, & ad domum solitæ habitationis suæ, notificando publice & clara atque alta voce præconis, sono tubetæ præmisso talem aufugisse, et præcipiendo ꝙ quicunque habens, vel sciens aliquem habere modo aliquo de bonis talis fugitiui, debeat denunciare iudici Aquilæ vsque ad octo dies, computandos à die factæ proclamationis sub pœna in statutis contenta. Et ad petitionē cuiuslibet creditoris sui, teneatur & debeat iudex Aquilæ committere, & fieri facere dictas proclamationes. Et intelligatur quilibet debitor fugitiuus, qui nō possideat bona sufficiētia ad debita sua soluenda in Padua, vel Paduano districtu, & ita recesserit ꝙ publica fama sit ipsum aufugisse pro debitis suis, & super hoc credatur iuramēto cuiuslibet creditoris sui, & trium testium fide dignorum dicentium se vidisse, vel audiuisse publice dici, ꝙ ipse talis debitor aufugit propter debita sua. Et factis proclamationibus prædictis bona quæcunque talis fugitiui, vbicunque in Padua vel Paduano districtu existentia, describantur, & transferantur, atque translata esse intelligantur ad custodiam, & gubernationem omnium creditorum ipsius fugitiui, & per ipsum iudicem constituantur vnum vel plures curatores dictis bonis ex creditoribus, vel ex alijs prout ipsi

creditores, vel maior pars eorum erunt simul in concordia. Et durante termino dictarum proclamationem, teneatur & debeat quilibet habens, vel sciens aliquem habere de bonis talis fugitiui denũciare dicto iudici Aquilæ, quod habet ipse penes se, vel scit ipse aliquem habere de bonis ipsius fugitiui, declarando qualitatem, & quantitatem bonorum ipsorum. Et quicunq; infra terminum dictarum proclamationum non denunciauerit (vt dictũ est) condemnetur elapso dicto termino hoc modo videlicet, quod qui occultauerit, vel operam occultandi scienter dederit, cõdemnetur ad standum in carceribus communis Paduæ per vnũ mensem, & ad soluendum solidos x. paruorum pro qualibet libra valoris rei occultæ & non manifestatæ. Ille vero, qui sciuerit aliquem occultare, puniatur, si non manifestauerit, in solidis 2. pro qualibet libra valoris illius rei, quam occultari per aliquem sciuerit, & non manifestauerit. Et talium pęnarũ tertia pars sit communis, tertia denuncianti detur, & alia tertia creditoribus applicetur, & dicta pęna intelligatur commissa pro quolibet cap. non obseruato. Et nihilominus talis occultãs teneatur ad restitutionẽ rei occultatæ, & tẽpore debito nõ manifestatæ.

OMnis venditio, & alienatio bonorum suorum quæ reperiretur facta mala fide contrahentis cum debitore etiam ante fugam eius, intelligatur esse facta in fraudem creditorum, & non valeat, neque teneat in præiudicium creditorum. Et hoc casu emptor quicunque, qui mala fide emerit, vel

aliquo

aliquo titulo, ſeu cauſa male fide acceperit, & habuerit aliquid de bonis talis fugitiui, teneatur infra terminum proclamationis manifeſtare, & reſtituere, & creditoribus conſignare rem ipſam, quam haberet, & perdat pretium ſi ſoluiſſet. Si verò pretium non ſoluiſſet, ſed aliquid pignoris nomine, vel titulo aliquo mala fide accepiſſet, teneatur ſine aliqua exceptione reſtituere rem ipſam creditoribus. Et nihilominus ſoluat pro pœna ſolidos decem, pro qualibet libra valoris rei, quam mala fide taliter accepiſſet, & non manifeſtaſſet.

FVgitiuus autem factis proclamationibus prædictis, & non ante, intelligatur eſſe, & ipſo iure ſit infamis, & priuatus omni priuilegio, commodo, & honore, & gaudere non poſſit aliquo beneficio ſtante communis Paduę, & ſubiaceat omnibus, & ſingulis pœnis, & bannis, quibus forbanniti ſubiecti ſunt, tanquam ſi nominatim ſcriptus eſset in libro forbannitorum. Et non poſſit diſtrahere, ſeu alienare, vel modo aliquo obligare aliqua ſua bona immobilia, vel mobilia, aut iura, vel res ſuas aliquas; & non poſſit aliquid aliud facere, quod ſit in præiudicium creditorum ſuorum. Et ſi contrà fecerit, non valeat, nec teneat iure aliquo, vel modo, niſi prius ſatisfecerit creditoribus ſuis, vel fuerit cum eis in concordia.

DEbitor quilibet fugitiuus, intelligendo quantum ad hoc ſpecialiter tam de præteritis, quā de pręſentibus, & futuris, intelligatur eſse, & ſit ipſo iure & facto in caſu detentionis, etiam ſi nulla

(vt præmittitur) proclamatio, & nulla descriptio bonorum facta, & nullus datus curator bonis suis esset. Sed eo ipso q; est fugitiuus, si aliquo tempore sine saluo conductu, vel sine expresso consensu creditorum suorum de cætero veniet in Paduã vel Paduanũ districtũ, possit capi, & carcerari ad petitionem cuiuslibet creditoris sui, & relaxari de carceribus nullo modo debeat, nisi aut integre debita eius soluat, aut sit in concordia cum creditore suo vno vel pluribus, ad cuius, seu quorum petitionem detentus, vel interdictus esset.

DOminus potestas Paduæ ex officio suo) etiam nullis requisitis creditoribus] possit affidare omnes, & singulos debitores fugitiuos, & saluum conductum facere cuilibet debitori fugitiuo sub termino vnius mensis, vel duorum etiam mẽsium & plus si voluerit. Et ut debitor ille fugitiuus tute Paduam & in Paduano districtu reuerti, & morari possit, & concordiam tractare, & pacisci cum creditoribus suis, ita tamen q; prius dati sint) vt dictum est supra) curatores bonis suis, & q; facta sit descriptio & inuentarium bonorum eius integre, & q; consignata sint bona ipsa penes curatorem, seu curatores datos. Pendente vero saluo conductu possit debitor ille venire, secure morari, & recedere pro eius libera voluntate, & tractare cõcordiam & pacta cum creditoribus suis. Et non possit interim ipse debitor habens saluum conductum carcerari vel detineri ad instantiam creditorum suorum, seu alicuius eorum, dumtamen durante

termino salui conducti nihil à debitoribus suis exigat, aut contrahat, vel distrahat, vel aliquid faciat, quod esset in præiudicium creditorum suorum.

NOn debeat, neq; possit dominus potestas Paduæ, seu aliquis eius ius dicens, vel officialis in Padua, vel in Paduano districtu constitutus contra voluntatem alicuius creditorũ sententiare, aut pactum, vel terminum aliquem facere alicui debitori fugitiuo, aut modo aliquo impedire, ꝙ aliquis creditor finito termino salui conducti non consequatur ius suum contra debitorem suum fugitiuum, nisi quantum, & prout sponte, & expresse consentiant, & pacti erunt ipsius fugitiui creditores omnes, vel ex quatuor ad minus tres partes eorũ. habito semper respectu ad quantitatem denariorum, qui re vera debentur, & non ad quantitatem personarum habere debentium.

CReditor quilibet volens facere pactum debitori suo fugitiuo debeat comparere coram D. Potestate Paduæ, vel vicario suo, & dicere ac scribi facere ad discum sigilli, qualiter talis fugitiuus est debitor suus in tanta quantitate, & quod est cõtentus facere sibi pacta, & terminos tales ad soluẽdum. Et prout creditores omnes, vel ex quatuor saltim tres partes ipsorum attẽta quantitate debiti & non personarum, erunt in cõcordia, & sponte facere volent, ita per dominum potestatem, seu vicarium eius pronunciet, citatis tamen illis creditoribus, qui ad hoc non consentirent, & liquidatis debitis secundum formam præsentium statutorum,

rum: Ita quod non admittatur aliquis, qui verus creditor non sit.

AD fraudem euitãdam, ne quis dicat se creditorem, qui non sit, statuimus ꝙ quantum in hoc casu fugitiuorum nõ intelligatur aliquis esse verus creditor ad pacta facienda in prȩiudicium aliorum creditorum nisi ille, qui asserit se creditorem, compareat per se, vel legitimum procuratorem coram domino potestate ad discum sigilli, & probet sȩ legitime creditorem verum in quantitate certa esse. Et hoc casu non stetur alicui confessioni factæ per debitorem, nisi factȩ sit cõfessio illa saltem per vnũ mensem antequã ille debitor aufugerit, vel nisi alia legitima ꝓbatione ille, q asserit se creditorẽ ꝓbet, se verũ creditorẽ esse. Et quicũq; de cætero dixerit, & legitime ꝓbauerit se creditorem fugitiui esse, teneatur etiã corporaliter iurare se esse bona fide verũ creditorẽ talis fugitiui in tanta quãtitate, exprimẽdo certã quantitatẽ, & causã, qua debet habere, & ꝙ illud pactũ facit, seu pactis factis per alios creditores consentit bona fide, pure, simpliciter, & nõ animo decipiendi alios creditores, sed solum vt attenta paupertate debitoris sui sic paciscẽdo, & per terminos expectando, consequatur aliquando debitum suũ. Et ꝙ nullum aliud pactum, conuentionem, vel spem certam habet, aut habere intendit cum ipso debitore, aut cum aliquo alio eius nomine, vel precibus interueniẽte. Et si creditor aliquis in forma prædicta non iurauerit, nõ habeatur pro vero creditore, etiam si aliter se creditorem verũ

esse

esse legitime probasset. Ille verò qui legitime probauerit, & iurauerit (vt dictum est). si fuerit bonæ famæ, admittatur tanquam verus creditor pro ea quantitate, quam probauerit, & iurauerit se habere debere, & prosit confessio, & pactum eius debitori, & fugitiuo pro rata sua in preiudicium aliorum creditorum, qui pactis non consentirent.

Liquidatis debitis legitime modo suprascripto, possit dominus potestas, seu vicarius eius ad instantiam ipsius debitoris, vel procuratoris sui legitimi, seu cuiuslibet creditorum suoru ad hoc consentientiu pronunciare, & declarare, q pacta illa, quæ creditores ipsi veri omnes, vel ex quatuor saltem tres partes ipsorum sponte, & expresse fecerint, sint valida, & obseruari debeât etiam per creditores, qui ad ea non consentirent. Et facta dicta pronunciatione debitor ille intelligatur, & sit ipso iure seu facto restitutus ad quæcunq; priuilegia, honorem, famam, & cōmoda statutorū communis Paduæ, quibus priuatus erat (vt supra) tanquā infamis, & forbannitus. Et nō possit talis debitor exinde molestari, neq; modo aliquo cogi ad soluendum alicui creditorū suorum, nisi secundū pacta illa, quę modo sibi prædicto facta erunt. Et hoc casu nullus creditorum suorum etiam qui non consentiret, audiatur contra prædicta in iure. Si autē seruata forma prædicta non esset, tunc & eo casu creditor aliquis non debeat, neq; possit modo aliquo cogi facere alicui debitori suo fugitiuo aliquem terminū, pactum, vel conuentionem, aut stare alicui termi-

no

no vel pacto facto per aliquos creditores, aut stare, seu parere alicui sententiæ, pronunciationi, vel præcepto facto etiam per D. Potestatem Paduæ, vel per alium ius dicentem in ciuitate Paduæ, vel alibi in fauorem debitoris sui fugitiui.

DEbitor quilibet, qui modo suprascripto legitime pacta habuerit, teneatur, & debeat obseruare pacta ipsa, & soluere debitis terminis cuilibet creditori suo ratam sibi debitam. Et si ad aliquem terminorum declaratorum in pronũcia ratas suas debitor nõ soluerit, vel si pacta ipsa in aliquo non obseruauerit, tunc & eo casu intelligatur esse, & sit in casu detentionis, statuto aliquo non obstante. Et possit iuris remediis realiter, & personaliter cõpelli, & carcerari ad petitionem cuiuslibet creditoris sui, cui secundum formam pactorum, & pronunciẹ satisfactum non esset, & carceratus non debeat relaxari, nisi prius soluat, & integræ satisfaciat creditori suo de toto debito, seu de parte debiti, quam dare restaret.

SI aliquo tempore appareret aliquem contra veritatem dixisse, & probasse se creditorẽ alicuius fugitiui in aliquo, vel maiori quantitate, quàm esset illa, quã re vera deberet habere, aut pacta alia occulte, aut publice fecisse in fraudẽ aliorum creditorum, tunc & quolibet istorũ casuum debitor, & creditor puniatur hoc modo videlicet, quod creditor ille, qui pacta illa occulte, aut publice in fraudem aliorum creditorum fecisset, aut qui contra veritatem probasset, & iurasset se creditorẽ in ali-

qua,

qua, vel maiori quãtitate, quàm deberet secundum bonam, & puram veritatem habere, puniatur tanquam periurus, & cadat ab omni iure suo, quod haberet contra debitorē illũ. Ita quod debitor ille nihil soluere teneatur illi, vel sibi, nullis obstãtibus promissionibus, iuramentis, obligationibus inter ipsos, vel alios cum voluntate, & sententia ipsorũ factis. Et nihilominus creditor talis condemnetur in solidis decem pro qualibet libra debiti sui in iuramento eius, seu in pronũcia declarati. Cuius pęnæ tertia pars sit communis, tertia denunciãtis, & quilibet denunciare possit, & teneatur in credẽtia, & alia tertia pars pęnæ sit creditorum, & inter ipsos æqualiter diuidatur secundum ratam denariorum, quos quisque debet habere. Debitor vero, qui falsum creditorem induxit, seu pacta illa occulte, aut publice cum aliquo creditore, per se vel aliam interpositã personam fecit, cadat ipso iure, & cecidisse intelligatur ab omni beneficio pactorum sibi factorum, ita quod quandocunque ad instantiam cuiuslibet creditorum eius posit debitor ille realiter, & personaliter conueniri, & cõpelli ad integram solutionem totius debiti, nullis obstãtibus pactis, & pronũcijs in eius fauore factis. Saluo tamē, quod si debitor ipse manifestaret fraudē ipsam factã, tunc & casu isto debitum totum illud, quod debebat dare tali creditori suo, intelligatur, & sit ipso facto remissum, & donatũ libere ipsi debitori, & ab illo creditore suo sit liber, & absolutus. Et hoc casu videlicet quando debitor manifestat fraudem

dem ipſam, remaneant firma, & valida quęcunque pacta, & pronuncię factæ in eius fauorem. Ita quod non poſſit per alios creditores, niſi ſecundum formā pronunciæ ad terminos ſuos moleſtari. Et lucretur talis debitor fraudem manifeſtans tertiam partem pœnę, quæ (vt ſupra) denuncianti debetur. Si verò fraus aliquo caſu prędictorũ facta denunciatione per aliquem alium manifeſtaretur, tũc & eo caſu ſtatuimus, quod omnis cõuentio, pronũcia, & iudicialis terminatio facta in fauorem ipſius debitoris, & creditoris præiudiciũ aſpiciant, ita quod creditor cadat à iure ſuo, & puniatur vt dictum eſt ſupra. Et debitor cadat ab omni beneficio pactorum, & pronunciæ, & poſſit ex tunc quandocunq; ap petitionem aliorum creditorum, ſeu cuiuslibet eorũ realiter, & perſonaliter (vt dictum eſt) conueniri, & compelli ad integram ſolutionem. Et quod debitum illud, quod tali creditori ſuo ſecundu formam pronũciæ debuiſſet, exigatur, & exigi poſſit inconuenienti ab ipſo debitore, & ſimul cum pęna illius periurij diuidatur in tres partes, quarum vna ſit communis, altera denunciantis, tertia vero pars ſit creditorum, in quorum præiudicium fraus illa commiſſa erat, & inter ipſos æqualiter pro rata debiti ſui diuidatur. Et in aliquo caſu ſtatutorum loquentium de fugitiuis, non intelligatur eſſe derogatum ſtatuto B. Antonii confeſſoris loquenti de ceſſione bonorum.

MVlier quælibet vxor debitoris fugitiui habẽs meliora, & potiora iura, poſſit vendicare dotem

tem suam,& bona quæcunque vendicata tenere, si voluerit remanere, & non sequi maritum suum. Si vero voluerit recedere de Padua, & Paduano districtu, & sequi maritum suum, tunc,& eo casu bona quęcunq; spectantia ad ipsam vigore dotis suæ, vel alia quauis ratione,deponi debeant,& cōsignari penes aliquam idoneam personam ad instātiam creditorū mariti sui,ita ꝙ ipsa exportare, vel alienare, vel dissipare non possit. Et nunquam restituatur,dum steterit extra Paduanum districtum,nisi maritus suus aut moriatur, aut paciscatur reuertendo cum creditoribus suis. Hoc tamen saluo, quod ipsa mulier siue remanserit in Padua, vel paduano districtu, siue recesserit, & sequuta fuerit maritum suum, possit petere, & debeat habere vsusfructus prouenientes ex talibus bonis necessarios pro alimentis vitæ suæ tantum decenter arbitrio potestatis, attenta qualitate personæ suæ. Et hoc si vsusfructus prouenientes ex dictis bonis erunt sufficientes ad præstandum sibi alimenta conuenientia. Et si vsusfructus ipsi non essent sufficientes pro alimentis suis, tunc debeat quicquid ex vsufructu ipsorum bonorum percipitur. Si verò bona tanta essent,quòd ex vsufructu superabundaret aliquid detracto vsufructu debito mulieri pro alimentis vitæ suæ, & tunc eo casu illud, quod superfuerit tanquam res marito suo spectās, detur creditoribus mariti sui, & inter ipsos æqualiter diuidatur, attenta quantitate debiti cuiuslibet creditoris. Et tales vsusfructus ponantur ad ratio-

nem

nem mariti sui, & de suis debitis trahantur quousq; vixerit maritus suus, aut non fuerit in concordia cum creditoribus suis.

STatuta omnia contenta sub rubrica presenti de fugitiuis locum habeant in fauorem cuiuslibet creditoris, & in odium cuiuscunque debitoris fugitiui, intelligendo tam de præteritis, quam de præsentibus, & futuris. Firma tamen remaneat pacta, quæ iam facta sunt debitoribus fugitiuis. Et statutis sub hac rubrica contentis, vel alicui eorum renunciari non possit, neque per pactum, aut iuramentum modo aliquo remitti, & sit præcisum.

DE SOLVTIONIBVS INSTRVMENTORVM. RVBRICA.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno. 1420.

QVia dignum est, quod quisq; laboris sui fructum sentiat, ideo statuimus quod notarij rogati possint petere, & accipere solutionē, quæ etiam prout, & secundum qualitatem infra declarata, & taxata est. Et quod notarius quilibet debeat, & teneatur esse contentus taxatione infrascripta.

PRo instrumento finis, seu remissionis, soccedę, aut societatis, depositi, seu cessionis, vel alterius debiti, quod sit à libris vigintiquinque infra, possit notarius accipere pro abreuiādo solidos quatuor.

solidos

Item pro reducendo in publicam formam solidos octo. Si vero fuerit debitum a libris 25. supra vsque ad quinquaginta, tunc possit notarius accipere pro abreuiando solidos sex, & pro reducendo in publicam formam solidos 12. Si autem debitum fuerit à libris quinquaginta supra vsque ad libras centum, tunc possit accipere notarius pro abreuiando solilidos octo, & pro reducendo in publicam formam solidos 16. Verum si debitum esset à libris centum supra quantacunque quantitas fuerit, possit notarius accipere pro abreuiando solidos octo pro primo centenario, & abinde supra pro quolibet centenario solidos duos, dummodo non excedat summam pro abreuiando viginti solidorum. Item pro reducendo in publicam formam solidos sexdecim pro primo centenario, & abinde supra pro quolibet centenario solidos quatuor, dummodo non excedat summam ducatorum quatuor quantacunque fuerit summa, seu quantitas in totum, & pro omnibus & singulis contentis in ipso instrumento. Et prædicta, quæ de instrumento debiti dicta sunt, locum habeant, quando sit celebratus contractus extra iudicium. Si autem debitor corã iudice, vel notario officium exercente fuerit sponte confessus debitum, tunc notarius non possit accipere vltra taxationem de hoc factam & declaratam infra sub rubrica sequenti, quæ de solutionibus actorum iudicialium inscribitur.

PRo instrumento emptionis, seu venditionis, diuisionis, permutationis, & cuiuscunque alie-

X nationis

nationis,transactionis,donationis, dotis,seu feudi, & pro omnibus & singulis contentis in ipso instrumento. Si res vel pecunia in instrumento deducta fuerit pretij, seu quantitatis librarum centum, vel abinde infra,possit notarius accipere pro abreuiãdo solidos decem. Item pro reducendo in publicã formam pro quolibet instrumento solidos viginti. Si autem quantitas erit a libris centum supra,tunc possit accipere pro abbreuiando solidos x.pro primo centenario,& solidos 3 abinde supra pro quolibet centenario quantacunque fuerit summa, dũmodo pro abbreuiando non accipiat vltra summã vnius ducati. Item pro reducendo in publicam formam posit accipere pro quolibet instrumento solidos 20. pro primo centenario, & abinde supra solidos 5. pro quolibet centenario, dummodo non excedat summam ducatorum octo.

PRo quolibet instrumento laudationis, seu ratificationis,vel apprehensionis possessionis, & huiusmodi factis in eodem instrumento, vel per se diuersis diebus posit notarius accipere tertiũ eius, quod supra declaratũ est de instrumẽto vẽditionis.

PRo instrumento insinuationis si fuerit registratum,& factum in publicam formam,posit notarius accipere duas partes eius, quod supra taxatum est pro instrumento venditionis.

PRo quolibet instrumento compromissi posit notarius accipere solidos decem pro abreuiando Item pro reducendo in publicam formam possit accipere dimidium eius, quod sibi veniret pro

sen-

ſententia arbitrali.

PRo inſtrumento ſententiæ arbitralis, & ſentẽtiæ latæ per iudicem delegatum, & pro actis factis in proceſſibus cauſarum arbitralium, ſeu delegatarum, poſſit notarius accipere ſecũdum quod taxatum eſt pro actis, & ſententiis ordinariis, & ſcriptis per notarium palatii.

PRo quolibet inſtrumento procuræ, ſeu actoriȩ, ſi fuerit ſpecialis ad cauſas tãtum, vel ad vnum negocium tã ũ, poſſit notarius accipere pro abreuiando ſolidos duos. Item pro reducendo in publicam formam ſolidos decem. Si autem fuerit generalis ad cauſas, & ad negocia etiam extra iudicium tunc poſſit notarius accipere pro abreuiando ſolidos quatuor. Item pro reducendo in publicam formam ſolidos 16. pro negocio principali tantum. Item pro quolibet alio negocio in ipſo inſtrumento expreſſe declarato ſolidos 4. Et appellatione vnius negotij intelligimus quodlibet negocium cum dependentibus ſuis, V.G. Si fuerit ad cauſas, quod ſit etiam ad iurandum, probandum, & terminos faciendum, quæ pertinent ad lites. Vel ſi fuerit ad vendendum, quod ſit etiam ad promittendum de euictione & obligandum, ac cætera particulariter faciendum, quæ pertinent ad venditionem, & ſic de aliis. Ita tamen quod notarius non poſſit accipere vltra ſolidos 40. etiam ſi multa capitulatim expreſſa eſſent.

PRo inſtrumento ſindicariæ poſſit notarius rogatus accipere ſolidos octo pro abreuiando.

Item pro reducendo in publicam formam ſolidos 16. Et hoc ſi fuerit ad cauſas tantum, vel ad vnum negocium tantum. Si vero eſſet generalis, vel ſpecialis ad plura, tunc poſsit notarius accipere, vt dictum eſt ſupra de inſtrumento procurationum, dummodo nõ excedat ſummam ſolidorum quadraginta in totum, vt ſupra declaratum eſt.

PRO quolibet inſtrumẽto emancipationis poſſit notarius accipere, ſi data fuerit emancipato in præmium emancipationis res, vel pecunia, quæ ſit quantitatis, vel valoris librarum centum, vel abinde infra pro abreuiando ſolidos 4. Item pro reducendo in publicam formam ſolidos decem. Si autẽ vel pecunia data emancipato erit quantitatis, vel valoris vltra libras centum quantacunque fuerit ſumma vſque ad libras quingentas, poſſit notarius accipere pro abreuiando ſolidos x. Item pro reducendo in publicam formam ſolidos viginti. Si autem fuerit à libris quingentis ſupra vſque ad libras mille, poſsit notarius accipere pro abreuiando ſolidos viginti. Item pro reducendo in publicam formam libras tres. A libris mille ſupra quantucunq; fuerit quantitas, posſit notarius accipere pſo abreuiando ſolidos trigintaduos. Item pro reducendo in publicam formam ſolidos decem pro centenario, dummodo non excedat ſummam decem librarum paruorum.

PRO quolibet inſtrumento manumiſsionis accipere poſsit notarius pro abreuiãdo ſolidos 20. Itẽ pro reducendo in publicam formam ducatũ vnum

PRO

PRO quolibet instrumento repudiationis, seu abstinentiæ hæreditatis, aut repudiationis vel renunciationis alicuius iuris, possit notarius accipere pro abreuiando solidos 4. Item pro reducendo in publicam formam solidos 16.

PRO instrumento liuelli prepetualis posit notarius accipere, si liuellarius reddit pecuniam, vel rem, quæ sit valoris, seu quantitatis librarum 25. paruorum, vel abinde infra pro abreuiando solidos x. Item pro reducendo in publicam formam solidos 20. pro quolibet instrumento. Si autem liuellarius reddit pecuniam, vel rem, quæ sit valoris, vel quantitatis à libris 25. supra vsque ad centum libras, tunc duplicetur solutio, quę supra declarata est. Si autem liuellarius reddit pecuniam, vel rem, quæ libras centum excedat, tūc posit notarius accipere solidos quindecim pro abreuiando. Item pro reducendo in publicam formam ducatum vnū pro quolibet instrumento. Quam solutionem facere teneatur dominus proprietatis pro instrumento suo, & similiter liuellarius pro instrumento suo, ita ꝙ neque dominus, neque liuellarius teneatur soluere notarium, nisi pro instrumento suo, quod notarius sibi in publicam formam dabit.

PRO instrumento locationis, seu affictationis, possit notarius accipere medietatem eius, quod supra taxatum est pro instrumento liuelli.

PRO instrumento inuētarij, & tutelæ similiter posit notarius accipere prout de instrumento venditionis supra declaratum est.

PRo quolibet instrumento testamenti, si hæreditas fuerit librarum centum, vel abinde infra, possit notarius accipere pro abreuiendo solidos duodecim. Item pro reducendo in publicã formam libras tres paruorum. Si vero hæreditas fuerit a libris centum supra vsq; ad quingentas libras, tunc notarius possit accipere pro abreuiando solidos viginti. Item pro reducendo in publicam formam libras quatuor. Si autem hæreditas fuerit à libris quingentis supra vsque ad mille, tunc notarius possit accipere pro abreuiando solidos viginti quatuor. Item pro reducẽdo in publicam formam ducatos duos auri. Verum si hæreditas fuerit a libris mille supra quantacunque fuerit summa, possit notarius accipere pro abreuiãdo solidos triginta duos. Item pro reducendo in publicam formam ducatum vnum pro quolibet milliario, & in ratione milliarij, dummodo talis solutio pro aliquo instrumento testamenti non excedat ducatos x.

PRo quolibet instrumento codicilli, vel alicuius alterius vltimæ voluntatis possit notarius accipere medietatem eius, quod supra taxatum est pro instrumento testamenti.

PRo quolibet instrumento particulæ testamẽti, seu codicilli, vel alicuius vltimæ voluntatis, possit notarius si legatum fuerit de libris vigintiquinque vel abinde infra, accipere solidos decem. Si vero legatum esset vltra libras vigintiquinque vsque ad libras quinquaginta, tunc possit notarius accipere solidos viginti. Si vero legatum erit à lib. quin-

quinquaginta ſupra vſque ad libras centum, tunc poſsit notarius accipere ſolidos 20. Si legatum excedit libras centum vſque ad ducentas, tunc poſſit accipere libras duas. A ducentis vero libris ſupra vſque ad trecentas, poſsit accipere libras tres. A libris vero trecentis, ſupra vſque ad ſexcentas, poſſit notarius accipere libras tres & ſolidos decem. Abinde vero ſupra poſsit notarius accipere ſolidos viginti pro quolibet centenario, dũmodo non excedat ſummam ducatorum duorum.

PRo inſtrumento miſsionis in poſſeſsionem, hæreditatis, vel fideicommiſsi vniuerſalis habeat notarius ſolutionem taxatam arbitrio poteſtatis, ſeu vicarii ſui, vel iudicis de medio, inſpecta qualitate facti, & laboris notarii.

PRo quolibet inſtrumento pacis, ſi condemnatio nulla ſequatur, aut ſi condemnatio, quæ ſequitur, erit librarum viginti quinque paruorum, vel abinde infra, poſsit notarius pro abbreuiando accipere ſolidos quatuor. Item pro reducendo in publicam formam ſolidos ſex. Si vero condemnatio erit à libris 25. ſupra vſque ad 50. poſsit notarius accipere pro abbreuiando ſolidos ſex. Item pro reducendo in publicam formam ſolidos decem. Si vero condemnatio erit a libris centum ſupra vſq; ad quingentas, tunc notarius poſsit accipere pro abreuiãdo ſolidos. x. Itẽ pro reducẽdo in publicam formã ſolidos decẽ & octo. Si vero condẽnatio erit à libris quingentis ſupra vſque ad mille, tunc notarius poſsit accipere ſolidos 12. Itẽ pro reducẽdo

in publicam formam solidos 30. Si vero condemnatio erit à libris mille supra quantacunque fuerit summa, dummodo condemnatio pecunialis sit, possit notarius accipere pro abreuiãdo solidos 12. Et pro reducendo in publicam formam solidos 40. Si vero condemnatio esset corporalis, dummodo non vltimi supplicii, possit notarius accipere pro abreuiando solides 15. Et pro reducendo in publicam formam solidos 50. & non vltra. Si condemnatio erit mortis & vltimi supplicij, tũc possit notarius accipere pro abreuiando solidos 20. Et pro reducendo in publicam formam ducatum vnum. In omnibus vero aliis instrumentis & scripturis, de quibus taxatio nulla per statuta communis Paduæ facta sit, debeat notarius accipere, & stare taxationi faciendæ arbitrio D. Potestatis, seu vicarii sui. Et hoc casu fieri debeat taxatio habendo respectum de similibus ad similia suprascripta, & inspecta qualitate facti, & personarum, ac laboris notarii.

DE SOLVTIONIBVS ACTORVM. RVBRICA.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

OTARIVS quilibet exercens officium notariæ coram potestate, vel iudice aliquo Paduæ, vel Paduani districtus, possit licite petere, & recipere solu-

ſolutionem pro actis iudicialibus per eum ſupraſcriptis, prout infra taxatum eſt. Et non audeat notarius aliquis accipere vltra, quàm per ſtatuta infraſcripta declaratum eſt, ſub pœna cõtenta in ſtatutis communis Paduæ, poſita maxime ſupra rubrica de Notariis vniuerſis. Et ſolutiones taxatas teneatur ſoluere notariis pars, ad cuius petitionem acta ſcribuntur.

PRo qualibet commiſſione, & relatione, quæ ſit perſonarum ſex, vel abinde infra, poſſit notarius accipere ſolidum vnum. Si autem perſonę fuerint plures ſex, tunc poſsit notarius accipere pro primis ſex perſonis ſolidum vnum, & abinde ſupra denarium vnum pro quolibet nomine. Et in caſu huius ſtatuti, & cuiuslibet ſequentis ſtatuti, intelligatur ſindicus, & quilibet citatus, ſeu comparens nomine alicuius vniuerſitatis, ſeu plurium intelligatur tantum eſſe vna perſona.

Pro qualibet præſentatione cuiuſcunq; perſonæ poſſit notarius accipere ſolidum vnum.

PRO qualibet cedula tenutæ, ſeu pignorationis pro contumacia, ſeu mercede, vel pro affictu non ſoluto, poſsit accipere notarios ſolidos duos, & hoc ſi cedula contineat perſonas ſex, vel abinde infra. Si autem contineret perſonas plures ſex, tunc poſsit notarius accipere pro primis ſex perſonis ſolidos duos, & abinde ſupra denarios duos pro qualibet perſona.

PRO qualibet cedula facta ad ſequeſtrãdum, vel interdicendum de bonis alicuius, vel ad forbaniendum,

niendum, seu ad detinēdum, vel ad interdicendum aliquem captum in carceribus, vel ad relaxandum seu reuocandum, vel cancelandum aliquid de prædictis, possit notarius accipere tā pro cedula, quam pro ponendo, siue pro registrando eam in libro actorum eius solidos tres, & non vltra. Et si in eadem cedula essent personæ plures sex, tunc possit notarius accipere pro primis sex personis solidos tres, vt dictum est, & abinde supra denarios sex pro qualibet persona. Et teneatur notarius registrare cedulas in libro actorum suorum, & ea prædicta obseruare secundum formam statuti, quod incipit. Scripturæ, quæ committuntur, positi sub rubrica de vniuersis notariis.

PRo legitimatione personarum possit notarius accipere solidos duos soluendos a parte agente tantum, & computata etiam productione instrumentorum facientium ad legitimationem personarum.

PRo productione cuiuslibet interrogatoriæ, & pro qualibet respōsione superinde factæ ad præparationem causæ, possit notarius accipere à parte producente, seu respondente solidos duos, & teneatur notarius huiusmodi interrogatoria, & responsiones registrare in libro actorum eius.

PRo qualibet petitione exposita per partem, & per notarium scripta in actis, possit notarius accipere solidos duos a parte agente.

PRo productione cuiuslibet libelli, seu petitionis, quæ sit librarum quinquaginta, vel abinde infra,

fra, possit notarius accipere solidos tres. Abinde vero supra vsque ad libras centum, possit notarius accipere solidos quatuor. A centum vero libris supra quantacunque fuerit summa, possit notarius accipere solidos quatuor pro primo centenario, & abinde supra solidum vnum pro quolibet centenario, dummodo solidos decem non excedat.

PRo productione exceptionum oppositarũ contra libellũ, seu cõtra petitionẽ productam, si exceptiones fuerint sex, vel abinde infra, possit notarius accipe solidos duos. Abinde vero supra quantecũq; fuerint exceptiones, possit notarius accipere solidos tres, & nõ vltra. Idem seruetur in solutione, productione, seu expositione replicationũ triplicationum, quadruplicationum, & cæterorum huiusmodi. Atq; perinde intelligatur de exceptionibus expositis contra personas, seu contra instrumenta facientia ad legitimationem personarum, aut contra testes, vel processum, & de quibus aliis huiusmodi factis in causa.

PRo contestatione litis, & iuramento calumniæ, si quæstio fuerit librarum centum, vel abinde infra seu vltra, possit notarius accipere solidos quatuor.

Pro quolibet termino locato possit notarius accipere solidum vnum.

PRo productione cuiuslibet modulæ capitulorum, seu positionum quantacunque fuerit quæstio, possit notarius accipere solidos duos, & non vltra. Saluo quod si registrarentur capitula in libro acto-

actorum, tunc possit accipere pro registratione denarios quatuor pro quolibet capitulo registrato.

PRO qualibet responsione facta ad capitula, seu positiones, possit notarius accipere denarios duos pro quolibet capitulo.

PRO productione cuiuslibet instrumenti ponẽdo solum eius substantiam, & non distincte in libro possit notarius accipere solidos duos. Si vero positum fuerit instrumentum distincte in libro, tunc fiat solutio arbitrio iudicis de medio, attenta qualitate scripturæ.

PRO productione, & iuramento cuiuslibet testis, possit accipere denarios sex. Saluo quod si plures testes simul eadem hora producti erunt, & simul iurauerint, tunc notarius possit accipere denarios quatuor pro quolibet teste, quot fuerint producti. Et saluo quod si notarius iret de commissione iudicis ad deferendum iuramentum alicui testi, vel personæ extra palatium iuris, tunc fiat solutio notario pro itinere suo prout videbitur iudici iustum, attenta qualitate personarum, quæstionis, & loci.

PRO examinatione cuiuslibet testis, siue quęstio sit magnæ, siue paruæ quantitatis, & siue examinatio fiat super petitore, siue fiat sine capitulis, possit notarius accipere solidos quinque, vt dictum est infra. Ita tamen quod si testis examinatus fuerit super capitulis nouem, & abinde supra, tunc possit notarius accipere pro capitulis octo primis solidos quinque vt dictum est supra. Abinde vero supra

de-

cenarios ſex pro quolibet capitulo, ſi quæſtio fuerit librarum centum, vel abinde infra. Si vero quæſtio excederet ſummã librarum centum, tunc poſſit notarius accipere ſolidos quinque pro capitulis 8. vt dictum eſt. Abinde vero ſupra pro quolibet capitulo ſolidum vnum, dummodo non excedat ſolidos x. pro quolibet teſte. Et tantundem poſsit habere iudex, ſeu coadiutor, qui teſtem examinauerit. Et quòd de capitulis dictum eſt, intelligatur etiam de interrogatoriis datis per partem aduerſam, videlicet quod aduerſa pars teneatur ſecundum taxam prædictam ſoluere notario pro examinatione facta pro interrogatoriis ſuis. Et iudex maleficiorum pro examinando teſtes in maleficij, vel quaſi nihil accipere poſſit.

PRO publicatione proceſſus quæſtionis librarũ centum, vel abinde infra, poſsit notarius accipere ſolidos duos. In quæſtione vero, quæ libras centum excederet quantacunque fuerit, poſsit notarius accipere ſolidos tres, & non vltra ſoluendos per partem agentem.

PRO allegatione iudicis ſuſpecti, vel notarij, & pro remiſſione facta ad iudicem poteſtatis, poſſit notarius accipere ſolidos duos ſoluendos per partem, quæ ſuſpitionem allegauit.

PRO copia totius proceſſus, atteſtationum, & ſententiæ, & omnium, ac ſingulorum actitatorum in cauſa data partibus in bombicina, quam dare teneatur cuilibet petenti parti infra terminum ſibi arbitrio iudicis aſsignatũ, poſsit notarius accipere

tertium

tertium eius, quod supra taxatum est.

Pro reducẽdo processum in publicam formam, & dando parti requirenti, possit notarius accipere duas partes ex tribus eius, quod supra taxatum est pro scribendo in libro actorum, referendo singula singulis.

QVando agitur secundum formam statuti loquentis de Ordine procedendi super debitis stipulatione vallatis, possit notarius accipere pro petitione, & productione instrumenti, & pro locatione termini prout supra de productione libelli taxatum est.

PRO qualibet sententia interlocutoria scripta in actis, possit notarius accipere solidos sex, & plus arbitrio iudicis de medio, attenta qualitate causæ, & quantitate scripturæ, dummodo solidos decem non excedat.

PRO assumptione sapientum, & pro articulo posito in libro, & pro copia libri, vel articuli sapientis, possit notarius accipere solidos duos, & non vltra.

PRO qualibet sententia diffinitiua lata de consilio sapientum, ponendo eam in libro, & dãdo parti in publicam formam, quam dare teneatur infra terminum sibi per iudicem assignatum, possit notarius accipere tantum, quantum vnus ex sapientibus ad consulendum assumatur. Et hoc si fuerunt duo, vel plures sapientes assumpti. Si vero fuerit tantum vnus sapiens assumptus, tunc possit notarius accipere duas partes ex tribus eius, quod habuerit

buerit ille vnus sapiens assumptus. Idem intelligatur si iudex, qui tulit sententiam, habuit salarium a partibus pro sapiente, Si autem iudex de medio sine salario, & absque consilio sapientis per se tulit sententiam, tunc notarius possit accipere ponendo eam in libro, & dando ipsam parti in publicam formam, attenta qualitate quæstionis, videlicet. Si quæstio fuerit librarum quinquaginta, vel abinde infra solidos vigintiquatuor, vel minus arbitrio iudicis secundum quod quæstio esset de modica quātitate, Si autem quæstio esset à libris 50 supra vsq; ad libras centum, tunc possit notarius accipere solidos 32, Si vero quæstio fuerit à libris centum supra, tunc possit notarius accipere solidos trigintaduos pro primo centenario, & abinde supra solidos octo pro quolibet centenario vsq; ad summam librarum mille. A mille vero libris supra quantacunque fuerit summa quæstionis, possit notarius vltra id quod dictum est pro primo milliario accipere solidos quatuor pro quolibet centenario, & non vltra.

PRO qualibet appellatione interposita à sentētia principali, si quæstio fuerit librarum centum, vel abinde infra, possit notarius accipere solidos quatuor. Si vero quæstio fuerit à libris centum supra vsque ad libras quingentas, tunc possit notarius accipere solidos octo. Si autem quæstio fuerit à libris quingentis supra quantacunque fuerit summa quæstionis, possit notarius accipere solidos x & non vltra.

PRO-

Pro qualibet atteſtatione facta in cauſa, ſi quæſtio fuerit librarũ quinquaginta, vel abinde infra, poſsit notarius accipere pro ſcribendo eam in libro ſolidum vnum. Item pro bando copiam porti in publicam formam ſolidos quatuor. Si vero quęſtio fuerit a libris quinquaginta ſupra vſq; ad centum, tunc poſsit notarius accipere ſolidos duos ꝑ ſcribendo eam in libro. Item pro dando copiam parti in publicam formam ſolidos quatuor. Si autem quæſtio fuerit a libris centum ſupra vſque ad quingentas, tunc poſsit notarius accipere ſolidos tres pro ſcribendo eam in libro. Item pro dando copiam partim in publicam formam ſolidos ſex. Si quæſtio fuerit a libris quingentis ſupra quãtacunque fuerit ſumma quæſtionis, poſsit notarius accipere ſolidos quatuor pro ſcribẽdo eam in libro. Itẽ pro dando copiam parti in publicam formam ſolidos octo.

Pro confeſsione debiti ſponte facta coram iudice, vel notario officium exercente, poſsit notarius accipere, ſi debitum erit librarum quinquaginta, vel abinde infra, pro ſcribendo eam in libro ſolidos duos. Item pro dando copiam parti in publicã formam ſolidos decem. Si autem debitum confeſſum à libris quinquaginta ſupra vſque ad centum, tunt poſsit notarius accipere pro ſcribendo eam in libro ſolidos quatuor. Item pro dando copiam parti in publicam formam ſolidos ſexdecim. Si vero debitum fuerit a libris centum ſupra vſque ad quingentas, poſsit notarius accipere pro

ſcribendo

scribendo eã in libro solidos quatuor. Et pro dando copiam parti in publicam formam solidos viginti. Pro confessione autem a libris quingentis supra quantacunque fuerit quantitas & summa, possit notarius accipere solidos sex pro scribendo eam in libro. Item pro dando eam in publicam formam solidos triginta, & non vltra.

PRO licentia venditori concessa vendēdi tenutam ad incantum, seu pro confirmatione tenutæ ex secũdo decreto, possit notarius accipere solidos quatuor pro scribendo eam in libro. Saluo tamen, q̃ si res mobilis fuerit massario pignorum in Paduæ consignata, non possit notarius dicti massarij accipere vltra id, quod taxatum est secundum formam statuti de illis prædictis disponentis. Si vero fuerit res immobilis, vel res quæ nomine immobilium contineatur ad incantum iudicis auctoritate posita, tũc possit notarius accipere pro quolibet incantu superinde facto solidos quatuor. Et si fuerit vendita ad incãtum, vel in solutum data iudicis auctoritate, tunc possit notarius accipere pro instrumēto venditionis, seu dationis in solutum prout taxatum est supra in rubrica de Solutionibus instrumētorum venditionis, & huiusmodi.

PRO qualibet litera missa scripta de mandato, & sub nomine domini potestatis Paduæ, vel alius rectoris, seu officialis, vel iudicis Paduæ, vel Paduani districtus, possit notarius, qui eam scripsit, accipere a parte, ad cuius fauorem, vel instantiam facta fuerit, solidos sex, & plus, & minus arbitrio

comittentis, attenta qualitate facti, & quantitate ſcripturæ. Ita tamen quod illud plus non poſſit excedere ſolidos x. Et illud minus non ſit minus quatuor ſolidis. Et ſi negocium tangeret factum communis Paduæ, ſeu fieret ex officio ad nullius perſonæ requiſitionem, tunc notarius nihil accipere poſſit.

PRO qualibet ſigllatione literarum, quæ ſigillentur ſigillo communis Paduæ, aut domini poteſtatis Paduæ, poſſit accipere ſigillans ſolidos quatuor à parte, ad cuius inſtantiam facta erit litera. Si vero negocium tangeret factum communis, aut facta fuerit litera ex officio ad nullius perſonæ requiſitionem, tunc etiam pro ſigillatione nihil accipiatur.

DE NOTARIIS SIGILLI. RVBRICA.

AD ſcribenda acta cauſarum vertentium coram domino poteſtate Paduæ, vel ſuo vicario, deputentur per frataleam notariorũ ciuitatis Paduæ notarij octo ad diſcum ſigilli ſingulis quatuor menſibus. Quorum duo ad minus ſint de melioribus notarijs actualiter exercentibus officia, & non ſint minores annis triginta, & vnus ipſorum ad primam capſam, alter ad ſecundam ſedeat. Alij vero notarij ad dictum banchum ſedeant, & inter ſe capſas ſorte diuidant ſecundum formam ſtatutorum dictæ fra-

frataleæ loquentium de prædictis.

TEneantur notarii sigilli ad mandata D. Potestatis scribere, & publicare in arengo omnes, & quascunque condemnationes, seu sententias condemnationum tam corporalium, quàm pecuniarium latas per dominum potestatem cõtra malefactores. Et in hoc debeat obseruare & facere secundum formam statutorum de his loquentium, & positorum sub rubrica, quæ de Condemnationibus scribendis, publicandis, & exigendis inscripta est.

QVia notarij sigilli habent onus scribendi, & publicandi condemnationes, & pro ipso labore nullam inde solutionem accipiunt, statuimus, & ordinamus, quod notarii sigilli possint in omni casu accipere tertium plus eius, quod supra taxatum est alijs notarijs pro solutionibus actorum iudicialiũ. Saluo quàm de cedulis, & testium examinatione, de quibus non debeant accipere solutionem, nisi prout & quantum alijs notarijs accipere licet.

CRidas quæ fiunt ad instantiam eorum, qui recessuri sunt de ciuitate Paduæ, & alias omnes proclamationes, quæ fient de mandato Domini potestatis, seu vicari' sui, debeant notarii sigilli scribere in vno libro communis de chartis membranis, & ipsum librum finito regimine potestatis debeãt præsentare & consignare ad cancelariam communis Paduæ. Et possint dicti notarii accipere solidos duos pro qualibet crida facta per eos in dicto libro registrata. Quam solutionem teneatur sibi facere ille, ad cuius instantiam fuerit crida facta. *Si*

vero tangeret negocium commuue Paduæ, tunc nihil accipere possint.

PRo qualibet bulleta facta per eos illis, qui secundum ordinem bulletarum factis crinis suis volunt recedere de Padua, possit accipere solidos duos.

Potestate D. Vberto de Cancelerijs 1316.

VNus ex notarijs sigilli eligatur per vicarium D. Potestatis Paduæ singulis quatuor mensibus, qui debeat scribere librum officialium, iudicum, & notariorum, qui pro quatuor mensibus tūc futuris debeāt officium exercere. Et debeat dictus notarius ipsum librum in eius principio cuiuslibet quaterni, si plures quaternos haberet, intitulare & autenticare, & in fine cuiuslibet lateris chartarum dicti libri ponere suscriptionem & notam suam, & in eo scribere iudices & notarios palatij, ac notare capita centenariorum debentes exercere officium quatuor mensibus tunc futuris. Et debeat dictus notarius complere ipsum librum ante quàm noui officiales incipiant officium. Et nullus iudex, vel notarius, aut caput centenarij audeat officium exercere, nisi in eo libro scriptus est, & postquam scriptus erit, nō possit permutare, vel aliquem eius loco subrogare sine licentia domini potestatis, vel vicarij. Et non audeat dictus notarius finito officio suo scribere aliquem in dicto libro, sed teneatur consignare dictum librum ad officium cancelariæ cōmunis Paduæ. Et si non appareret, quod aliquis nota-

notarius foret electus per vicarium ad dictum librum scribendum, tunc ille notarius intelligatur electus, qui eum scripserit. Et semper dictus notarius quando scribet aliquem in libro prædicto, debeat scribi nomen proprium, & prænomen seu agnomen eius, quem scribet. Et si aliquem loco alterius scribet, tūc scribat eius loco, & de cuius pronuncia, seu licentia vel mādato scribit, & quis fuerit notarius, qui pronunciam, seu licentiam, vel mādatum scripsit. Et aliqu s notarius alius, nisi qui ad hoc erit deputatus, audeat scribere aliquem in ipso libro sub pœna falsi. Saluo quod postquā talis notarius deposuerit officium suum, & notarij noui successerint, si contingeret quòd propter iustam causam potestas, vel vicarius pronunciet, seu mandet aliquē loco alterius subrogati, tunc ex pronuncia, vel præcepto potestatis, vel vicarij possit vnus ex notariis nouis sigilli scribere subrogatū impune

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

NOtarij duo, vel plures secundum necessitatem singulis quatuor mensibus boni & sufficientes deputentur ad discum maleficiornm, qui sint fideles & patricii, atque obseruent omnia & singula, quæ ad officium suum pertineant secundum formam statutorum communis Paduæ loquentium de prædictis, positorum maxime sub rubrica de notariis maleficiorum. Et pro scripturis ad dictum

officium factis, & taxatis per dicta statuta, possint accipere prout in ipsis statutis continetur. Pro aliis vero scripturis ibi non taxatis, possint accipere solutionem prout notarijs vniuersis taxatum est. Et quilibet ipsorum, qui vltra taxam acceperit aliquo casu, teneatur ad restitutionem dupli eius, quod acceperit, & vsque ad vnum annum non possit officium per notarium exercere. Si vero procederet ex officio, tunc accipere nihil possit, nisi persona, contra quam inquiritur, coniuncta esset, quæ teneatur ad expensas.

DE NOTARIIS AQVILÆ. RVBRICA.

Potestate domino Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

D discum Aquilæ deputentur, seu eligantur per frataleam notariorum Paduæ sex notarij ad scribenda acta causarum ciuilium vertentium coram iudice, & assessore D. Potestatis ad officium Aquilæ deputato, & ad scribendum condemnationes, & cætera faciendum, quæ officio suo spectant. Et ex illis sex notarijs sint, & esse debeant ad minus duo notarij sufficientes, & docti, & ipsorum vnus non sit minor annis vigintiquinque, & ibi officium exerceat per quatuor menses, & sedeat ad primam capsam. Alter sit maior annis triginta, & exerceat

per

per vnum annum officium Buſcheti, & ſedeat ad ſextam capſam, & teneat ſub eius cuſtodia libros condemnationum, & ſcribat accuſationes contrabannorum, & locationes datiorum communis, & reliqua faciat, quæ officio ſuo ſpectant. Et obſeruent notarij Aquilæ quantum ad eos pertinet pro condemnationibus ſcribendis & exigendis omnia & ſingula ordinata per ſtatuta Paduæ, poſita ſub rubrica loquente de condemnationibus ſcribendis publicandis, & exigendis.

PRo cancelatione cuiuslibet condẽnationis poſſint notarii Aquilæ, ſi condemnatio erit librarum x. vel abinde infra, accipere ſolidos duos. Si autem cõdemnatio erit a libris decem ſupra vſque ad 25. libras, poſſit accipere ſolidos quatuor. Si condemnatio libras 25. excedit, vel ſit abinde ſupra vſque ad libras quinquaginta, poſſit accipere ſolidos quinque. Si condemnatio erit a libris quinquaginta ſupra vſque ad libras centum, poſſit accipere ſolidos decem. Si cõdemnatio erit à libris centum ſupra vſque ad quingentas, poſſit accipere ſolidos viginti. Abinde vero ſupra quantacunque fuerit condemnatio, poſſit accipere ſolidos triginta duos, & non vltra.

PRo ſcribendo incantus, & macinaturæ locationem, & datii vini ſeu alicuius alterius datii, vel angariæ, & ponendo eam in libro, ac dando conductori in publicam formam, quam ſibi tenetur infra tertiam diem poſtquam locatio facta fuerit, notarius Buſcheti poſſit a conductoribus ipſo-

rum datiorum, si datium locatum fuerit pro libris quingentis, vel abinde infra accipere solidos 20. a quingentis vero libris supra, possit accipere libras duas, & solidos decem paruorum.

PRo scribendo in libro securitates dictorũ omnium datiorum quotquot fuerint fideiussores, possit accipere solidos decem pro qualibet fideiussione.

PRo cedulis ad pignorandum, vel detinendum ex causa datii non soluti possit notarius Aquilæ, qui scripserit commissionem, si in vna cedula plures personę continerentur, accipere pro scribẽdo commissionem solidos quatuor. Si vero notarius ipse scriberet etiam nomina dębitorum in cedula manu sua, tunc accipere possit denarium vnũ pro qualibet persona vltra id, quod dictum est pro commissione scribendi.

PRo qualibet accusatione facta de banno libri, vel fraudatione datii, aut contrabanno bladi, vel alterius rei, quę diceretur exportari contra ordines, & generaliter pro qualibet accusatione ad fiscum pertinente, & officium suum facta, possit notarius Buscheti, si accusa continebit in se personas sex, vel abinde infra, accipere solidos quatuor. Si autem personæ plures sex in eadem accusa continerentur, tunc posit accipere solidum vnum pro qualibet persona accusata. Et si accusatus comparuerit, posit accipere notarius Buscheti pro excusatione & securitate solidos duos. Si accusator erit in cõcordia cũ accusato, taliter quod accusa debeat

can-

cancelari, tunc accipere posſit notarius à quolibet accuſato cancelando ſolidos duos pro cancelatione accuſæ. Si fuerit aliqua communitas, vel vniuerſitas accuſata, tunc poſsit a ſindico; vel a decano pro excuſatione & ſecuritate accipere ſolidos quatuor.

PRO ſcripturis actorum iudicialium factis per notarios Aquilę, non poſsiat acciqere vltra taxam ordinatam ſecundum formam ſtatutorum communis Paduæ, poſitorum ſub rubr. de Solutionibus actorum iudicialium.

TEneantur notarii Aquilæ, ſeu Buſcheti ſub pœna librarum 25. paruorum qualibet vice, cuius banni medietas ſit communis, & altera denunciantis, oſtendere cuilibet requirenti, & videre volenti incontinenti, & ſine aliqua excuſatione libros condemnationum. Et pro oſtendendo eos poſſint accipere à quolibet videre volente ſolidum vnum pro quolibet libro oſtenſo & requiſito, ita tamen quod non excedat ſolidos quatuor.

NOtarij Aquilę teneantur ad pœnam librarum centum pro quolibet notario facere, & compilare vnum librum autenticum, & in eo ſcribere omnes illos, qui cedent bonis ſuis, & ipſum librum finito eorum officio teneantur conſignare cancelariæ communis Padué in pœna prædicta.

PRO omnibus actis, & toto proceſſu facto, & ſcripto per notarios Aquilæ ſuper eo, quod aliquis cedat bonis ſuis ſecundum formam ſtatuti B. Antonij Confeſſoris loquentis de Ceſsione bonorum,

&

& processione ac pro cedula relaxandi de carceribus illum, qui bonis cèssit, possit accipere notarius, qui prædicta omnia scripserit solidos 20.

Pro qualibet cõpositione facta per potestatẽ, vel alium habẽtẽ libertatẽ componẽdi cũ condemnatis, possint accipere notarij Aquilæ medietatem eius, quod supra pro cancelatione taxatum est.

NOtarij Aquilæ & Buscheti non compellantur communicare lucra ex ipso officio venientia, sed permittantur, ꝙ quisque lucretur sibi, & iure suo viuat. Et possit quilibet notarius Aquilæ scribere omnia, & singula sibi commissa, & spectantia ad discum Aquilæ, ita tamen, ꝙ nullus eorum se impediat de scribendo accusationes, & excusationes, locationes, & fideiussiones datiorum communis, sed huiusmodi scribere tantum debeat notarius Buscheti. Et pro ęqualitate lucri teneatur notarius Buscheti soluere quolibet mense notario Aquilæ solidos 50. & plus, & minus prout fratalea notariorum determinabit iustum esse. Et teneatur etiam dictus notarius Buscheti diebus, & horis cõsuetis, & licitis exhibere omnes libros condemnationum, ita vt quilibet notariorum Aquilæ possit exinde lucrari, & cancelari condemnatos, qui soluerint condemnationes suas.

Potestate D. Marino Faletro 1339.

NOtarij Aquilæ & Buscheti teneantur singulis quatuor mẽsibus tẽpore sui officij facere vnũ

librum

librum autenticum in chartis membranis intitulatum, & subscriptum cum nominibus, & signis eorum, & in eo scribere nomina illorum condemnatorum, qui suo tempore fuerunt cancelati de libris condemnationum ad dictum officium existētibus, exprimendo diem, quantitatem, & causam condemnationis,& diem ac causam cancelationis, ac nomen eius, qui cancelauit, & ipsum librum consignare teneantur ad cancelariam communis Paduæ subscriptū manu iudicis Aquilæ infra 15. dies post exitum officii sui in pœnam librarum decem pro quolibet non consignante.

Potestate D. Vberto de Cancelerijs 1316.

VT facilius possint inueniri, qui cōdēnati sunt, teneantur notarij Aquilæ,& Buscheti facere, & tenere in chartis membranis vnum repertoriū, in quo per alphabetum scripta sint nomina omniū & singulorum cōdemnatorum tempore officij sui, ponendo regimen cuiuslibet potestatis per se, & quorum chartam libri condemnationum, in quo erit condemnatio eius scripta. Et similiter de ipso libro cancelare quoscunque, quos de libris autenticis condemnationum condemnabūt. Non tamen intelligatur aliquis condemnatus, vel cancelatus ex eo, quod esset in dicto repertorio scriptus, vel cancelatus.

Potestate eodem,& Millesimo.

TEneatur notarius Buscheti die penultima, vel vltima officij sui præsentibus duobus, vel ad minus vno gastaldionum fratalcæ notariorū, consignare

consignare successori suo omnes, & singulos libros condemnationum, & repertorium, ac omnes alios libros accusationũ, & actorum ex officio Buscheti per eum scriptorum, sub pœna librarum centum paruorum. Et sub eadem pœna successor eius teneatur dictam consignationẽ accipere, & de prædicta consignatione fiat publicum instrumentum, quod ponatur, & conseruetur ad cancelariam cõmunis Paduæ. Et notarius, qui dictam consignationem non fecerit, intelligatur celare dictos libros per fraudem.

DEbeat notarius Buscheti tenere vnum librum, in quo scribantur omnes, & singuli, qui carcerantur quiue laxantur, & in hoc debeat obseruare quantum ad eum spectet in omnibus, & per omnia, prout ordinatum est secundum formam statuti, quod incipit. De carceratis cõmunis Paduæ, positi sub rubrica de carceribus, & carcerandis.

DE REFORMATIONIBVS STATVTORVM INFRASCRIPTORVM PER LITERAS DVCALES. RVBRICA.

Franciscus Foscari Dei gratia dux Venetiarum, &c. Nobilibus, & sapiẽtibus viris Paulo Corario de suo mandato potestati, & Andreæ Mocenico capitaneo

taneo Paduæ, & successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Fuerunt ante nostram præsentiam egregij, & famosi vtriusque iuris doctores dominus Ioannes Franciscus de Capitibus listæ, & Iacobus de Zabarelis ciues, & fideles nostri Paduæ pro oratoribus illius nostræ fidelissimæ communitatis Paduæ, porrexeruntque nostro dominio aliqua capitula pro parte dictæ cōmunitatis nostræ Paduæ, ad quæ capitula cum nostro collegio habente à consiliis nostris rogatorum, & additionis plenam libertatem specialiter circa id, fecimus nostras respōsiones ad vnūquodq; ipsorum capitulorum, sicut distincte inferius notatum est. Quare cum dicto collegio vestræ fidelitati scribimus, & mādamus, quatenus secundum responsiones nostras ad ipsa capitula factas debeatis obseruare, & obseruari facere in quantum ad vos attinet, facientes præsentes nostras literas cum tenore capitulorum, & responsionum nostrarum in actis nostræ cancelariæ deinde ad futuorum memoriam registrari. Tenor autem capitulorum, & respōsionum nostrarum sequitur, & talis est videlicet. Primo exponere serenitati dominationis suæ, cum occurrant multæ inæqualitates, & inconuenientiæ faciendo imbussulationes, & eligēdo consilium, & officiales prout de præsenti fit, videretur melius, & gratissimum esset huic suæ fidelissimæ ciuitati, quod de cætero nulla imbussulatio fieret, ne daretur officium aliquod ad arbitrium modo vllo, sed quod vniuersaliter tam ad consilium, quàm ad

alia

alia quæcunq; officia, quæ dantur ciuibus Paduæ, fieret electio per consilium cõmunis Paduæ. Quare supplicẽt celsitudini dominationis suæ, quod dignetur concedere, & mandare, ꝙ de cætero consilium præsentis anni eligat consilium pro anno futuro, & sic quolibet anno consilium tunc existens Paduæ eligat ciues ad consilium pro anno tunc futuro. Et similiter per consilium tunc existens, eligãtur vicarij, milites bladorũ, & generaliter omnes & singuli alij officiales, qui constituuntur, & dantur ciuibus Paduæ. Et ꝙ eorum electio fiat per viã scrutinij, vel aliter prout melius videbitur consilio Paduæ, ita ꝙ de cætero nullus eligatur ad cõsilium, vel ad officium aliquod per imbussulationem breuium, vel ad arbitrium, seu duntaxat per consilium tunc existens, nullis obstantibus statutis, prouisionibus ducalibus, vel consuetudine in contrarium faciente. Respondatur, ꝙ placet nobis, ꝙ de cætero consilium existens anni eligat consilium anni futuri, in quo consilio eligantur officiales, & vicarij officiorum, qui ciuibus Paduæ dantur. Et ꝙ facta tali electione, electi imbussulentur, vt exinde per breuis extrahantur. Et volumus ne occurrant errores, & inconueniẽtiæ solitæ, ꝙ reponãtur imbussulationes sub duabus clauibus clausæ, quarum vnam teneat potestas, alia teneant deputati ad vtilia communis Paduæ, ne aliquis alius de hoc se impedire possit quouis modo. Et si reperiretur contrafactum fuisse, ꝙ aliquis extrahatur de imbussulationibus fraudulenter, volumus, ꝙ potestas Paduæ

duæ tunc existens cadat de ducatis ducentis, & priuetur regimine, quam pœnam ex nunc committimus exigendam per aduocatos communis nostri habẽtes partem vt de alijs suis officiis. Item supplicare, quod celsitudo sua dignetur cõfirmare reformationes trium statutorum, quæ facta sunt pro vtilitate communis, videlicet de præsentatione ꝓpinquorum, & cohærentium, de chartis registrandis, & de successionibus mulierum. Respondemus quod de statuto de præsentatione propinquorũ, & cohærentium obseruetur consuetudo solita, cum hoc ꝙ absens à districtu Paduæ, & hi, quibus per ignorantiã non fuisset factum cognitum, habeant terminum vnius anni ad præsentandum. De statuto vero de successionibus mulierum, & de chartis registrandis fiat vt petitur. Item supplicare quod celsitudo sua dignetur concedere, quod cõmunitas Paduæ possit reformare æstima ciuitatis Paduæ, & focos villarũ territorij Paduani, cum tam æstima ciuitatis, quam foci villarum egeant maxima reparatione propter pestem. Et æstimentur bona Venetorum in Padua, seu Paduano territorio sita, prout æstimabuntur bona Paduanorum. Et ꝙ factis æstimis Veneti soluant datium lazeorum pro rata æstimi bonorum suorum, prout soluent ciues Paduæ, aut quod cameræ Paduæ faciat restaurũ, & soluat pro eis. Respondetur ꝙ placet nobis, ꝙ reformentur æstima sua, & foci villarum, sicut petitur. De bonis autem Venetorum sitis in territorio Paduano ponendis in æstimo, sicut bona Paduanorum,

norũ, dicimus ꝙ volumus, quod bona Venetorum sita in territorio Paduano, quæ data fuissent in nota quando apta fuit ciuitas Venetiarum, stent in æstimo prout stant ad præsens. Sed placet nobis quod ab illo tẽpore citra bona, quæ empta sunt, & emen tur, seu acquirẽtur per Venetos de cætero in territorio Paduano, ponãtur in æstimo cum Padua prout petunt. Item exponere excellentiæ serenitatis suæ, quod defectu decurarum, quæ secundum formam statuti communis Paduæ non cauantur, nec manutenentur, taliter quod aquæ habeant debitũ cursum suum, redundat maximum damnum territorio Paduano. Et propterea supplicare sereniss. dominationi suæ, quod dignetur addere in commissione cuiuslibet rectoris locorum Paduani territorij, quod quilibet eorum sub eadem pęna, & strictura, quæ videatur serenitati dominationis suæ, & diuidenda prout videbitur celsitudini suæ, teneatur facere laborari per homines potestariæ suæ saltem bis in anno sui regiminis per octo dies qualibet vice ad minus ad cauandum decuras potestariæ suæ.
Respondetur, quod mandamus rectoribus prædictis, quod id facere teneantur, sicut petitur sub pęna ducatorum ducentorum exigenda per aduocatos nostri communis. Item exponere serenitati dominationis suæ, quod esset gratissimum huic suæ fideli communitati Paduę, quod Iudæi omnes ferrẽt O. attento maxime, quod multa incõuenientia, & scandala veniunt quotidie, ex eo ꝙ Iudęi nõ discernuntur à Christianis. Et attento etiam quod in ciuitatibus,

bitatibus, terris, & locis circumstantibus iudæi omnes ferunt. O. nec petitur hoc cõtra pacta sua, cum eorum priuilegia nõ loquantur de vniuersis iudęis, sed solum de iudæis tenentibus banchum, nec tamen vllo modo se extendant ad casum istum. Et in quantum expediat ciues Paduani sunt contenti stare iuri. Et propterea supplicetur celsitudini dominationis suæ, ꝙ dignetur cum effectũ mandare, & prouidere taliter, ꝙ vniuersaliter iudæi omnes cuiuscunque sexus, & ætatis existant habitantes, seu aliquo modo commorantes, aut transeuntes in Padua, aut Paduano territorio portent in pectore in veste superiori vnum. O. zali coloris latum, magnum, & discopertum, taliter ꝙ manifeste videãtur, & discernantur iudæi a christianis, sub ea pœna, quæ videbitur serenitati dominationis suæ, & superinde dignetur celsitudo sua scribere ducales literas dominis rectoribus Paduani territorii præsentibus, & successoribus suis, ꝙ iudæos quoscunque non portantes. O. vt supra magnum, & discopertum puniantur sine aliqua remissione. Fiat sicut petunt completis pactis eorum, quæ habent.

Itẽ exponere serenitati dominationis suæ, ꝙ cum instet finis termini pactorum habitorum cum Iudæis ad præsens in Padua fœnerantibus, & pro commoditate ciuium sit necessarium prouidere de habendo Iudæos, vel christianos, qui teneant banchos, & fœnerentur in Padua. Ea propterea supplicare serenitati suæ, ꝙ dignetur concedere, ꝙ domini deputati ad vtilia communis simul cum pro-

uiſoribus eccleſiarum, aduocato, & ſindico communis Paduæ, & cum alijs octo ciuibus per ipſos eligendos, poſſint, & debeant praticare cum Iudęis ad præſens fœnerantibus in Padua, vel cum alijs volentibus fœnerari in futurum de pactis, & conuentionibus fœnerandi pro tempore futuro, prout eis melius, & vtilius videbitur, ita tamen, quod non poſsint aliquid concludere, niſi primo id in conſilio Paduæ propoſuerint, & obtentum fuerit, & illud quod obtentum fuerit in conſilio Paduæ, & valeat, & obſeruetur. Dicimus quod ſumus cōtenti, quod praticent cum ipſis Iudæis fœneratoribus de capitulis ſicut petunt cum ipſis fiendis. Sed volumus q̃ pacta, cum quibus ſecum remanebunt in concordia, mittantur ad noſtrum conſilium, vt confirmentur ſecundum conſuetudinem cum noſtris conſiliis. Item exponere sereniſsimæ celſitudini dominationis ſuæ, quod fideliſsimi ſui ciues Paduæ recipiunt maximum damnum ex eo, quod oportet ipſos ire, & litigare coram D. Rectoribus Paduani territorij, etiam pro debitis & contractibus quibuſcunque celebratis in ciuitate Paduæ cum perſonis habitantibus ſub iuriſdictione caſtrorum territorij Paduani. Et quia nulli dubium eſt ſerenitatem ſuam ſemper paratam eſſe ad omnia commoda fidelium ſuorum. Ideo ſupplicare quod celſitudo ſua dignetur concedere, quod dominus poteſtas Paduæ, & quilibet alius officialis iuriſdictionem habens in Padua ſit iudex competens, & cognoſcere poſsit contra quoſcunque habitantes ſub iuriſdictione domi-

rum

rum rectorum locorum territorii Paduani, etiam habentium merum & mistum imperium pro debibitis & contractibus tantùm in ciuitate Paduæ celebratis ad petitionem cuiuscunque ciuis, & subditi iurisdictioni domini potestatis Paduæ. Et quod dominus potestas illius loci, cuius iurisdictione reus habitabit, teneatur præceptum facere, seu fieri facere subdito suo ad requisitionem literarum domini potestatis Paduæ, quod talis reus compareat coram domino potestate Paduæ ad respondendum de iure tali creditori suo, prout eius literæ continebunt. Et e conuerso quilibet potestas locorum Paduani territorij possit cognoscere contra ciues, & habitantes sub iurisdictione domini potestatis Paduæ pro debitis in contractibus celebratis sub iurisdictione sua cum quacunque persona subdita iurisdictioni domini potestatis illius loci, in quo celebratus fuerit ille cõtractus. Et valeat omnis sententia, ac mittatur executioni perinde, ac si per potestatem rei lata fuisset, siue reus requisitus comparuerit, siue contumax fuerit, ac possit procedi contra eos, sicut si essent subditi suæ iurisdictioni. Fiat & concedatur sicut in capitulo continetur & petitur. Item supplicare celsitudini dominatonis suæ, quòd dignetur concedere, quòd de denarijs datij plaustrorum fiat expensa inuoltandi de muro cancelariam communis Paduæ, in qua reponuntur scripturæ communis, & priuatarum personarum, & faciendi armaria necessaria in dicta cancelaria pro scripturis collocandis, & si-

similiter inuoltandi de muro locum, in quo ponuntur stramina equorum D. Potestatis Paduę, existentem sub palatio habitationis suæ. Respondeatur, ꝙ mandabimus rectoribus nostris Paduæ, ꝙ prouideant fieri faciendi de muro ea loca, de quibus in capitulo prædicto continetur, & sicut petunt. Item supplicare serenissimæ dominationi suæ, ꝙ dignetur mandare & prouidere, ꝙ per cameram laboreriorum soluantur omnibus ciuibus lignamina, quæ per ipsam cameram accipientur de nemoribus seu possessionibus ipsorum ciuium. Obseruetur id, quod solitum est hactenus obseruari. Item supplicare serenitati dominationis suæ, quod dignetur concedere, & libertatem dare magnifico domino potestati Paduæ, quod ipse simul cum dominis ciuibus Paduæ deputatis ad vtilia communis, & aliis ciuibus per ipsos eligendis, possint reformari seu in totum annullari statutum loquẽs de pignoribus ad cameram portandis, prout eis melius videbitur pro bono & vtilitate communis. Respondetur ꝙ placet nobis quod reforment aut annullent statutũ prædictum, sicut volent. Sed volumus quod facta reformatione per eos, significetur nobis, quia cõfirmatio fiet per nos talis reformationis per eos factæ. Item supplicare serenitati & excellentissimæ dominationis suæ, quod dignetur prouidere, ac mandare pro vtilitate huius suæ fidelissimæ ciuitatis Paduæ, quod paruuli non expendantur nisi vsq; ad solidum in ciuitate Paduæ. Respondeatur quod fiat, prout in capitulo continetur. Quod incipit

fieri

fieri obseruari expleto termino trium datiorum, videlicet Piscariæ, Vini a spina, & Becariæ, quæ sunt incantata. Verum si ante finem termini dictorum datiorum conductores ipsorum contentarentur, ex eo tempore quo erunt contenti capitulum obseruari incipiat. Data in nostro ducali palatio die sexto mensis Iulii inditione octaua 1430.

DE SVCCESSIONIBVS MVLIERVM REFORMATIO. RVBRICA.

STATVIMVS, & ordinamus quod filia, vel mulier etiam descendens per lineam masculinam, vel masculus descẽdens per lineam fœmininam non succedat ex testamento, vel ab intestato patri, matri, vel alicui alii ascendenti per lineam paternam, vel maternam, extante aliquo filio defuncti, vel defunctæ, vel alio eorum descendente masculo per lineam masculinam veniente. Possit tamen ille, vel illa, de cuius hęreditate agitur, non debens per hoc statutum succedere, legare quicquid voluerit in sua vltima voluntate, dũtamen si fuerit pater, vel alius ascendens masculus, non possit legare personæ per hoc statutum a successione exclusæ vltra id, quod de iure communi ab intestato dicta persona fuisset habitura. Si vero fuerit mater, vel alia mulier ascẽdens, non possit legare personæ sic exclusæ vltra dimidium eius, quod talis persona de iure cõmuni

fuisset habitura, & in quolibet casu ultra legatum esset, quatenus nō valeat legatum ipso facto in eo, quod legatum esset vltra. Et quibuscunque verbis vteretur defunctus, vel defuncta in hoc, & si sonarent institutionem, vel assignationem certæ quottæ, valeat ipsa dispositio. Et intelligātur dicta verba habere vim tantū, & effectum legati. Et debeat talis descendens sic exclusa ab hæreditate de bonis dictæ hæreditatis dotari, si nubere, vel monasterium ingredi voluerit, & si interim aut nubere, aut monasterium ingredi noluerit, alimentari debeat condecēter secundum morem ciuitatis, & qualitatem personæ, & quantitatem bonorum defuncti, vel defunctæ, si non haberet tempore mortis eius, de cuius hæreditate agitur, de suo vnde se posset dotare, & alimentare condecenter secundum mores ciuitatis, & qualitatem personæ defunctæ, & ipsius mulieris, & quantitatem bonorum arbitrio boni viri, computato in huiusmodi prouisionibus legato dictæ mulieri facto. Si vero esset masculus descendens ex fœminina, vt supra, ab hæreditate exclusus, & non haberet de suo vnde se posset alimentare arbitrio boni viri, alimentare debeat de bonis dictæ hæreditatis secundum qualitatem personæ, & quantitatem patrimonii arbitrio boni viri, computato (vt supra) legato dicto masculo facto. Idem seruetur in hæreditate descendentium, scilicet vt si quis, vel si qua decederet sine liberis, mater, vel etiam alij masculi ascēdētes per lineam maternam non succedant ex testamēto, vel ab in-

testato

testato filiis, vel aliis descendẽtibus extante patre, vel aliis masculis ascendentibus per lineam paternam defuncti vel defunctę. Ita tamen quod cũ ascẽdentibus fratris masculi vtrinque coniuncti, & filij masculi fratrum masculorũ præmortuorũ vtrinq; coniunctorum succedant. Possit tamen ille, vel illa, de cuius hęreditate agitur, matri, vel alii ascendenti (vt supra) a successione, excluso vel exclusæ, legare de suis bonis quicquid voluerit, dumtamen non excedat id, quod de iure communi talis persona sic exclusa ab intestato fuisset habitura. Et quatenus vltra legaretur in eo, quod vltra esset, non valeat legatum ipso facto, & quibuscunque verbis vsus esset defunctus vel defuncta, valeat ipsa ordinatio etiam si sub nomine certæ quotæ, vel institutionis facta esset. Et habeat tãtum vim legati vt supra in alio casu dictum est. Et debeat talis ascendẽs sic ab hæreditate exclusus, vel exclusa alimentari de bonis dictæ hæreditatis condecenter secundum mores ciuitatis, & qualitatem personæ, ac quantitatem bonorum, si talis persona tempore mortis defuncti, vel defunctæ non haberet, vnde se posset alimentare condecenter, computato in dicta prouisione legato facto dictæ personæ.

CVm satis honestum esse videatur familiarum nomen cõseruari, & bona, seu hæreditates descendentium sine testamento, siue ab intestato non extantibus filijs masculis, vel alijs masculis descendẽtibus per lineam masculinam inter agnatos defuncti vel defunctæ debere cõseruari, hac saluber-

rima lege sic duximus prouidēdum. Statuentes ꝙ si quis, vel si qua decederet ab intestato, seu sine testamento relicto fratre suo, vno, vel pluribus ex vtroque parente, vel ex patre tantum coniuncto, vel relictis filijs masculis dictorum fratrum, & relicta filia vna vel pluribus, vel relicta alia muliere, descendēte per lineam masculinam, tunc dicti masculi agnati succedant dicto defuncto, vel defunctæ in dimidia hæreditatis in stirpes, & non in capita, & in alia dimidia succedāt filia, vel filię, & alię fœminæ descendentes per lineam masculinam in stirpes, & non in capita. Et si omnes, vel aliqua earum non essent dotatæ, & pars hæreditatis, quæ (vt supra) sibi perueniret, non sufficeret ad dotandum eam, vel eas condecenter secundum mores ciuitatis, & conditionem personarum defuncti vel defunctæ, tunc eis suppleatur de alia parte hæreditatis, quæ (vt supra) ad agnatos debet peruenire, ita ꝙ condecenter dotari possint arbitrio boni viri. Et similiter si pars hæreditatis, quæ ad dictas mulieres debet peruenire, nō sufficeret pro earum alimentis, eis suppleatur de redditibus alterius partis, vt se possint alimentare condecenter vsq; quo nubent. Si vero mulier descenderet ex filia defuncti, vel defunctæ tunc solum succedat in quarta parte hæreditatis, & reliquæ tres partes ad fratrē defuncti, vel defunctæ vtrinque coniunctim, vel ex parte tantum, & ad filios masculos dictorum fratrum debeant pleno iure peruenire in stirpes, & nō in capita secundum iuris ordinem, ita tamen, quod

si dicta quarta non sufficeret ad ipsam dotandam, suppleatur vsque ad tertiam, si aliunde non haberet vnde posset se dotare. Si vero dicta quarta pars non sufficeret ad alimentandum dictam filiam ex filia, tunc de redditibus suppleatur, vsq; ad tertiam, si aliunde non haberet.

SImiliter seruetur, si ex dicto defuncto, vel defuncta superesset aliquis masculus descendens ex filia defuncti, vel defunctæ, vt talis masculus sit vnus, vel plures in quarta parte hæreditatis succedat, & in aliis tribus partibus fratres supra nominati, & filii masculi eorum succedant in stirpes, & non in capita secundum iuris ordinem. Si vero dicta quarta pars non sufficeret ad alimētandum dictum masculum descēdentem ex filia, tunc de redditibus suppleatur vsque ad tertiam, si aliunde non haberet, vnde se aleret. Et præmissa non habeant locum in dote mulieris decedentis in matrimonio, siue in viduitate, sed in illis modus iste seruetur scilicet, ꝙ dos dictæ mulieris ad filias & descendentes ex eis debeat peruenire. In reliquis autem bonis dictæ mulieris succedant mulieres descendentes, vel masculi descendētes ex illis simul cum fratribus supradictis defunctæ, vel filiis eorum pro portionibus supra declaratis. Possit tamen mulier ipsa in matrimonio existens, vel vidua quantacunque in potestate patris existens, dispositionem facere tam de bonis dotalibus, quam de aliis bonis suis, dumtamē illud faciat secundum formam statuti. Si qua mulier. Si vero aliquis vel aliqua decederet ab

inte-

inteſtato, ſeu ſine teſtamento non relictis aliquibus deſcendentibus, & non relicta matre, tunc auia, vel alia perſona aſcendẽs per lineam maternam etiam maſculus nõ ſuccedat defuncto, vel defunctæ extante fratre vtrinque coniuncto defuncto, vel defunctæ, vel ex parte patris tantum, vel extantibus filiis maſculis, deſcendentibus ex dictis fratribus. Debeat tamen perſona ſic excluſa alimẽtari condecenter de bonis dictæ hæreditatis arbitrio boni viri ſecundum mores ciuitatis, & conditionem perſonæ, & quantitatem bonorum, ſi talis perſona non haberet vnde ſe poſſet aliunde alimẽtare. Et dictis mulieribus ſic excluſis, dicta alimenta præſtentur eis ſtantibus in viduitate, & non aliter. Si vero ſupereſſet defuncto, vel defunctæ mater honeſtæ vitæ, & in viduitate viuens, tunc mater ſuccedat in tertia parte, ita tamen quod iſta tertia pars nõ excedat id, quod eſſet habitura de iure cõmuni, & de iſta parte non poſsit diſponere niſi ſecundum diſpoſitionem iuris communis. In alijs vero tribus partibus ſuccedat frater defuncti, vel defunctæ ex vtroq; parente, vel ex parte patris tantum coniunctis, & filij maſculi dictorum fratrum in ſtirpes, & nõ in capita ſecundum iuris ordinem. Si vero ſupereſſet mater, & agnatus defuncti, vel defunctæ vſque ad tertium gradum de iure canonico vltra fratres defuncti, & filios fratrum, tunc mater in tertia parte hęreditatis ſuccedat. In duabus vero partibus ſuccedãt agnati vſque ad illum tertium gradũ habita gradus prærogatiua. Et hoc

calu

casu mater ipsa honeste viuens, & in viduitate, si dicta tertia non sufficeret ad eam alimentandam, tunc de fructibus, & redditibus alterius partis debeat sibi pro alimentis suppleri, si aliunde non haberet vnde se posset alimentare. Si vero mater non extaret, tunc proximiores agnati vsque ad dictum gradum succedant. Et si alia aliqua persona ascendens superesset, alimentetur (vt supra) de bonis dictæ hæreditatis. Si vero quis decederet nullis relictis ascendentibus, vel descendentibus, sed relictis tantum transuersalibus, tũc frater defuncti, vel defunctæ, vnus, vel plures ex vtroque parente coniunctus, & filij masculi dictorum fratrum vniuersaliter succedant in stirpes, & non in capita secundum iuris ordinem. Et si dicto defuncto, vel defunctæ superesset soror vna, vel plures, vel filia fratris, tunc dotari debeant de bonis dictę hæreditatis condecenter secundum mores ciuitatis, & conditionem personarum, & quantitatem bonorum, si non haberent tempore mortis defuncti, vnde se possent dotare. Si vero non superessent defuncto, vel defunctæ dicti fratres, vel filii masculi eorum, sed superessent agnati, coniuncti tamen vsque ad tertium gradum secundum ius canonicum, tunc soror defuncti, vel defunctæ ex parte patris, & filia fratris in tertia parte dictæ hæreditatis succedant in stirpes, & nõ in capita secundum iuris ordinem, siue sint dotatæ, siue non, & in aliis duabus partibus succedant dicti agnati habita gradus prærogatiua. Et si dicta tertia pars non sufficeret ad do-

dotandum dictas sororem, & neptem, tunc de aliis duabus partibus suppleatur, vt condecenter dotari possint (vt supra) arbitrio boni viri. Et similiter si dicta tertia non sufficeret ad eas alimētādas, suppleatur de fructibus alterius partis, donec maritabuntur. Si vero dicto defuncto, vel defunctæ superesset vna, vel plures coniunctę in secundo gradu transuersali secūdum ius canonicum, & superesset agnatus coniunctus defuncto, vel defunctæ in dicto secūdo gradu transuersali, tūc dictus agnatus in totum succedat. Dicta vero agnata dotetur de bonis dictæ hæreditatis, si non haberet tempore mortis defuncti, vel defunctæ, vnde se dotari posset, dummtamen dicta dos non transcendat id, quod de iure communi ab intestato fuisset habitura. Aliæ vero personæ per lineam agnatorum venientes a successione defuncti, vel defunctæ ab intestato excludantur extātibus agnatis vsque ad dictum tertium gradum de iure canonico. Et dicta hæreditas proximioribus ex dictis agnatis deferatur habita graduus prærogatiua secundum iuris ordinem. Addicientes, & statuentes quod in casu huius statuti, quod incipit. Cum satis honestum, legitimā mulierum, vel descendentium ex illis masculorum, vel fœminarum non intelligatur diminuta in casu, quo ascēdens masculus, vel fœmina testatus, vel testata decesserit non relictis descendentibus masculis legitimis, & naturalibus, & masculis legitimis, & naturalibus ex illis descendentibus. Sed integra remaneat, vt de iure cōmuni debet esse, perinde ac si hoc

sta-

statutum dictas mulieres, vel descendentes ex eis ab intestato non excluderet.

FRäciscus Foscari Dei gratia dux Venetiar.&c. Nobilibus, & sapiëtibus viris Andreæ Donato militi de suo mandato potestati, & Vitali Miani capitaneo Padue,& successoribus suis fidelibus dilectis salutem,& dilectionis affectũ. Significamus vobis, ꝙ in nostris consilijs rogatorum, & additionis in 1494. die 24. mẽsis Februarii,capta fuit pars tenoris infrascripti videlicet.Quod ad supplicationem nobis porrectam pro parte fidelis communitatis nostræ Paduæ per eius oratores confirmetur, & approbetur per hoc consilium quædam declaratio statuti de Successionibus mulierum, conditi in 1430.vbi per errorẽ est positũ, quod mater succedat in tertia,&c.videl.quod corrigatur,& ponatur in quarta prout examinatum, & cognitum est per sapiẽtes superinde assumptos,& reseruato arbitrio nostro dominio addendi, corrigendi, minuendi,& mutandi, vt de tempore in tempus nobis opportunum esse videbitur. Quare mandamus vobis cum prædictis nostris consiliis rogatorum,& additionibus quatenus prædictam partem prout iacet obseruare,& obseruari facere debeatis quantum ad vos attinet. Facientes has nostras literas in cancelaria vestri regiminis ad futurorum memoriam registrari. Data in nostro Ducali palatio die 11.mensis Iulii inditione secunda 1439.

ET vbicunque in præsenti statuto, & in præcedenti fit mentio de agnatis transuersalibus, quĩ

ha-

habeant fœminas, vel descendentibus ex eis, excludere intelligatur de illis agnatis, in quibus nulla macula illegitimatis, seu ascendẽtibus suis per lineam paternam fuisset, ita ꝙ illegitime nati, seu postea quandocunque legitimati, vel qui ex illis, seu altero eorum descendissent, vel in futurum descendent, etiam si pater legitime natus esset, non gaudeat beneficio horum statutorum ad exclusionem mulierum, nec ascendentium, sed descendentium ex illis. In descendentibus vero masculis intelligatur de masculis legitime natis, ita quod illegitime nati, vel qui ex illis descendissent, vel in futurum descendent etiam ex legitimo matrimonio similiter non gaudeant beneficio horum statutorum. Et idem in ascendentibus masculis seruetur.

DE REGISTRANDIS INSTRVMENTIS. RVBRICA.

QVoniam sæpius accidit, & in futurum euenire potest, tum ex casibus fortuitis, tum ex hominum negligentia, vel malitia imbreuiaturas originales deperdi, propter quod non parum præiudicii genenerari potest. Volentes huic morbo in futurum prouidere, statuimus, & ordinamus ꝙ infrascripta instrumenta, scilicet tutelæ, inuentaria pupillorum, & generaliter omnes vltimas voluntates, & testamẽta post mortem testatoris, notarius teneatur præsentare registro, si est nuncupatum, sed si

in

in scriptis à die publicationis. Item dotes, curariæ minorum, vel furiosorum, & inuentaria per eorum curatores fienda, & omnia alia instrumenta prædictorum nomine facta, & facienda debeant hoc modo registrari,& registrata in cancelaria cõmunis conseruari scil. quod notarius rogatus instrumentum aliquod super prædictis, vel aliquo prædictorum conficere à die publicationis, seu stipulationis infra quinquaginta dies si est in ciuitate Paduæ, vel infra centum dies, si est in districtu, aut in territorio Paduano, debeat instrumentum releuatum in publicam formam, vel saltẽ copiam abreuiaturæ scriptæ de verbo ad verbum, etiã in bombice cum signo, & nomine suo dare, & præsentare cancelario communis, vt illud ponat ad registrum & hoc sub pœna librarum vigintiquinque paruorum. Valeãt nihilominus instrumẽta interim confecta. Et reseruato tamen parti iure petendi dãnũ & interesse, si aliquod illi euenerit. Et valeãt nihilo minus talia instrumẽta,& registrari possint adhuc. Prædicta forma,& sanctio seruetur in quibuscunq; alijs instrumẽtis alieno nomine confectis, absentibus tamen a ciuitate,& districtu,& hoc tantum locum habeat in suprascriptis instrumentis. Alia vero instrumenta generis cuiuscunque non teneatur aliquis notarius præsentare registro, sed pars ipsa si voluerit illud in iudicio producere, prius faciat registrare, alias productum in iudicio, vel extra ad aliquid aliud nullam fidem faciat etiam nulla opposita exceptione, non tamen puniatur aliter,

ter, qui instrumentum suum non fecerit registrari. Et possint instrumenta quandocunque registrari ante productionem, & aliter non probent, vt supra dictum est. Hæc tamen non habeant locum in instrumẽtis à quinquaginta libris infra, nec in instrumentis procuratorum, vel actorum, vel sindicorum, qui ad lites constituuntur, quæ instrumenta nulli obligationi registri subiaceat, sed probent omnia non registrata. Item nec in sententiis pendente appellatione, sed ipsa appellatione pendente possint procedi, & fidem faciant etiam non registrata, post vero appellationẽ decisam debeant registrari vt supra. Itẽ quod cancelarius supradicta instrumẽta, vel aliquod eorum teneatur per se, vel suos notarios registrare, vel facere registrari infra duos menses a tempore, quo sibi data sint ad registrandum, sub pœna librarum decem pro quolibet instrumento non recepto, aut recepto, & non registrato, & damni, & interesse illius, qui est ex hoc damnificatus, quia in iudicio nõ potuisset forte instrumentum sic registratum producere, & propterea succubuisset, vel aliter damnum passus fuisset quoquomodo; Et quod omnia instrumẽta hactenus non registrata possint registrari quandocunq; ante productionem in iudicio, vt supra dictum est. & perinde valeant, ac si infra tempus debitum registrata fuissent, dummodo super annulatione dictorum instrumentorum, vel super facto, de quo loquitur, non fuerit iudicatum. Teneatur etiã quilibet notarius qui manuceperit aliquod testamentum

tum

ium sub dicta pœna memoriam registro siue cancelario communis præbere per scripturam summariam qualiter talis fecit tale testamētum die tali, & anno tali, & mēse tali, infra spacium quindecim dierum in ciuitate, vel triginta extra ciuitatem. Et quod post mortem dicti testatoris teneatur sub prædicta pœna registro præsentare formaliter & distincte testamentum dicti mortui, si requisitus fuerit per hæredem, vel alium, cuius interest. Et currat terminus quinquaginta dierum die requisitionis, aut a tempore, quo verisimiliter mors dicti testatoris potuerit peruenire ad notitiam notarij, & tunc habeat terminum dierum centum in casu verisimilitudinis, & cancelariæ communis pro tali summaria registratione in vita fienda pro labore detur grossus vnus per testatorem. Statuimus & ordinamus etiam, quod cancelarius cōmunis facta sibi fide de solutione debiti, & parte citata si fuerit requisitus de mandato domini potestatis, vel eius vicarij, teneatur scribere in margine cuiuscunque instrumenti debiti registrari solutionem de dicto debito saltem cum duobus idoneis testibus, & facere mentionem de fine dicti debiti, si facta fuerit, & pro tali scriptura accipere possit quatuor solidos Venetos, & non vltra.

THomas Mocenicus Dei gratia dum Venetiarum &c. Nobilibus & sapientibus viris de suo mandato potestatibus Montagnanę, Este, Montissilicis, Citadelæ, Castri baldi, & Campi santi Petri, nostri territorij Paduani districtus præsenti-

bus, & futurus fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Propter plurima inconuenientia, & & incommoda, quae ciues nostri Paduae patiuntur circa exactionem affictuum, & prouentuum possessionum suarum, quae in diuersis locis Paduani territorii laborantur, pro quibus aliquando expedit eorum colonos & rusticos facere pignorari, quia sponte soluere negligunt, volentes in hac parte iustas supplicationes ciuium, & communitatis nostrę Paduae cum admodum honestae, & rationabiles videantur exaudire. Deliberauimus cum nostris consilijs rogatorum, & additionis, eisque concessimus. Quod ciues Paduae mittere possint de Padua auctoritate potestatis nostri Paduae ad pignorandum omnes suos rusticos vbicunque habitent in territorio Paduano, qui ex affictibus possessionum, quas laborant, aut laborassent, essent ipsis ciuibus obligati, facta tamen prius ipsi potestati fide plenaria de dictis affictibus, sicut fuit retroactis temporibus consuetum. Ita tamen ꝙ ante pignorationem detur notitia rectoribus locorum, sub quorum iurisdictionibus dicti rustici habitabunt, & ab illis accipiatur licētia, quam denegare non possint. Sed si rustici negarent debita, pro quibus pignorarentur tunc discernatur per rectores, ad quos pertinebunt, secundum concessiones & iurisditiones solita, vtrum debita, pro quibus pignorantur, sint vera. Et si ciues Paduae facerent pignorari pro rebus, quas debite habere non deberent, soluant expensas inde factas in duplum. Et e conuerso si rustici ne-

ci negarēt, & cognitum esset, ꝙ iuste dare deberēt, soluant expensas duplicatas, quæ ex tali causa sequerentur. Quæ capitula mandamus vobis ad vos & regimen vestrum, & cuiuscunq; vestrum pertinet, vel in posterū pertinebit obseruare, & adimplere, ac obseruari & adimpleri facere effectualiter debeatis, & literas istas ad successorum vestrorum memoriam registrari. Data in nostro ducali palatio die 18. Februarij inditione octaua 1414.

Pars capta in consilio rogatorum, quod nullus possit se compromittere in potestatem, vel eius officiales.

QVod de cętero mandetur omnibus rectoribus, & in cancelarijs ciuitatum, & castrorum nostrorū registretur. Quod rectores non possint constringere aliquem tam ciuem, & districtualē, quàm quemlibet alium posse se compromitere modo aliquo, seu forma in ipsis rectoribus, nec in aliquo suo vicario iudice, vel officiali. Et si contrafactū fuerit, sententia facta per eos, seu eorum aliquem nullius sit valoris, & vigoris, quę obseruetur tam de rectoribus & vicarijs pręsentialiter stētibus in regiminibus, q̃ de ijs q̨ erunt de cætero.

DE CONSORTIBVS RVBRICA.

Statutum conditum ante. 1236.

QVilibet cōpellatur, & teneatur facere medietatem serraturarū hortorum, curiarū, clausu-

farum, & domorum de lignamine, & parietibus inter se, & vicinum suum, seu consortem. Et hoc habeat locum in ciuitate, & in suburbijs Paduæ, & in castri Paduani districtus. Et si volens claudere, denunciauerit consorti suo per præconē, quod debeat claudere partem suam, & consors, cui facta erit denunciatio, non clauserit infra 15. dies a die denunciationis factæ computandos, cōdemnetur ille, qui non clauserit, in solidis 20. communi. Et licitum sit illi, qui denunciare fecerit, claudere ab ipsis 15. diebus in antea. Et potestas, & eius iudices compellant illum, cui denunciatum fuerit, soluere expensas factas in claudendo, & credatur de expē-sis sacramento eius, qui clausit]. Et denunciatio prædicta fieri debeat de mense Martii, vel Aprilis de claudendis hortis, curiis, & clausuris. De serraturis verò domorum possit fieri denunciatio quolibet tempore. Et quilibet præco possit facere denunciationem prędictam sine aliqua commissione. Et de prædictis quolibet tempore cognoscatur etiam summarie. Et ad prædicta teneantur etiam conductores, & possint dictas expensas in affictibus computare, exceptis serraleis factis in hortis de gradicijs, vel cannis, nisi dominus infra dictum tempus fecerit serraturas ipsas. Et saluo quod liuellarius non possit dictas expensas computare domino suo.

Statutum vetus conditum ante dictum Millesimum.

SI posta molendinorum est in aliquo loco, quæ sit plurium personarum, & illi, qui habent par-

tem

tem in posta, vel aliqui ex eis voluerit laborare, & molendina ædificare, liceat illis, qui habuerint partem laborare in postam & molendina ædificare. Et hoc facientes possint ferrare bouas. Et dominus potestas ad petitionem alterius ex consortibus cõpellat, & astringat alium consortem ad faciendũ, vel aptandum partem suam sub pęna arbitrio suo auferẽda. Et nihilominus ille, qui soluere noluerit, interim nullum commodum percipiat, donec expensas factas per alium consortem in ædificatione refecerit pro parte sua.

Potestate D. Matthæo Quirino 1278.

NVllus in Padua, vel in burgis, vel in villis habeat, vel teneat aliquam arborem non fructiferam prope domum, vel curiã, vel aram, vel hortum sui consortis ad viginti pedes. Et si aliquæ sunt de præsenti, vel si de cætero erunt, incidantur per eos, quorum sunt, infra octo dies postquam per suum consortem fuerint requisiti sub pœna solidorum sexaginta pro qualibet arbore non fructifera. Et nogarię intelligantur esse arbores non fructiferæ. Et quilibet possit accusare & habeat medietatem banni. Et de prædictis quolibet tempore summarie cognoscatur. Et quicunque habuerit arborem etiam fructiferam supra tectum, vel murum, aut parietem domus vicini damnum facientem ipsi vicino, teneatur incidere infra quindecim dies, postquam denunciatum fuerit ei dictam arborem, seu illum ramũ, vel ramos, vel partẽ dictæ arboris

damnũ inferentũ vicino ſuo ſub pœna predicta. Et lauri, ſeu orarij intelligãtur eſſe arbores fructiferę.

Statutus vetus conditum ante dictum Milleſimum.

QVicunq; voluerit claudere de muro inter ſe & vicinum ſuum, poſſit requirere vicinum ſuum, ꝙ conferat ad expenſam, vel ꝙ det ſibi tantum terrenum, ꝙ poſſit ſuper eo murum facere. Et vicinus requiſitus teneatur, aut conferre ad expenſas pro dimidia, aut dare tantũ terrenum de ſuo, quod poſſit murus ſuper eo fundari & fieri. Et murus ipſe taliter fiat, quod ſit in fundamẽto duorum pedum, ſupra terram vero fiat vnius pedis cum dimidio in latitudine. Et murus ipſe factus ſit communis inter ipſos. Et ille qui fecit murum dato ſibi terreno per vicinum, teneatur murum vſque ad ſummitatem domus eleuare.

Poteſtate D. Federico de la Velonga de Brixia 1272.

SI vicinus habuerit ſuper ſuo terreno fundamẽtum factum etiam eleuatum a terra per tres pedes, & non velit ipſum vlterius eleuare, tunc & hoc caſu poſſit eius vicinus ipſum murum eleuare ſuis expenſis, vt in præcedenti ſtatuto dictum eſt, vſque ad ſummitatem domus ſuæ, & ſit murus cõmunis. Ita tamen quod reficere debeat ipſi vicino tantum quantum viriliter conſtare potuit ipſum fundamẽtũ cũ muro ſic eleuato in arbitrio duorũ magiſtrorum per partes eligẽdorum. Et illis diſcordantibus dominus vicarius domini poteſtatis Paduæ det ter-

tium,

tiũ, & tunc ſtetur taxationi per duos ipſorũ factæ. Si vero fundamentũ, vel aliqua eleuatio muri foret cõmunis inter vicinos, & vnus eorũ nõ velit ipſum eleuare, & alter vicinus velit ipſum eleuare, túc & hoc caſu volẽs poſſit ipsũ eleuare. Et quicquid eleuauerit, ſit eleuantis, ſeu eleuari facientis. Ita tamẽ quod quandocunq; alter vicinus voluerit reficere medietatem expenſarum factarum pro eleuatione ipſius muri, quod murus ſit communis inter eos.

NVllus inter ſe & conuicinũ ſuum faciat cloacam, vel ſedile, aut ponat ſub porticu vicini immundicias, vel aliquod contra formam ſtatutorum poſitorum ſupra ſub rubrica vltimi libri tertii de Immundiciis & cloacis, vel contra formam alicuius ſtatuti loquentis de prædictis, maxime poſiti ſub prima rubrica quarti libri.

Poteſtate D. Verri de Circlis 1283.

QVilibet habens, ſeu laborans, vel habitans aliquas terras, vel ſedimina iuxta aliquas vias publicas, vel conſortiuas, teneatur & debeat habere, & tenere ſuis expenſis pontes lapideos, vel ligneos ſuper ſuos ingreſſus, & aperire vaonos, & cauare foſſata, quæ ſunt inter vias prædictas & ipſas terras, ſeu ſedimina, & tenere ipſa cauata, & aperta, & expedita, & obſtacula de ipſis foſſatis remouere, ita quod aquæ quolibet tẽpore libere, & expedite, & ſine aliquo obſtaculo de foſſato in foſſatum defluant, & defluere poſſint ad loca inferiora veluti ad flumina aquæductus, ad decuras pu-

blicas,& canales. Terram vero, quę ex ipso fossatō veniet, proijcere hoc modo videlicet, quicquid pro vanga,seu manu prima extrahetur,possit proijcere in campo suo,& illam conuertere in commoditatē suam. Terram autem,quæ cauabitur prima vanga, seu manu infrà proicere debeat,& dimittere in via publica ipsa ad aptationem ipsius viæ, sub pœna librarum decem paruorum proquolibet contrafaciente, & pro qualibet vice. Predicta tamen locum non habeant in illis villis, in quibus non consueuerunt esse fossata inter sedimina,& vias communes,

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

VT fossata inter vicinos cohærētes in villis cauentur, & aque cursum habent latiorem. Statuimus & ordinamus,quod quilibet volen cauare, se remondare, vel facere fossatum aliquod inter terras suas, & terras vicini vbicunque positas in Paduano districtu, teneatur denunciare vicino suo quod cauet medietatem suam.Et si facta denunciatione cauabit partem suam, teneatur denunciator cauare similiter partē suam . Et hoc casu quilibet eorum possit terram ex sua parte fossati veniētem proijcere a latere possessionis suę.Et illam terram ex cauatione collectam conuertere in vsum,& vtilitatem suam. Si vero facta denunciatione, vicinus,cui facta denunciatio erit,dixerit quod nō vult cauare, aut si vsq;ad 15.dies non cauauerit partem

suam,

suã, liceat ex tũc cauare volẽti cauare totũ fossatũ ex vtraque parte. Et hoc casu omne terrenum inde extractum proijcere a latere possessionis suæ, & illud conuertere in commoditatem suam.

ALiquis non possit, nec debeat frangere aliquã viam publicam, vel consortium causa faciẽdi aliquem pontem, vbi non consueuerit esse pons, sub pœna librarum decem paruorum.

VIa terris non habentibus detur per terras proximiores cum minori incommodo, & damno ꝙ fieri possit. Et fiat conueniens ęstimatio, & solutio in denariis, vel cambio arbitrio iudicis victualium, seu militis D. Potestatis ad prædicta missi.

Potestate D. Fantone de Rubeis de Florentia 1284.

TEneatur iudex victualium quæstiones viarum publicarum, vel consortiuarum diffinire, & facere vias aperiri, & expediri infra vnum mensem postquam sibi denunciatum fuerit eas, fore occupatas, & clausas nullis ferijs obstantibus, sub pœna solidorum centum.

Potestate D. Roberto de Concorezo 1225.

SI aliquis habuerit in campanea Paduæ, vel in Paduano districtu duas pecias terræ, & per medium illarum peciarũ terræ vadat via vna ad aliam peciam terræ alicuius, tunc, & hoc casu ille, qui habuerit dictas duas pecias terræ possit claudere illam viam, & dare illi ab vno capite, siue latere prę-

dictarum

dictarum peciarum terræ aliam viam, per quam commode possit ire ap suam terram eadem conditione. Et super prædictis omnibus, & singulis in præsenti rubrica cõtentis summarie cognoscatur, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij.

DE SCVTIFERIS, ET SERVIENTIBVS. RVBRICA.

STatuimus & ordinamus, quod scutiferi, & servientes, mares, vel feminæ elapsis sex mensibus post recessum eorum à dominis, vel a dominabus eorũ, petere non possint salarium, & de salario eis intelligatur satisfactum. Saluo, quod in hoc dominis iuramentum præstare possint, quod sacramentũ domini subire, vel referre teneãtur, si dominus, vel domina viuat. Si vero dominus, vel domina mortua, vel mortuus esset, hoc casu nihil petere scrutiferi, & seruientes illi possint. Et idẽ seruetur in qualibet opera, & mercede cuiuslibet operæ post sex menses a die finitæ operæ computãdo, nisi infra dictum tempus domino, vel illi, quibus operę præstitæ sunt in iudicio super mercede, seu salario, fuerint interpellati, vel extra iudicium, probatione facta etiam per vnum testem de interpellatione. Et siue steterint, siue recesserint, nõ posśint petere salarium suum, nisi pro vno anno scil. vltimo, etiã si pluribus annis cum dominis, vel dominabus steterint, salua delatione iuramenti vt supra.

Stu-

Statutum vetus conditum anno 1236.

SCutiferi & bouarij, qui ſtant cum alijs ad mercedem, ſi receſſerint ante terminum ſine parabola dominorum, vel cum rebus dominorum, vel ſine rebus, poſſint impune capi a dominis, & verberari, & ad poteſtatē duci. Et ſi ducti fuerint, ponantur in carceribus communis Paduæ, & in eis detineantur vſque ad duos menſes, & minus arbitrio dominorum. Et poteſtas ac iudex quilibet teneatur dare preçones volentibus eos capere, ſi fuerint requiſiti. Et ſi ſcutiferi, vel bouarii irent ad ſtandum cum alijs ante terminum dominorum, & ſine eorum parabola, tunc & hoc caſu illi, qui receperint eos, cōdemnentur in ſolidis ſexaginta communi pro quolibet, ſi eos retinuerint poſtquam denunciatum fuerit eis per præconem, vel per dominos, quod eos non teneant. illud idem intelligatur de mulieribus, & famulis, & famulabus ſtantibus cum alijs ad pretium. quod tamen non habeat locum in publicis meretricibus.

Poteſtatè D. Curſio de Donatis 1288.

SCutiferi ciuium ciuitatis Paduæ, & burgorum non currant equos per ciuitatem, & burgos in pœna ſolidorum ſexaginta pro quolibet, & qualibet vice. Et ſi in porticibus, incidant in pœnam ſolidorum centum. Et quolibet caſu poſsit quilibet accuſare, & habeat medietatem banni. Et ſi pœnam illam ſoluere non poſsint, fuſtigetur ter circa

pala-

palatium,& tonsari debeant ad scutelam. Saluo quod hoc locum non habeat si domini scutiferorum erũt præsentes. in quo casu licite possint currere equos.

FRãciscus Foscari Dei gratia dux Venetiar. &c. Nobilibus & sapientibus viris Lucæ Truno de suo mãdato potestati Paduæ, & successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Fuerunt ad præsentiam nostram nonnulli fideles nostri mercatores,& apothecarij diuersarum artiũ commorantes in ciuitate nostra Paduæ, exponentes quod illa fidelis communitas nostra Paduæ, aut petiit, aut petere intẽdit à dominio nostro, quod nonnullæ concessiones per nos factæ ipsis mercatoribus, & apothecarijs, & præsertim quod credatur eorum libris à summa librarum decem paruorum infra cum eorum iuramento, tamen infringantur,& reuocentur. Quod si fieret proculdubio redundaret in ipsorum maximum præiudicium, atque damnum, & quodammodo cum destructione omnium mercatorum, & apothecariorum prædictæ ciuitatis nostræ. Quamobrem petierunt humiliter, vt sibi opportune prouidere vellemus. Nos autem his intellectis, & audito egregio artium, & medicinæ doctore magistro Stephano de Doctoribus, qui venerat ad nos orator illius ciuitatis, & quicquid dicere voluit, deliberauimus, & sic mandauimus vobis, vt exequi debeatis, quod concessio per nos ipsis mercatoribus, & apothecariis vt supra concessa de dando fidem libris suis cum eorum iuramento, &c. Vt in ea copiosius continetur, firma sit, & inuiola-

biliter

biliter obſeruetur. Et per præſentes eā rurſus confirmamus,& approbamus. Verum volumus, quod occurrente caſu,ſeu dubio aliquo vigore dictæ conceſſionis noſtræ aduertere debeatis, & omnē operam, & ſtudium adhibere, quod fraus ex aliqua parte non committatur. Sed quod id, quod iuſtum eſt, ipſi mercatores & apothecarij conſequantur. Data in noſtro ducali palatio die 17. Ianuarii, octaua indictione 1444.

DE STATVTIS COMMVNIS PADVÆ. RVBRICA.

Poteſtate D. Matthæo de Corrigia 1286.

ALiquod ſtatutum non proſit in criminalibus cauſis, niſi illis, qui in criminalibus cauſis ſubijciuntur ſtatutis communis Paduæ. In ciuilibus autem nemo gaudeat commodis ſtatutorum communis Paduæ, niſi ſit in datia communis Paduæ, & faciat, atque attendat onera, & factiones communis Paduæ.

Statutum conditum 1347.

ADitum fuit. Si prædicti habitauerint in Paduā vel Paduano diſtrictu, ipſe vel eius pater, mater, auus, vel frater, vel alius, cum quibus ſimul cohabiter in eadem domo, & ad eundem panem, & vinum. ſaluis pactis communis, & clericorum, quibus ſtetur, non obſtante ſtatuto prædicto.

Pote-

Potestate D. Marino Faletro 1339.

STatuta omnia, & singula in præsenti volumine scripta, obseruētur, & intelligantur ad literam, sicut iacent. Et in casibus nō comprehensis in statutis, quæ præsenti in volumine scripta sūt, quantum est in pœnis imponendis procedatur de similibus ad similia. Ita quod aliqua pęna nō possit excedere pœnam similis delicti in statutis comprehensis inspecta qualitate facti, & delicti.

Potestate D. Matthæo de Corrigia 1269.

QVicunque se non subiecerit statutis communis Paduę in quolibet casu non possit gaudere aliquo priuilegio, vel honore officio, aut beneficio communis Paduæ, neque habere aliquod ciuile munus in Padua, vel Paduano districtu.

Potestate D. Matthæo de Corrigia. 1208.

TEneatur potestas Paduæ, & similiter quilibet potestas, seu vicarius terrarum, & locorum Paduani districtus, ac quilibet rector, seu iudex, vel officialis communis Paduæ in Padua, vel Paduano districtu constitutus quantum ad ipsum, & ad officium suum pertineat, obseruare & obseruari facere omnia statuta, & capitula statutorum cōmunis & ciuitatis Paduæ præcisa, & non præcisa, & ad literam vt iacēt, & prout scripta sunt in præsenti volumine sine aliqua exceptione tam in sententiando, quam in procedendo, & in quocunque

casu

casu per statuta declarato.In casibus autem per statuta non declaratis obseruare debeāt,& facere obseruari ius ciuile.Deficientibus vero statutis Paduę & iure ciuili, tunc obseruent, & faciant obseruari antiquas, & bonas consuetudines ciuitatis Paduæ, seu illius castri,vel villæ,in qua statuti essent in Paduano districtu. Et quicunque scienter casu aliquo contrafecerit, condemnetur, & ipso facto condēnatus intelligatur qualibet vice in libris 50. paruorum pro quolibet statuto,seu capituli statuti non obseruato, saluis maioribus pœnis, quæ per statuta ordinatæ essent.

ALiqua fratalea, seu aliqui de fratalea ciuitatis Paduæ non possint facere aliqua statuta, vel ordinamenta sine licentia domini potestatis, sub pœna declarata in statuto quod incipit. Aliqua fratalea, scripto sub rubrica xiiij. libri primi voluminis noui statutorum. Et est statutum sequens.

Statutum vetus conditum ante 1236.

ALiqua fratalea Paduæ,seu vniuersitas,vel cōmunitas alicuius castri, vel villæ Paduani districtus,nō possit etiam interueniente auctoritate, & licentia D. Potestatis, vel alicuius alterius officialis,vel ius dicentis facere aliquod statutum, vel ordinamentum, quod modo aliquo sit contra statuta communis Paduæ, aut contra publicam vtilitatem, sub pęna librarum decem paruorum cuilibet personæ vocem vel balotam suam ponenti, &

libra-

librarum vigintiquinque fratalee,seu vniuersitati, per quam factum fuerit. & quilibet possit denunciare,& habeat medietatem banni.Et nihilominus tale suum statutum,seu ordinamentum non valeat vllo modo, & a nullo obseruetur, etiam si esset iuramento firmatum.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420. *die Mercurij* 7. *Mensis Iulij*.

Statuimus, & ordinamus quod omnia, & singula statuta, ordinamēta, reformationes,& additiones, quæ anno præsenti per dominos rectores, & statutarios ciuitatis Paduæ ad hoc legitime constitutos, seu per maiorem partem ipsorū factæ sunt, & in præsenti volumine statutorum cōmunis Paduæ scriptæ sunt, de cætero intelligantur, & debeant esse statuta communis Paduæ, & tanquam statuta mature,& legitime facta in præsenti volumine de nouo scripta obseruentur in Padua,& Paduano districtu, incipiendo cum nomine fauore,& auxilio altissimi, & optimi Dei nostri Iesu Christi die primo Septembris proxime futuri. Ita quod ab illo die in antea hæc noua statuta reformata, approbata,addita,& condita vim,& obseruationem incipiant habere, & secundū ista deinceps in ciuilibus, & criminalibus, & in aliis quibuscunque casibus ius dicatur & fiat. Et q̄ statuta contenta,& scripta in alio volumine nullatenus obseruentur, si &

ſinquantum & in illis partibus, in quibus modo aliquo cōtradicerent ſtatutis & reformationibus nouis in præſenti volumine ſcriptis. Si tamen vnicuique ſaluum, & reſeruatum ius, quoſt iam ſibi ex prioribus ſtatutis quæſitum eſſet, aut caſu aliquo ſeu modo vſque ad Calendas dicti menſis Septembris excluſiue quæreretur, & nulli quantum ad hoc præiudicium generetur. Et ꝙ lites, cauſæ, & quæſtiones, ac proceſſus quicunque incepti, ſeu incipiendi vſq; per totum menſem Auguſti in ciuilibus, & criminalibus, atque mixtis, compleantur & fiāt ſecundum formam ſtatutorum veterum, & per totum menſem Auguſti in cauſis inceptis, & incipiendis procedatur, terminetur, & fiat in omnibus & per omnia prout obſeruabatur, procedebatur, & fiebat antequam huiuſmodi reformatio ſtatutorum facta eſſet. Saluis tamen & exceptis reformationibus, & ſtatutis loquentibus de tabernariis, becariis, pelateriis, & aliis ſimilibus perſonis, quæ de præſenti obſeruationem habeant prout iam habere inceperunt. Et ſaluis & exceptis reformationibus, & ſtatutis de nouo factis diſponentibus de factionibus & æſtimis, quæ nullam obſeruationem habere debeant, niſi prius ęſtima de nouo reformata ſint. In caſibus vero & cauſis occurrentibus, ſeu motis, & inceptis finito dicto menſe Auguſti procedatur, cognoſcatur, & fiat ſecundum formam ſtatutorum in præſenti volumine ſcriptorum.

DE PRÆCONIBVS, ET EORVM SOLVTIONIBVS RVBRICA.

OLVTIO præconi fiat ſecundum taxationem infra declaratam, videlicet pro quolibet præcepto facto in palatio iuris, vel in plateis circa palatium exiſtentibus poſſit præco accipere ſolidum vnum.

PRo quolibet præcepto facto extra palatium iuris, & plateis palatii in aliquo loco in ciuitate Paduæ vel ſuburbiis, poſſit præco accipere ſolidos duos, & non vltra.

PRo qualibet tenuta voluntarie facta in ciuitate Paduæ, vel ſuburbijs, poſſit præco accipere ſolidos duos. Si vero per vim tenutam acceperit, aut ſequeſtrum fecerit, tunc habeat præco ſolidos tres, & non vltra. Et tantundem cuilibet baroderio, qui fuerit cum præcone, detur.

Pro quolibet precepto, ſeu tenuta facta extra Paduam in aliquo loco campaneæ Paduæ, ſeu per loca ſuſtinentia onera cum ciuitate Paduæ, poſſit accipere præco ſi voluntarie fuerit ſolidos quatuor pro vna ſola perſona. Et ſi fuerint perſonæ duæ citatæ vel pignoratæ, tunc poſſit præco accipere ſolidos tres pro qualibet. Si autem perſonæ citatæ, vel pignoratæ fuerint tres, vel plures, tunc poſſit præco accipere ſolidos duos pro qualibet. Si vero pignoratio, vel ſequeſtratio fuerit per vim facta, tunc poſſit præco accipere pro vna perſona tan-

tum

tum ſolidos ſex . Si pignoratio, vel ſequeſtratio fuerit per vim facta in bonis duarum, vel trium personarum , tunc poſſit præco accipere ſolidos quatuor . Si autem tenutam acceperit, vel ſequeſtrum fecerit in bonis perſonarum quatuor, vel abinde ſupra, tunc posſit præco accipere ſolidos tres cum dimidio pro qualibet perſona, & tantundem cuilibet baroderio, qui fuerit cum præcone, detur.

Pro quolibet præcepto, ſeu citatione, vel tenuta, aut ſequeſtratione facta extra ciuitatem, & cãpaneam Paduæ in aliquo loco diſtante a ciuitate Paduæ quinque milliaris, vel abinde infra, posſit accipere præco, ſi fuerit voluntarie pro vna perſona tantum ſolidos decem. Si autem fuerint duæ, vel tres perſonæ, tunc poſsit accipere ſolidos duos pro qualibet. Si vero pignoratio, vel ſequeſtratio fuerit per vim facta, tunc poſsit præco accipere pro vna perſona tantum ſolidos ſex . Si pignoratio, vel ſequeſtratio fuerit per vim facta in bonis duarum, vel trium perſonarum, tunc poſsit præco accipere ſolidos quatuor . Si autem tenutam acceperit, vel ſequeſtrum fecerit in bonis perſonarum quatuor, vel abinde ſupra, tunc posſit præco accipere ſolidos tres cum dimidio pro qualibet perſona, & tantũdem cuilibet baroderio, qui fuerit cum præcone detur.

Pro quolibet præcepto, ſeu citatione, vel tenuta, aut ſequeſtratione facta extra ciuitatem & campaneam Paduæ in aliquo loco diſtante a ciui-

tate Paduæ quinque milliarijs, vel abinde infra, possit accipere præco, si fuerit voluntarie pro vna persona tantum solidos decem. Si autem fuerint duæ, vel tres personæ, tunc possit accipere solidos octo pro qualibet. Si vero fuerint personæ quatuor, vel abinde supra, tunc possit accipere vsque ad numerum decem personarum solidos quatuor pro qualibet. Et si personæ fuerint numero vltra decem, tunc possit accipere solidos tres pro qualibet. Si autem pignoratio, vel sequestrum per vim fuerint, tunc possit accipere solutionem vt supra declaratum est, & tantundem possit accipere quilibet baroderius, qui cum præcone ad prædicta per vim facta fuerit.

PRo quolibet præcepto, seu citatione, aut pignoratione facta in aliquo loco Paduani districtus distante a ciuitate Paduæ vltra quinque milliaria, possit accipere præco si fuerit volũtarie pro vna persona tantum solidos duos pro quolibet milliari vltra dictam solutionem. Si fuerint duæ personæ, tunc possit accipere præco pro qualibet persona solidum vnum & denarios sex primo milliari. Si personæ fuerint tres, aut quatuor, tunc præco possit accipere pro qualibet persona solidos octo & non vltra. Si vero personæ fuerint quinque, vel abinde supra, tunc præco possit accipere solidos sex pro qualibet persona. Et in casu quo vltra decem milliaria personæ sint tres, vel abinde supra, fiat solutio præconi vt dictum est, habendo semper respectum ad numerum personarum tantum,

tum, & non ad milliaria. Si autem pignoratio, aut sequestratio facta fuerit per vim, tunc soluatur prę-coni, vt dictum est], & tantundem detur cuilibet baroderio, qui secum fuerit.

SOlutiones fiant præconibus secundum taxationem supra declaratam in quocunque casu, quo pignora non erunt conducta per præconem, & consignata in manu massarij pignorum Paduæ. In casu vero quo præco conduceret pignora, & cõsignaret illa dicto massario, tunc fiat sibi solutio pro rata in ratione quarti plus eius, quod dictum est videlicet, quod vbi supra dictum est, quod habeat solidos 4. possit hoc casu accipere solidos quinque, & sic de alijs referendo singula singulis. Et idem intelligatur de baroderiis, qui cum præcone fuerint.

PRo quolibet detento, & conducto ad carceres communis Paduæ, possit accipere præco solutionem secundum quantitatem debiti, pro quo detinetur, & secundum locum vbi detentio facta erit, videlicet si debitum erit librarum quinquaginta, vel abinde infra, & detentus fuerit in palatio iuris, possit accipere pręco pro se, & baroderiis solidos viginti. Si autem detentus fuerit in plateis cõmunis Paduæ, tunc possit accipere præco pro se & baroderijs solidos vigintiquatuor. Si vero detentio facta erit extra palatium, & plateas communis in ciuitate Paduæ, vel suburbiis, tunc possit præco accipere pro se & baroderijs tertium plus eius, quod dictum est. Si debitum erit librarum centum, vel

abinde infra vsque ad libras quinquaginta , tunc posſit accipere præco pro ſe & baroderiis, ſi detentio facta erit in palatio iuris Paduæ ſolidos vigintiquatuor. Si autem detentio facta erit in plateis communis Paduæ, tunc poſsit accipere præco pro ſe, & baroderiis ſolidos tigintaduos . Si vero detentio facta erit extra palatium,& plateas communis in aliquo loco in ciuitate, vel ſuburbiis Paduæ, tunc poſsit accipere pręco pro ſe & baroderijs tertium plus eius quod dictum eſt. Et ſi detentio facta erit pro debito excedente libras centum , tunc referēdo ſingula ſingulis accipere poſsit præco attento loco captionis pro ſe, & baroderiis tertium plus eius , quod ſupra taxatum eſt pro debito librarum centum.

SI detētio facta erit extra ciuitatem, & ſuburbia Paduæ intra terminos campaneæ Paduæ , & debitum fuerit librarum 50. vel inde infra , tunc poſſit accipere præco pro ſe, & baroderijs libras quatuor. Si autem debitum excederet libras quinquaginta vſque ad centum, tunc poſſit accipere præco pro ſe, & baroderiis libras 5. paruorum. Si vero debitum excedit libras centum, tunc poſſit accipere præco pro ſe, & baroderiis tertium plus eius, quod tunc dictum eſt.

SI detētio facta erit extra terminos ciuitatis Paduæ, & campaneæ infraquinque milliaria, tūc præco habeat pro ſe & baroderiis libras ſex.

Sifuerit à quinque milliariis ſupra vſque ad decem tunc habeat præco libras nouem pro ſe, & baroderiis.

deriis. Si autem detentio fuerit facta à decem milliariis vltra vbicunque sit, habeat præco libras decem pro se & baroderijs. Et in quocunque casu solutionis huiusmodi numerentur milliaria a ciuitate Paduæ.

In omnibus & singulis casibus, quibus decanus, vel officialis aliquis alicuius villæ citatur, vel pignoratur pro debito, vel maleficio, aut datio, seu facto aliquo spectante ad commune villæ suæ, fiat solutio præconi in ratione solidorũ octo pro quolibet decano, seu officiali villæ citato vel pignorato pro vno debito, seu facto tantum. Vbi autem citatio, vel pignoratio fieret in pluribus debitis, seu factis tangentibus commune villæ suæ, tũc fiat solutio præconi in ratione solidorum 4. pro quolibet decano, seu officiali villæ citato, vel pignorato vltra dicto solidos octo.

PRo quolibet decano, seu officiali villarum detento in ciuitate Paduę, & conducto in carceribus communis Paduæ, possit accipere præco pro se & baroderiis solidos octo, & non vltra.

IN quocunque casu detentionis diuidatur æqualiter solutio inter præconem & baroderium, seu baroderios, ita ꝙ tantum habeat præco quantum baroderius quilibet, qui cum eo fuerit, siue vnus tantum, siue plures fuerint.

PRæco aliquis, vel baroderius non audeat accipere solutionem suam, nisi ab illo, ad cuius instantiam mittitur, vel ab alio eius nomine soluente. Et nihil recipiat pro solutione sua ab eo, quem ci-

tare, vel pignorare, seu capere debet, neque ab aliquo suoluente nomine illius sub pœna priuationis officij, vel sub alia pœna imponenda arbitrio domini potestatis.

DE FORENSIBVS AD CIVITATEM PADVÆ ADMITTENDIS. RVBRICA.

Potestate D. Federico de la Velonga de Brixia 1272.

ORENSES omnes, & singulos, qui per decem annos continuos habitauerint in ciuitate Paduæ, & sustinuerint, seu scripti fuerint ad sustinendum onera, & factiones cum ciuitate Paduæ, ad ciuilitatem Paduæ admittimus, ita vt tanquam ciues Paduæ oriundi possint emere, & quocunque titulo acquirere bona immobilia, & iura, atque habilitamus, & habiles esse decernimus omnes & singulos habilitatos secundum formam statuti positi supra. Quibus licet acquirere, quod incipit; Hac inuiolabili sanctione, & prout in ipso statuto continetur.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

COgnoscētes clarissime, ꝙ pro amplificatione ciuitatis Paduæ facit, quod de nouo creentur,

&

& fiant ciues ciuitatis Paduæ, qui possint gaudere honoribus, & beneficiis huius ciuitatis, subeundo factiones, & onera communis Paduæ, sicut faciunt alij ciues Paduæ, concedimus, & damus plenariam libertatem dominis potestati, & capitaneo Paduæ, præsentibus, & quibuscunque successoribus suis pro quotiescunque comparebit coram ipsis aliquis forensis, qui veniendo cum sua familia ad habitandum in ciuitate Paduæ velit acquirere ciuilitatem, & effici ciuis Paduæ, possint D. Potestas, & D. Capitaneus Paduæ talem forensem ad dictam ciuilitatem admittere cum cōditionibus istis, videlicet, quod promittat, & corporaliter iuret, ꝙ factiones, & onera quæcunque tanquam ciuis Paduæ sustinebit, & ꝙ erit fidelis, & obediens sereniss. dominio nostro, & communi Paduæ. Cauent tamen domini potestas, & capitaneus, ne ad ciuilitatem admittāt aliquem, qui sit homo suspectus, aut malæ conditionis, & famæ.

Potestate, & Capitaneo, ac millesimo eisdem.

RVsticus, seu districtualis aliquis habitās in aliqua villa, vel castro Paduani districtus, non possit de cætero venire ad habitandum in ciuitate Paduæ, nisi emat de nouo vnum garbum, vel vnam domum de lignamine factam intra muros ciuitatis Paduæ sitam, & nisi prius quàm veniat ad habitandum Paduæ ædificet in eo garbo, vel domo, ita ꝙ faciat vnam domum coopertam cupis, & solearatam, & ipsam claudat de muro saltem à tribus

par-

partibus, videlicet à parte anteriori domus versus viam publicam,& ab vtroque latere versus vicinos suos, eleuando de muro a terra vsque ad tectum cuporum. Et hoc casu ædificare etiam ita teneatur, q̄ domus ipsa habeat decentem porticum, ita quod porticus sit eleuata, & alta a terra vsque ad trabes ad minus octo pedes, & tantum laborare debeat in ædificatione dictę domus, quod expendat ad minus ducatos centum auri vltra pretium emptionis ipsius garbi, vel domus emptæ. Et in aliquo casu huius statuti nō sufficiat alicui rustico, vel districtuali venienti,seu venire volēti habitatum Paduæ, si haberet aliquem garbum, vel aliquam domum etiam plus valētem. Sed debeat omnino,& teneatur volēs vti beneficio huius statuti emere de nouo vnum garbum, vel vnā domum de lignamine factam, & ædificare atq;expendere vt pictum est, & quilibet, q̄ prædicta adimpleuerit emendo, & ædificādo,ac laborando secundum formam huius statuti, possit venire habitatum Paduæ. Et completo ædificio, & nō ante habeatur & reputetur pro ciue ciuitatis Paduæ, & tanquam ciuis Paduæ sustinere debeat pro omnibus bonis suis vbicunque sitis onera, & factiones cum ciuitate Paduæ. Et deinde non possit compelli ad sustinendum aliquas factiones reales, vel personales,seu mixtas cum villa,vel castro, de quo, vel qua exiuit, vel alia aliqua villa, vel castro,cum qua,vel quo prius sustinuisset. Et in casu huius statuti intelligatur ciuitas Paduæ totum illud, quod cingunt muri ciuitatis, seu spaldi burgorum,

rum,

rum, qui pontibus leuatoriis, & portis clauduntur & non extra. Et quicunq; non seruata forma præsentis statuti veniet de aliqua villa, vel castro Paduani districtus habitatum Paduę, non intelligatur, neque reputetur ciuis Paduæ. Sed teneatur nihilominus factiones, & onera quæcunque sustinere continue cum illa villa, seu castro, de quo, vel qua exiuit. Et in omnibus, & per omnia tractetur, & reputetur perinde, ac si in villa, seu castro continue habitaret, & beneficio huius statuti aliquo modo non gaudeat.

Potestate D. Marino Faletro 1339.

QVi de aliquo castro, vel villa Paduani districtus de cætero venient ad habitatum in ciuitate Paduæ secundum formam statutorum communis Paduæ, debeant continue vsque ad tempus decem annorum cum familia, & massaritijs stare, & habitare in ciuitate Paduæ, & nullum in villis donicatum tenere, non obstante aliquo contractu, vel pacto facto inter ipsos, & communia alicuius villæ. Saluo quod quindecim diebus ante festum S. Petri de mense Iunii vsq; ad festum sanctæ Margaritæ pro facto messium, & tiblarum, & à festo Sanctæ Mariæ de Septembri vsq; ad octo dies post festum Sanctæ Iustinæ ire, & stare in villis possint. Aliis vero temporibus possint ire, & stare in villis quatuor diebus tantum redeundo Paduam ipsis animatis, filiis, & familiis eorum semper in ciuitate manentibus. Et si contra prædicta, vel aliquod prædictorum

ctorum fecerint, cum villis, de quibus exiuerint, subire onera teneantur. Si autem ad villas redire voluerint, cum ipsis villis onera subeât, & a ciuitate nullatenus aggrauentur.

DE FACTIONIBVS IMPONENDIS, ET POENA NON SVSTINENTIBVS. RVBRICA.

Potestate D. Marino Faletro 1339.

CApita centenariorum, seu homines alicuius cētenarij ciuitatis, vel burgorum Paduę, aut decani, seu merici, vel massarij, seu homines alicuius villæ Paduani districtus non audeant, nec præsumant imponere, seu imponi facere inter se, seu inter homines sui centenarij, vel villę, aut castri, vel in eorum, seu alicuius eorum centenariis, vel villis aliqua datia, vel collectam, vel aliquod aliud grauamen, siue onus, nisi prius obtenta licentia à domino potestate, vel eius vicario. Et tamen saluo, ꝙ homines cuiuslibet villæ Paduani districtus inter se, & secundum æstimum suum possint imponere, seu imponi facere sine alicuius licētia, & requisitione collectas, & datia, quando eis impositum, seu iniunctum esset aliquod onus, vel aliqua collecta, seu datium per dominium nostrum, seu per commune

Paduæ,

Paduæ,ad hoc vt possint præfacto dominio nostro, seu communi soluere, & satisfacere illud, quod sibi esset impositum. Et nó imponant aliquod datium, seu collectam,quæ excedat quantitatem illam,quæ sibi imposita fuerit, & quantitatem expensarum, quæ erunt necessariæ pro euidenti vtilitate sui cómunis. Et si contrafactum fuerit, tunc homines illius centenarij, seu commune illius villæ, vel castri puniantur, & condemnetur pro qualibet vice in libris 25. paruorum. Et datia imposita in commune Paduæ deuoluantur. Et quilibet cuiuscunque conditionis existat,qui fuerit auctor,seu fautor,vel consiliator,aut instigator, vel tractator prædictorum puniatur in libris quinquaginta, etiam si conatus, vel tractatus eius non habuerit effectum.

Potestate D. Iacobino Rubeo 1205.

ALiqua persona in Padua, vel in Paduano districtu non accipiat aliquod alicui conducēti ligna,mercimonia, seu victualia in Padua occasione pedagii, seu mudæ, vel alia ratione occasione datii. Et qui cótrafecerit illud in duplum restituat. & insuper solidos centum pro qualibet vice soluat, & quilibet posſit accusare, & habeat medietatem banni. Saluis datiis, & angariis impositis, & imponendis per serenissimum dominium nostrū, seu pro commune Paduæ.

Statutum vetus conditum ante 1236.

NOn liceat domino episcopo, vel domino abbati sanctæ Iustinæ, aut Candianæ, vel prataleæ, aut alicui Ecclesiasticæ personæ aliquod datiũ per se, vel alium imponere, vel exigere in aliqua villa Paduani districtus contra voluntatem illorum neq; liceat sibi penes aliquem habitatorem, seu laboratorem, vel vassallum suum hospitari, vel violentiam aliquam, vel molestiam facere alicui, saluo tamen sibi iure in suis armariis, & suis albergariis. Et qui contrafecerit per se, vel alium, restituat duplum illi, cui ablatum fuerit. Et super hoc stetur iuramento eius, qui spoliatus erit, & vltra hoc soluat contrafaciens pro bannis communi libras 25. paruorum. & eadem pęna puniatur quilibet habitator seu laborator, vel vassallus eorum, qui eos, vel aliquem eorum receperit vigore alicuius conuentionis, vel pacti.

Potestate D. Marino Faletro 1339.

ALiquod commune, vel singularis persona alicuius villæ Paduani districtus, non audeat, vel præsumat aliquod datium, vel collectam sibi impositam, vel iniũctam ad petitionem dominorum episcopi Paduani, seu abbatis sanctæ Iustinæ, Candianæ, aut prataleæ, vel alicuius singularis personæ ecclesiasticæ, aut sæcularis soluere facere, vel imponere sub pœna librarum 25. paruorum communi, & librarum decẽ singulari personæ procuranti, vel soluenti prædicta.

Pote-

Potestate D. Marco Quirino 1257.

OMnes possessiones, & domus in Padua, vel Paduano districtu sitæ vbicunque deuolutæ sint, siue ex testamēto, siue ab intestato, siue ex donatione causa mortis, seu quolibet alio modo ad quoscūque peruenerint, cuiuscunque conditionis, seu status existant, teneantur, & debeant subire, & sustinere omnes factiones, & onera ciuilia cum ciuitate Paduæ, vel cum villa, seu castro, cum quo debent sustinere secundum formam statutorum loquentium de prædictis.

Potestate D. Matthæo de Corrigia 1269.

QVicunque se defenderit, vel defendere voluerit ab oneribus, & factionibus cōmmunis Paduæ, aut qui se non subiecerit statutis communis Paduę in quolibet casu, vel qui non facit, vel non attendit onera, & factiones communis Paduæ, non possit, nec debeat esse de cōsilio aliquo ciuitatis Paduæ, vel alicuius villæ, vel castri Paduani districtus, neque habere aliquod officium, aut beneficiū ordinarium, vel extraordinarium, nec percipere salarium aliquod à cōmuni, nec habere aliquod ciuile munus. Et illud idem seruetur de quolibet, qui prętextu alicuius priuilegii, seu clericatus se defenderit, aut defendere voluerit à prędictis factionibus communis. Et potestas, & quilibet suorum iudicum possint, & debeant inquirere de prædictis, & illos cassare, quos inuenerint culpabiles in prædictis, & compellere ipsos ad deponendum officium,

cium, & ad restituendum duplum salarij, quod ex ipso percepissent, seu percepturi essent.

Potestate D. Thoma Iustiniano 1270.

SI aliquis, qui non attendat onera, & factiones communis Paduæ, seu aliquod collegium, vel vniuersitas nō sustinens factiones communis vtetur aliquo priuilegio contra commune Paduæ, uel contra ciuem aliquem Paduanum, seu in præiudicium communis Paduæ, uel alicuius ciuis Paduæ coram potestate Paduæ, vel coram aliquo iudice, vel officiali potestatis, aut communis Paduæ, seu coram D. Episcopo Paduano, uel coram alio quocunque iudice ecclesiastico, aut ciuili, illa persona, collegium, uel uniuersitas, vel alius de dicto collegio, & vniuersitate nunquam consequi posit, uel obtinere à communi Paduæ aliquam gratiam, uel munus, uel auxilium paruum, uel magnum. Et potestas si contra ea fecerit, puniatur in libris centū. Si uero fuerit iudex, uel alius officialis, condemnetur in libris 50. Si uero fuerit aliqua priuata persona, condemnetur in libris 25. Et nihilominus priuilegium illud destruatur. Et potestas, seu alius iudex, uel officialis talia priuilegia nullo modo debeat obseruare.

Potestate D. Marino Faletro 1339.

OMnes, & singuli ciues ciuitatis Paduæ origine, uel alio quolibet modo, qui habeant bona

immo-

immobilia in Padua, vel districtu, qui scripti non erunt, & qui scripti erunt & non sustinuerint onera & factiones cum ciuitate Paduæ, vel villis Paduani districtus, habeantur pro forbannitis, & ipsis agentibus non reddatur ius in causis ciuilibus. Et hoc idem intelligatur in quocunque alio forense, qui habeat possessiones in Padua, vel Paduano districtu. Et bona supradictorum talium ciuium & forensium si reperta fuerint, ponantur, & poni debeant in æstimis communis Paduæ, seu villarum, vel castrorum Paduani districtus, cum quibus secundum formam statutorum communis Paduæ deberet sustinere ex prædictis bonis, & earum æstimatio exigatur per exactores impositionum. Et ipsorum talium ciuium, seu forensium non sustinentium, bona describantur per capita centenariorum, si fuerit in Padua sita, vel per decanos, seu massarios villarum, vel castrorum, si fuerit in villa, vel castro aliquo Paduani districtus posita, & scripta dentur domino potestati Paduæ, vel Vicario suo, si fuerint in loco aliquo subiecto in ciuilibus iurisdictioni domini potestatis Paduæ, aut dentur potestati illius castri, sub quo erunt posita, si fuerint sub aliquo castro Paduani districtus merum & mixtum imperium abente. Et Vicarius domini potestatis Paduæ, seu dominus potestas Paduæ, vel illius loci, cui data erunt illa bona in scriptis, teneātur sub vinculo iuramenti facere ęstimari dicta bona per bonos, & fideles homines sustinentes onera, & factiones cum ciuitate Paduæ, cum villa, seu

castro illo, & facere scribi bona illa cum aestimo suo in vno libro, qui ad hoc specialiter deputatus habeatur.]Et facere colligi reditus bonorum ipsorum per sindicos villarum, vbi, vel in quibus sunt bona illa, aut per massarium centenarii, sub quo essent. Et quilibet sindicus seu decanus, vel massarius, qui praedicta facere neglexerit, puniatur in libris 25. paruorum. Et nihilominus teneatur facere, & compellere ad praedicta, & quilibet possit denunciare, & habeat medietatem banni.

Statutum vetus conditum 1331.

QVilibet, qui reperiatur scriptus in duobus, vel pluribus centenariis, vel locis ciuitatis Paduae in aestimis, vel impositionibus ciuitatis Paduae, teneatur, & debeat solum sustinere cum centenario, & in eo loco, in quo fuerit repertus habitare tempore facti aestimi, siue impositionis, & non possit molestari, quod cum aliquo alio centenario, vel quarterio sustineat illas factiones, & canceletur, ac ipso facto cancelatus intelligatur de illo, centenario, in quo non habitabat tempore facti estimi, vel impositionis. Et alicui non possit fieri impositio, vel grauamē pro aliquo, seu in aliquo centenario, quam in eo & pro eo cētenario, in quo habitauerit tēpore facti aestimi, seu impositionis grauaminis, vel datiae.

Potestate D. Federico de la Velonga de Brixia 1372.

QVicunque rusticus de aliqua villa, vel castro Paduani districtus sustinens in aliquo praedictorum

ctorum locorum onera, & factiones de cętero bona sua, vel partem eorum vendiderit, aut donauerit, vel alio quocunq; modo transtulerit in aliquem ciuem Paduæ fraudulenter, vt euitet onera, & factiones, cōdemnetur in amissione ipsorum bonorū. Quæ bona diuidantur in tres partes, ita quod vna pars sit accusantis, & altera pars sit communis Paduę, & alia tertia pars sit illius communis villæ, vel castri, in cuius fraudem talis venditio, seu alienatio facta fuerit. Et dicta donatio, venditio, vel quæuis alia translatio, seu alienatio nō valeat. Et ciuis, qui venditionem, seu donationem, aut translationem, vel alienationem prædictam in se susceperit, vel acceperit in fraudem alicuius villæ, vel castri Paduani districtus, condemnetur in pretio rei taliter sibi venditæ, seu donatæ, vel translatæ, & dicti pretij medietas sit communis Paduæ, & altera denunciantis, vel accusantis. Et iudex Aquilæ possit, & debeat de prædictis cognoscere, & ad instātiam accusantis, seu denunciantis, aut ex officio & pronominatu debeat deferre iuramentum etiam ante litem contestatam ciui Paduæ accusato, vel denunciato de prædictis, si prædicta, vel aliquod prædictorum commisit.

Potestate eodem & millesimo.

RVsticus & districtualis quilibet requisitus per æstimatores villæ, vel castri sui teneatur & debeat denūciare sine aliqua fraude dictis æstimatoribus suis omnia sua bona sub poena librarum

decem pro centenario valoris rei occultatę. Et huius pœnæ tertia pars sit communis Paduæ, & alia tertia pars sit communis illius villæ, vel castri vbi æstimum illud fiet, & alia tertia pars sit accusantis.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

AD castigandum malitiam eorum, qui æstima ciuitatis Paduę defraudarent, statuimus & ordinamus, quod per dominum potestatem Paduæ cum deliberatione, & consilio sapientum deputatorum ad vtilia communis Paduæ eligantur singulis sex mensibus tres officiales boni, & fideles viri ciues, & habitatores ciuitatis Paduæ, qui teneantur, & debeant diligenter inquirere, & inuestigare de omnibus & singulis, qui fraude aliqua in scriptis suis vsi essent, ac possint, & teneantur, & debeat dicti officiales audire omnes & singulos, qui accusarent, vel denunciarent aliqua æstima pefraudasse, & contra accusatos, seu denunciatos procedere, ac culpabiles condemnare videlicet, si reperirent aliquem non dedisse vere, & integre bona sua in scriptis, debeāt illum compellere ad soluendum duplum omnium impositionum tunc impositarum, quas pro tempore præterito à die æstimi factij computando soluere debuisset pro illis bonis, quę in scriptis suis se habere non manifestabit. Et huius pœnæ medietas sit cameræ dominij nostri, & altera medietas sit, & exigatur, & dispensetur in vtilitatem communis Paduæ, prout melius videbitur sepientibus ad vtilia

lia communis deputatis. Et vltra hoc deceptor ille condemnetur in tantundem, quãtum videlicet pro banno vt supra soluit, & quantitas ista debeat applicari officialibus prædictis in totum, si ex inquisitione, & ex officio suo fraudem inuenerint. Si vero accusator, vel denunciator aliquis interuenisset, tũc & eo casu dicti officiales debeant habere medietatem dictæ condemnationis, & altera medietas sit accusatoris, vel denunciatoris, & quilibet possit accusare, & teneatur in credentia, si voluerit. Non tamen habeat locum præsens statutum, nisi factis æstimi de nouo, & non ante.

Potestate D. Federico de la Velonga de Brixia 1272.

PRobari possit quem sustinere factiones, & onera cum ciuitate Paduæ, seu castro, vel villa Paduani districtus eo ipso, quod scriptus sit, & appareat in libro æstimi, seu custodiæ tantum.

DE ÆSTIMIS, ET FACTIONIBVS CIVITATIS PADVÆ. RVBRICA.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

VT onera, & factiones, quæ ciuibus Paduæ sustinẽda occurrunt æqualiter diuidantur, & pondus quisque humeris suis dignum ferat, statuimus & ordi-

& ordinamus, ꝙ datiæ, factiones, & onera quæcũque realia, quæ de cætero ciuibus Paduæ imponẽtur, debeant diuidi æqualiter ad æstimum, ita ꝙ q libet pro æstimo suo soluat. Et ad hoc vt in æstimis faciendis nulla fraus committatur, sed veritas melius videatur, possint, & debeant de cætero fieri de nouo æstimo ciuitatis Paduæ singulo triennio.

QVandocunq; æstima ciuitatis Paduæ facienda erunt, eligantur per dominum potestatem Paduæ cum deliberatione & consilio sapientum deputatorum ad vtilia communis per quarteria, vel centenaria ille numerus ciuium, & illius prudẽtiæ & qualitatis, qui sibi melius apparebit, & fiat de mandato D. Potestatis Paduæ publicum proclama, locis, diebus, & horis debitis consuetis, præcipiendo, ꝙ quilibet ciuis ciuitatis Paduæ debeat vsque ad certum terminum dedisse, & pręsentasse in scriptis sine fraude ad cancelariam communis Paduæ domos, possessione, mercantias, & quæcunque bona sua, quæ æstimanda sint. Et facta proclamatione prædicta, teneatur & debeat quilibet ciuis, & habitator Paduæ, & quilibet debens sustinere onera & factiones cum ciuitate Paduę infra terminum in proclamatione declaratum, scribere sinè fraude, & in scriptis præsentare ad dictam cancelariam ordinate conditionem suam, declarando per hæc, & similia verba. Ego talis, qui habito Paduæ in tali quarterio, & centenario, habeo infrascripta bona, videlicet vnam domum in tali contrata, quæ affictata de pręsenti est libras decem.

Item

Item vnam possessionem camporum vigintiquinque in vna , vel in pluribus peciis, positis in tali villa, de qua percipio quolibet anno staria decem frumenti . Item habeo in mercantia artis lanæ ducatos mille, & similia. Item habeo in dicta mercantia de bonis Martini ducatos centum ad commune lucrum,& damnum.Item habeo decem filios masculos & duas fœminas, & notarij cancelariç communis teneantur& debeant scriptas omnium & singulorum prout sibi præsentatæ erunt, acceptare,& diligenter infilzare, & custodire , & debeant facere, & habere suis expensis quatuor libros magnos, & autenticos saltim de charta papyri, ita ꝙ quarterium quodlibet habeat vnum librũ per se , & in quolibet libro sint centenaria illius quarterii diuisa ordinate per capitula, & scriptas quascunque sibi præsentatas debeant registrare in ipsis libris taliter, ꝙ in illo libro, & sub illo quarterio & centenario scriptas ponent, & registrent,in quibus præsentantes habitabunt, ponendo de verbo ad verbum prout sibi præsentatum in scriptis erit. Et nihilominus teneantur dictas scriptas infilzare debito ordine, & diligenter custodire, ita ꝙ semper quandocunque opus fuerit , videri possint. Et quia dignus est mercenarius mercede sua, statuimus, & ordinamus, quòd quilibet præsentans scriptam suam, & teneatur & debeat solutionem facere dictis notarijs tempore prçsentationis secundum quãtitatem scripturæ sibi præsentatæ,dando de minoribus solidum vnum, & deinde

aſcendendo vſq;ad ſolidos quindecim & non vltra. Elapſo vero termino in dicta proclamatione conſignato, debeant quandocunq; ad præceptum D. Poteſtatis congregari illi ciues, qui vt ſupra electi ad æſtima facienda erunt. Et ſub vinculo corporaliter iuramenti præſtiti diligēter & fideliter omni amore, odio, timore, præce,& pretio remotis, videre & examinare ſcriptas omnes & ſingulas præſentatas,& quandocunque ponere in æſtimo prout conſcientia ſibi dabit. Et vt rationem æſtimi ſui videre quiſq;poſſint,debeant dicti ęſtimatores ſcribere à tergo ſcriptæ cauſas, quibus æſtimant in tali quàntitate. Deinde fiāt alii quatuor libri de chartis de papyro expēſis communis, in quibus ſolum ſcribantur nomina ſingulorum, qui in æſtimo ſunt, & quantitas æſtimi ſui, vt Franciſcus Polentonus in libris ſeptem paruorum, & ſic de aliis. Et quilibet ſecundum quod in æſtimo poſitus fuerit, ita pro rata ſua debeat angarias ſoluere,& onera ſuſtinere.

Poteſtate D. Marino Faletro 1339.

QVantum ad onera quæcunque ſuſtinenda intelligantur eſſe ciues Paduæ, & tāquam ciues Paduæ tractentur, & ſuſtinere debeant omnes, & ſinguli habitantes in campanea Paduę intra terminos, ſeu intra ea loca, in quibus habitantes ſolent ſuſtinere onera, & factiones cum ciuitate Paduæ, non obſtante, quod ſint ruſtici, & habitent extra muros, & ſuburbia ciuitatis Paduæ.

DE

DE POSSESSIONE TVRBATA. RVBRICA.

Potestate D. Matthæo de Corrigia 1258.

NVllus auctoritate sua per se, vel alium invadat, seu occupet possessionem, vel quasi alicuius taliter, quod priuet eum possessione sua. Et qui contrafecerit de cętero, condemnetur in libris quinquaginta, & possessio, vel quasi restituatur sine quæstione, & querela cum damno, expensis, & interesse. Qui vero se intromiserit, vel turbauerit aliquem in sua possessione, condemnetur in libris vigintiquinq; paruorum. Et possint in dictis quæstionibus produci positiones, & capitula per partes, ac possint quæstiones committi sapientibus, cum quasi sint similes quæstionibus ciuilibus.

Potestate D. Marino Valeresso 1279.

SI aliqua persona, cuiuscunque conditionis, & status existat, violenter intrauerit, aut se intromiserit modo aliquo, seu intrare vel se intromittere voluerit ordine iuris prætermisso in possessione, vel quasi possessione alicuius, commune illius villæ, in qua illa possessio, vel quasi erit sita, teneatur defendere possessione, vel quasi, & illum, qui erat in possessione, vel quasi defendere, & restituere incontinenti omnimode, & sine mora in tenutam, & possessionem illius possessionis, vel quasi,

de

de qua fuerit inquietatus, vel quæ fuerit eidē ablata eo die, quo denunciatum sibi, seu officialibus dictę villę fuerit per eum, qui passus est violentiam, sub pęna librarum quingētarum paruorum, & minus secundum conditionem dictæ villæ, & secundum qualitatem facti, & personarum pro qualibet vice. Et si homines dictę villę non possint adimplere prędicta, tunc commune, seu officiales dictæ villæ debeant prædictam violentiam, & inquietationem denuũciare D. Potestati, vel vni ex iudicibus suis sub pęna prædicta. Et D. Potestas denunciatione facta, teneatur, & debeat incontinenti, & sine mora restituere, & manutenere passum violentiā in tenutam, & vacuam possessionem, vel quasi illorum bonorum, de quibus eidem denunciatio facta fuerit quolibet iuris ordine prętermisso, & procedere debeat contra turbatores, & inquietatores, & eos punire, & condemnare secundum formam statutorum communis paduæ, sub pęna librarum 200. de salario suo applicanda communi.

Potestate D. Iacobo de Rangonibus 1375.

VIllanus quilibet, qui minatus fuerit alicui accipienti, seu accipere volenti possessionem, vel decimam alicuius ciuis paduæ ad laborandum, colendum, vel habitandum, vel alio aliquo quocunque modo prohibuerit, aut vetuerit, seu vetare, vel prohibere voluerit re, aut verbo, vel opere dominum possessionis, uel quasi directe, vel vtiliter, vel ha-

habētem ius in re, locare dictam possessionem, seu decimam, vel ipsam affictare, aut modo aliquo alio dare ad laborandum, uel laborari facere, puniatur in libris centum paruorum, & minus usque ad poenam librarum 25. in arbitrio domini potestatis, inspecta qualitate personarum, & facti, & huius poenae medietas sit communis, & altera domini possessionis, & villanus ipse etiam teneatur in carceribus per vnum mensem. Et de praedictis credatur iuramento domini, vel quasi domini, vel habentis ius in re, dummodo sit bonae famae, & opinionis in arbitrio domini potestatis. Et nihilominus villanus ille teneatur ad emendationem damni, facta legitima probatione damni praedicti. Et praedicta omnia, & singula habeant locum etiam in Padua, & in campanea Paduae, & in quolibet loco Paduani districtus.

Potestate D. Marino Faletro 1339.

QVicunque vendiderit, vel alienauerit rem immobilem duobus, tanquam falsarius puniatur, & potestas illam pęnam falsitatis apponat, seu infringat eidem, quem elegerit de specificatis in titulo de Falsariis. Si vero fuerit res mobilis mitius puniatur ad arbitrium potestatis, inspecta qualitate personarum, & facti.

Potestate D. Iacobino Rubeo 1267.

QVi per se, vel alium fregerit, vel inciderit, aut fregi, vel incidi fecerit aliquem aggerē, intelligendo de aggeribus scriptis in volumine statutorum communis Paduae, si captus fuerit vltimo

sup-

ſupplicio puniatur, vel aliter etiam in pecunia ad arbitrium poteſtatis. Si autem fugerit perpetuo bãniatur. Et hoc locum habeat etiam in omnibus aggeribus factis, vel de cætero faciendis in Paduano diſtrictu auctoritate conſilii generalis, licet ſcripti non reperiantur in ſtatutis.

Statutum vetus conditum ante 1236.

QVicunque ſua auctoritate fregerit, inciderit, ſeu deuaſtauerit, clauſerit, vel impediuerit aliquam viam publicam, vel conſortiuam in ciuitate, vel in campanea Paduæ, vel in Paduano diſtrictu, condemnetur in libris 25. Et ſi vi vſus fuerit, qui prædicta commiſerit, condemnetur in libris centum paruorum pro qualibet vice. Et quicunque contrafecerit, teneatur reſarcire damnum paſſis. Et poteſtas teneatur ex officio ſuo inquirere diligenter de prædictis, ſi fuerit requiſitus.

Poteſtate D. Fantono de Rubeis 1284.

ALiquis non debeat facere molendina, ſeu ædificium aliquod in foſſato nuper facto in ſcondoſia inter nos, & Veronenſes, ſed ſemper debeat ipſe foſſatus expeditus permanere, nec poſſit aliquis ſuper terraleum ipſius foſſati, nec prope culmẽ ipſius foſſati per 25. pedes facere aliquod opus de nouo, vel plantare. Idem intelligatur de foſſato turris de Eſte. Et contrafaciens puniatur ſecundum formam ſtatuti loquentis contra illos, qui incidunt aggeres, & eandem pœnam patiatur. Et

po-

potestas Montagnanæ,& Este, & officiales vtriusque communis teneantur infra tertium diem denunciare D. Potestati Paduæ nouitates factas in dictis locis, sub pœna librarum quinquaginta pro quolibet officiali,& potestate,& librarum centum pro quolibet communi. Communia tamen dictarum terrarum non teneantur ad aliquam pœnam, inquam incideret potestas, vel officialis prædictarum villarum.

ALiquis non possit incidere,vel deuastare rostã alicuius molendini positi in Padua,vel paduano districtu in pœna librarum centum. Et prædicta non habeant locum in molendinis prohibitis teneri per statuta communis Paduæ.

NVllus posset facere tenere, vel habere molendinum, seu aliquod ædificium,vel fullum in loco fluminis quod labitur a ponte Contarinorum vsque ad molendina pontis Pidochiosi, ad pęnam librarum ducentarum,& si quid est destruatur.

Potestate D. Barone de Manziatoribus de Sancto Miniato 1277.

NVllus cursus, seu lectus aquarum,vel fluminis de Padua, vel Paduano districtu, qui nunc est apertus,& currit, vel aperiretur, & fieret de voluntate cõmunis, possit & debeat per aliquos claudi,seu prohiberi, ne labatur, & currat. Et qui contrafecerit, condemnetur in libris quingentis denariorum paruorum, & in pristinũ cursum, qui clau-

serit,

ſerit, reducere teneatur, & compellatur per poteſtatem, nulla exceptione, vel appellatione in contrarium admittenda.

Statutum vetus conditum ante 1236.

NVllus debeat tranſire cum beſtijs vltra publicas aquas Paduæ, & Paduani diſtrictus, niſi per pontes. Et qui contrafecerit, condemnetur in ſolidis 5. pro qualibet beſtia, & ſolidis 20. pro quolibet plauſtro.

Statutum vetus conditum ante dictum milleſimum.

TRanſire aggeres Paduæ, vel Paduani diſtrictus cum beſtijs cauſa paſcēdi, niſi per vadum nemo debeat. Et qui contrafecerit, puniatur, videlicet pro quolibet plauſtro in ſolidis 20. Item pro qualibet beſtia bouina, caualina, vel aſinina in ſolidis x. & pro qualibet alia beſtia in ſolidis 5. & quilibet teneatur manifeſtare prædicta, & huius banni medietas ſit cōmunis, & altera manifeſtantis.

Statum conditum ante dictum milleſimum.

NEmo claudat publicam aquam pro communi ordinatam, vel gradelas ponat in eis, neque aliquod obſtaculum, per quod aqua impediatur. Et commune villæ ſi contrafecerit, ſoluat pro banno communi Paduæ libras 50. Si fuerit aliqua ſingularis perſona, quæ contrafecerit, condemnetur in libris vigintiquinque paruorum pro quolibet.

Et

Et nihilominus qui contrafecerit, restituat damnum passis.

NVllus aquam de publica sua auctoritate extrahat, vel ad alium locum ducat, sub pœna librarum 50. Et huius pœnæ medietas sit communis, & altera accusantis, & quilibet possit accusare, & credatur sibi cum vno teste. Et nihilominus qui contrafecerit, teneatur reducere aquam in pristinum statum.

Potestate D. Giberto de Corrigia 1263.

SI aqua publica communis fuerit clausa, vel atterrata, teneatur ad præceptum sibi factum per præconem Paduæ ex parte potestatis, vel suorum officialium, vel eius, ad quem pertinet officium illud, publicanus, seu marigus villæ, in cuius territorio fuerit clausa, vel atterrata, eam deserrare, & aperire. Et si eam non aperuerit, seu deserrauerit vsque ad triduum, postquam ei præceptum fuerit, potestas teneatur ei auferre solidos centum de suis bonis pro banno, & libras x. paruorum de bonis sui communis, nisi ostenderit, & probauerit locum clausum, vel atterratum non esse in territorio suæ villæ.

LIceat cuilibet sua auctoritate auferre gradelas, & alias serraturas, quæ factæ essent in dictis locis.

Potestate D. Marino Falero 1339.

NEmo faciat publicam aquam de nouo, vel audeat mouere antiquam de suo consueto situ,

aut

aut facere foueam, ſeu foſſatum, per quã, ſeu quod nauigium aliquod conduci poſſit abſque licentia expreſſa domini poteſtatis , & domini capitanei Paduæ, etiam ſi euidens communis vel ſingularis vtilitatis in hoc verſari videretur, ſub pœna, & bãno communi, ſeu collegio contrafacienti librarum ducentarum, & cuilibet ſingulari perſonæ contrafacienti, vel laborãti in aliquo prædictorum librarum 50. paruorum, & plus vel aliter in prædictis omnibus arbitrio poteſtatis Paduæ, inſpecta qualitate facti, & conditione perſonarum.

DE MALEFICIIS, ET DE ARBITRIO DOMINI POTESTATIS. RVBRICA.

Statutum vetus.

DOminus poteſtas Paduæ in criminalibus diligẽs eſſe debeat, & prouidere, ꝙ maleficia, oppreſſiones, violẽtiæ, extorſiones, aut falſitates, vel delicta aliqua non ſiãt, & inquirat, & inquiri faciat contra homicidas, fures, raptores, prædones, & contra quoſcunq; delinquentes procedat, & procedi faciat, abſoluendo innoxios, & condemnando eos pecunialiter, vel corporaliter cum conſilio, voluntate, & deliberatione curiæ ſuæ in omnibus , & per omnia ſecundum quod pro qualitate delicti per ſtatuta communis determinatum eſt, & facere, ꝙ crimina non

remaneant

remaneant impunita, & in omnibus & singulis criminalibus iurisdictionem habeat tanquam maior.

Potestate D. Rolandino de Cannosa 1269.

TEneatur, & debeat potestas Paduæ facere ter ad minus in septimana cercari de armis per ciuitatem & burgos Paduæ.

Potestate D. Guglielmo Malaspina de Opicis de Luca 1286.

DOminus potestas Paduæ possit, & debeat sedare, reconciliare, & pacificare omnes lites, guerras, & discordias ortas inter aliquos subiectos iurisdictioni suæ omnibus modis, quibus ei videbitur melius, & vtilius pro bono & pacifico statu ciuitatis Paduæ, & subditorum expedire, exceptis discordijs, quæ orirentur occasione homicidii, vel smancaturæ. In aliis vero discordiis faciat dominus potestas quantum possit, vt reconcilientur, & sedentur, & si ipsas non posset sedare, tunc possit partes, & quoscunque de partibus ponere, mittere & tenere ad confinia in Padua, & Paduano districtu, & dies & vias assignare ipsis partibus, quibus vti partes debeant, & etiam extra Paduanum districtum, si qualitas personarũ hoc exigeret, prout ipsi domino potestati, & curiæ suæ melius videbitur conuenire pro bono statu ciuitatis & districtus. Et banna, & pœnas imponere possit circa confinia, vel dies seruandos prout assignatum erit. Et contra non obseruantes confinia, vel dies, aut vias

procedere possit, & condemnare, & banna exigere. Et intelligatur partes & de partibus esse sicut visum fuerit D. Potestati, & curiæ suæ.

Potestate D Marino Faletro 1339.

DOminus potestas cum consilio tractatorũ studij, & gastaldionum medicorum, debeat quolibet anno eligere vnum medicum in chirugia, qui habere debeat annuatim pro suo salario libras 50. paruorum, & debeat medicare omnes, qui torquẽtur pro communi Paduæ, & carceratos, & omnes infirmos, & ligare omnes, qui pro communi Paduę debilitabũtur quoties oportuerit. Et medicus ipse pro communi Paduæ electus, si fuerit negligens condemnetur in solidis 20. pro qualibet vice, qua fuerit requisitus, & huius pœnæ medietas sit communis, & altera sit accusantis, & quilibet possit accusare, & teneatur in credentia.

Potestate D. Carolo de Canti de Pistoria 1299.

STatuimus & ordinamus, quod libræ 25. paruorum de denariis communis Paduæ dentur, & soluantur quolibet anno presbytero sancti Clemẽtis de Padua in festo paschatis maioris, & ob id teneatur ipse presbiter toto anno ire, cum fuerit requisitus, ad carceres communis Paduæ, & dare pœnitentiam carceratis, & infirmis, & illis, qui iudicabuntur per commune Paduæ, non obstante aliquo statuto ge[illegible]ali, vel speciali.

Pote-

Potestate D. Vberto de Cancelerijs 1316.

VT veritas in maleficiis inuestigari possit, prouisum est, quod D. Potestas, & iudex maleficiorum possint reos, etiam in libro forbannitorum scriptos, affidare a suis creditoribus pro certa die, qua debeant venire ad excusandũ se, & pro duobus proximis diebus sequentibus, infra quos se excusare possint. Et dictis diebus, quibus fuerint affidati, non possint capi pro debitis, nec in carceribus detrudi, vel poni, vel interdici, nec possint accusari de banno libri, nec etiam postquam sese excusauerint quatenus pro maleficiis stabunt detenti, & vna dies plus, vt habebunt liberum arbitrium recedendi. Alios autem forbannitos, vel condemnatos possit potestas affidare secundum formam statutorum communis Paduæ.

Potestate D. Guidono de Rubertis 127?.

OMnes forbannitos, seu condemnatos corporaliter, seu vltimo supplicio, vel aliqua pœna sanguinis, affidare possit potestas, & debeat si fuerint iterum per accusationem ingerentem eis pœnam corporalem & sanguinis accusati, vel denunciati, vel si per inquisitionem fuerit processum cõtra eos, ita tamen, ꝙ tales affidati debeant stare, & teneri in carceribus communis Paduæ, donec fuerint condemnati, vel absoluti. Pro aliis vero accusationibus non ingerentibus pœnam corporalem, vel sanguinis, immo precuniariũ, possint excusare

ſe per procuratorem facientem bonam ſecuritatem de iudicio ſiſti, & iudicato ſoluendo.

Poteſtate D. Fantono de Rubeis 1282.

NOn debeat dominus poteſtas Paduæ, vel aliquis de familia ſua compellere aliquem præconem ad ponendum manum ad aliquam iuſtitiam ſeu maleficium committendum, ſeu ad executionē alicuius corporalis iuſtitiæ, ſub pœna librarum 50. paruorum de ſalario ſuo ſoluenda, cuius pœnæ medietas ſit accuſantis, & altera ſit communis, & quilibet poſſit accuſare, & teneatur in credentia.

Poteſtate D. Guidone de Rubertis 1277.

NOn poſſit poteſtas, vel eius iudex præcipere alicui, qđ det pignus vel ſecuritatem occaſione alicuius maleficij, vel negocij vltra eam quantitatem, & quartum eius in quo deberet condemnatio fieri, ſi culpabilis probaretur.

Poteſtate eodem & milleſimo.

POteſtas, & eius iudices, & milites, & quilibet eorum poſſit præcipere, & imponere bannum, & banna ad ſuam voluntatem ſecundum qualitatem perſonæ, & negocij cuilibet perſonæ vilipendenti, ſeu vilipendere volenti præcepta poteſtatis, iudicis, aut militis, vel eius nuncii, & contemptores punire ſecundum formam ſtatutorum, & banni communis Paduæ, vbi pœna eſt determinata, &

vbi

vbi pęna non eſt determinata cum conſilio curiæ officialium palatii , & cum eorum conſilio & voluntate procedere, & a contrafacientibus pœnam exigere cum effectu.

Poteſtate D. Marco Dandulo , & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

ALiquis poteſtas, rector, vel vicarius alicuius villæ, aut terræ Paduani diſtrictus, vel aliqua alia perſona non habeat iuriſdictionem iu criminalibus, & non poſſit aliquem tormentare facere in pœna librarum 50. paruorum. Saluo ſemper honore, & iuriſdictione domini poteſtatis Paduæ, & ſuæ curiæ, & ſaluo etiam arbitrio & balia rectorum habentium merum & mixtum imperium in ciuilibus & criminalibus, quibus nihil derogatum intelligatur ex præſenti ſtatuto.

Poteſtate D. Ioanne Badoario 1262.

POteſtas Paduæ, poſſit, & debeat habere baliam, & eam habeat contra forenſes inquirendo, & condemnando in eo, quod facerel abebunt cum aliquo ciue Paduæ, ſtatuto aliquo non obſtante, & valeat ex nunc circa maleficia.

Poteſtate D. Marco Dandulo , & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

PRo homicidio, vel alio delicto commiſſo extra ciuitatem Paduæ, & diſtrictum Paduanum, procedi non poſſit contra aliquem in ciuitate Paduæ, vel diſtrictu, niſi quando commiſſum eſſet

contra ciuem Paduanum habitantem cõtinue, vel pro maiore parte in ciuitate Paduæ, vel Paduano districtu, & sustinentem onera & factiones cum ciuitate Paduæ, vel districtu Paduano & non cum alio loco, & qui non sit forbannitus, vel non debeat pro forbannito tractari, vel nisi quando aliqua commissa essent contra statum reipublicæ.

Potestate D. Iacopino Rubeo 1274.

POtestas Paduæ statuto aliquo non obstante, sub pœna librarum ducentarum de suo salario, teneatur & debeat terminare, & diffinire omnes quæstiones & causas criminales, seu maleficiorum infra 60. dies, numerando à die accusationis, vel denunciationis, vel inquisitionis, vel captionis de ipsis maleficiis, & malefactoribus factis, non obstāte aliquo impedimento, quod potestas prætenderet, scilicet criminales de maleficiis perpetratis in sua potestaria ante vltimos duos menses suæ potestariæ. Causas autem criminales de maleficijs perpetratis in vltimis duobus mensibus suæ potestariȩ seu regiminis sui, teneantur omnimode diffinire in sua potestaria si poterit, & si non poterit aliquo iusto impedimento impeditus, potestas sequens teneatur sub eadem pęna infra 60. dies computandos a die incepti sui regiminis dictas causas terminare, & non possit aliquam excusationem habere. Si autem hoc factum non fuerit, non pereat propterea instantia causæ, & sit præcisum.

Pote-

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

POtestas Paduæ cum sua curia absque consilio officialium, seu iudicum palatij, vel alicuius alterius, qui non sit de eius familia, seu curia, debeat omnes condemnationes & absolutiones facere pure, & sine aliqua conditione de omnibus maleficiis criminalibus & delictis secundum statuta, & banna communis Paduæ in illis casibus, in quibus certæ pœnæ statutæ sunt per statuta & ordinamenta communis Paduæ. In aliis vero casibus, vbi certæ pœnæ statutæ non sunt per statuta, & ordinamenta communis Paduæ, faciat condemnationes & absolutiones secundum iura & leges, & secundum bonas & antiquas consuetudines ciuitatis Paduæ, & communis, excepto quam pro contemptu præceptorum factorum per ipsum dominum potestatem vel per iudices, aut milites suos, vel per aliquem officialem communis Paduæ, vel de commissione ipsorum. Quo casu possit vsque ad summam librarum 25. condemnare, inspecta qualitate personarum & facti. Et condemnatio vel absolutio aliter facta non valeat ipso iure.

Statutum vetus conditum 1335.

VBicunq; statuta loquuntur de additione plus, vel minus, vel aliter ad arbitrium domini potestatis, intelligatur id plus, & minus & aliter ad arbitrium domini potestatis, & suæ curiæ, inspecta

qualitate facti & conditione personarum, reiectis omnibus aliis interpretationibus, dumtamen illud plus, vel aliter non possit excedere duplum pœnæ expresse in statuto pro tali delicto.

Potestate D. Vberto de Cancalerijs 1316.

Potestas antequam publicet aliquas condemnationes, vel absolutiones, teneatur, & debeat facere eas scribi per notarium Sigilli, & Aquilæ, ac facere eas legi, publicari, & fieri secũdum formam statutorum positorum infra sub rubrica de Condemnationibus scribendis, & exigendis.

Potestate D. Barone de Manziatoribus de Sancto Miniato 1277,

Potestas Paduæ teneatur per iuramentum, statuto aliquo non obstante, quoties opus fuerit occasione alicuius vulnerati constringere gastaldiones medicorum, vt sibi nominent duos medicos suæ fratalæ, scilicet vnum in physica, & alterum in chirugia, quos putauerint ad id meliores, & ipsos nominatos potestas compellat ire vna vice, & pluribus, & quoties potestati expedire videbitur, ad videndum dictos vulneratos. Et medici ipsi taliter missi teneantur ire ad præceptum domini potestatis, & per iuramentum eorum dicere, & referre D. Potestati periculum, & conditionem vulnerati, sub pœna librarum 25. paruorum, cuius pœnæ medietas sit communis, & altera accusantis, & quilibet possit

possit accusare,& teneatur in credẽtia. Et propter hoc medici ipsi nullum salarium a communi, vel à partibus habere debeant, si in ciuitate Paduæ, vel infra terminos campaneæ Paduæ iuerint. Si vero dicti medici mitterentur, & irent ad aliquam villã Paduani districtus occasione prædicta, tunc accipere possint salarium conueniens arbitrio D. Potestatis tantummodo pro via taxandum. Et solui debeat hoc salarium per illũ, ad cuius instantiã missi erunt. Et medici aliqui se non intromittant de ipsis negociis, nisi illi, qui nominati erunt potestati per gastaldiones medicorum, sub pęna librarum 25. paruorũ pro quolibet, & qualibet vice, cuius banni medietas sit communis, & altera accusantis, & quilibet possit accusare, & teneatur in credentia.

Potestate D. Ioanne Baduario 1263.

PErcutere aliquem etiam sine sanguinis effusione cum armis, vel cum baculo magno, vel paruo, vel per capillos capere, vel aliquam iniuriam cum manibus propriis alicui inferre potestas Paduæ, seu aliquis iudex, vel miles, aut aliquis alius de familia sua non debeat. Et quicunque contrafecerit, puniatur pro qualitate personæ offensæ, videlicet in libris ducentis, si ille, cui fuerit iniuria illata, erit miles. In alijs vero personis cõdemnetur in libris centum paruorum. Et in his casibus potestas teneatur soluere cõdemnationem etiam pro quolibet iudice, seu caualerio, vel alio quocunq; de familia

milia, qui vigore huius ſtatuti condemnatus eſſet. Hoc tamen ſtatutum non habeat locum in ſtormeno, ſeu miſcla, aut in prælio, vel ordinatione acierum ſi factum fuerit ſine fraude. Neque locum habeat iſtud ſtatutum in caſu, quo poteſtas, vel aliquis de ſua familia vellet aliquem capere, qui legitima cauſa capiendus eſſet, & defendat ſe ne capiatur. Sed hoc caſu poteſtas, & quilibet de ſua familia percutiens, ſeu aliter iniurians ad nullam pęnam teneatur, ſi tamen ſine fraude percuſſerit vel aliter iniuriatus fuerit.

Poteſtate D. Guidone de Rubertis 1208.

POteſtas Paduæ non poſſit nec debeat aliquem carcerari, vel detineri facere in palatio, vel in domo poteſtatis, vel præcipere eidem, vel prohibere, quin vadat, quo voluerit, niſi pro homicidio, vel occaſione homicidii, vel proditionis, vel falſitatis, vel incendij, vel furti, ſeu rapinæ, vel prædæ, vel pro delictis ingerentibus pęnam ſanguinis, vel pro debitis communis, & condemnationibus communis. Pro aliis vero maleficiis non poſſit aliquem facere carcerari, dummodo præſtare voluerit idoneam ſecuritatem de condemnatione ſoluenda ſecundum qualitatem delicti. Et ſi poteſtas, vel aliquis de ſua familia contra prædicta, vel aliquod prædictorum fecerit, amittat de ſuo ſalario libras centum pro qualibet vice, & valeat ex tunc ſtatuto aliquo non obſtante.

Pote-

Potestate D. Marino Faletro 1339.

STatuta omnia, & singula in præsenti volumine scripta obseruentur, & intelligantur ad literam sicut iacent. Et in casibus non comprehensis in statutis, quæ præsenti in volumine scripta sunt, quantum est in pœnis imponendis, procedatur de similibus ad similia, ita quod aliqua pœna non possit excedere pœnam similis delicti in statutis comprehensi, inspecta qualitate facti, personarū, & delicti.

DE OFFICIO IVDICIS MALEFICIORVM. RVBRICA.

Statutum vetus.

IVdex maleficiorum debeat esse idoneus, & bene iuris peritus, & cognoscere debeat, & possit solum de maleficijs, & delictis omnibus, & singulis commissis, quādo criminaliter agitur tantum, vel quando criminaliter, & ciuiliter in eodem libello, vbi ciuilis, & criminalis se compatiuntur, sed quando ciuiliter tantum agitur, tunc iudex maleficiorum cognoscere non possit. Et formare non debeat, neque possit aliquam inquisitionem contra aliquas personas, collegia, vel vniuersitates, nisi ei per iuramentum visa fuerit iusta, & verisimilis causa.

Pro-

PRocedere debeat, & teneatur fideliter,& sollicite iudex maleficiorum contra quoscunq; pro delictis,seu maleficijs ad eius cognitionē pertinentibus secūdum formam statutorum communis Paduæ. Non tamen possit iudex ipse aliquem condēnare,vel absoluere ex sententia sua tantum, sed facto per eum legitime processu, teneatur,& debeat ostendere probationes , defensiones , & acta quæcunque domino potestati, & curiæ suæ & potestas cum deliberatione , consilio , & voluntate curiæ suæ condemnet, vel absoluat vti de iure , & secundum formam statuti debebit .

Potestate D. Thoma Iustiniano 1271.

IVdex maleficiorū debeat in nota scribere quot quaternos notarius suus habeat in libro suo , & saluare, & custodire omnes libros notariorum suorum ad maleficia deputatorum ad suum officium pertinētes,& ipsos libros ponere, & tenere in vna capsa lignea. Et dicta capsa portari debeat ad discum maleficiorum, & reportari ad cameram dicti iudicis per vnum ex præconibus sibi deputatis . Et iudex ipse debeat tenere apud se clauem dictæ capsæ , ita ꝙ quando alicui notariorum suorum opus fuerit libris suis pro scribendo, & suū officiū exercendo, dictus iudex extrahat de capsa , & det dicto notario libros suos . Et quando notarius maleficiorum scripserit id,pro quo librum accepit , seu quādo discedet,tunc per iudicem ipsum liber ille in capsa prædicta iterū recludatur . Ac faciat dictus iudex

dex obseruari per notarios suos omnia ordinata, & contenta in statutis positis sub rubrica sequenti loquenti de Notarijs maleficiorum, sub pęna in ipsis statutis declarata.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

SI aliquod homicidium commissum fuerit in aliqua villa Paduani districtus, mittatur ad arbitrium domini potestatis iudex maleficiorum, vel vnus ex aliis suis iudicibus, vel militibus ad inquirendum de ipso maleficio, & homicidio commisso. Et ad prædicta inquirenda, & videnda non possint mitti notarii maleficiorum, sed ire debeat iudex maleficiorum, seu vnus ex aliis iudicibus, vel militibus potestatis, & ducere debeat secum vnum ex notarijs maleficiorum, & vnum præconem. Et iudex, qui per dominum potestatem missus ad prædicta erit, accipere pro se, & notario, & præcone, & pro vectura equorum possit à commune illius villæ, in qua homicidium illud commissum erit, libras decem paruorum pro prima dieta, intelligendo dietam esse de milliaribus decem in eundo, & similiter de milliaribus decem in redeundo. Et non possit accipere vltra libras decem pro prima dieta, etiam si remaneret extra ciuitatem Paduæ vna nocte. Si autem vltra decem milliaria iret & ea nocte non reuerteretur Paduam, tunc possit accipere pro secunda dieta similiter libras decem, & nihil vltra recipere ab aliqua persona possit, nisi expensas pro se, & pro notario, &

præ-

præcone, & pro equis suis dum moratus fuerit in ipsa villa, vel castro occasione prædicta. Et de salario prædicto fiat diuisio hoc modo videlicet, de singulis libris decem taliter receptis iudex habeat libras quinq; & notarius habeat libras tres, & præco habeat libras duas. Et in prædictis solutionibus computamus vecturas equorum, ita q quilibet eorum soluat vecturam equi sui. Et ad dictam solutionem teneatur commune illius villæ, vel loci, in quo maleficium commissum erit. Saluo sibi iure in bonis malefactoris si habuerit vnde soluat. Si autē maleficium commissum esset in ciuitate Paduæ, vel in aliquo loco inter terminos campaneæ Paduæ, tunc mitti debeat dictus iudex cū notario, & præcone ad videndum, & inquirendum de homicidio, & nihil recipere ab aliqua persona propter illud possint.

Potestatè domino Vberto de Cancelerijs de Pistorio 1316.

IVdex maleficiorū debet recipere accusationes, denūcias, excusationes, defensiones reorū, & dicta testium, & confessiones ad banchum maleficiorū, & non alibi in causis criminalibus, & quæstionibus maleficiorū, quæ coram ipso iudice agitarētur. Idē fiat in alijs quæstionibus maleficiorū, quæ agitarētur coram alijs iudicibus domini potestatis. Et recipiantur solum ad discum, vbi sedet ipse iudex, seu sedere debet pro iure reddendo, & non in camera, vel alibi, in pęna librarum ducentarum recipienti, & librarum cētum tabellioni, qui scripserit

pro

pro vno quoque, & vna quaq; vice. Saluo ꝙ dum iudex, vel aliqui de familia potestatis vadunt ad loca maleficiorum pro inuestigandis malefactoribus ad instruendam cõscientiam suam, & vt posit inuestigare verum, posit etiam alibi recipere testes, sed post formatam inquisitionem secundum formam statutorum, vel post institutam accusationem, nihilominus si testes erunt recipiendi, examinentur in loco iudicij, vt supra dictum est. Saluo ꝙ propter iustam infirmitatem approbatam per medicos communis posint accusationes, denunciæ, excusationes, defensiones, & dicta testium recipi etiam alibi, tamen in præsentia iudicis. Idem sit in matronis, & fœminis honestis.

Potestate D. Marino Falietro 1339.

Ad hoc vt multa enormia, & illicita ad officium maleficiorum cessent, teneatur iudex maleficiorum ad pœnam librarum centum pro quolibet, & qualibet vice, quarum medietas sit accusantis, & altera communis, habere, & tenere penes se ad suum banchum duos sacculos, & in vno ponere, & habere in singulis breuibus singula nomina omnium notariorum ad officium maleficiorum deputatorum. Et debeat dictus iudex omnes denuncias, seu inquisitiones, quæ fient, notificationes, & accusas, quæ porriguntur ipsi iudici, & inquisitiones, quæ fient ex forma statuti, uel officii prædicti dare suis notarijs ad breuia hoc modo videlicet, ꝙ cum aliqua denũcia, inquisitio, vel accusa, quæ dari debebit

bebit notario maleficiorum, iudex habeat ſacculum nominum, ſeu breuium ipſorum notariorum, & a caſu ponat manũ in ſacculo miſcendo breuia, & extrahatur vnum de breuibus. Et notarius, qui extractus fuerit, habeat illam denũciam, ſeu inquiſitionem, vel accuſam, & ponatur illud breue in altero ſacculo de extractis, & ita, fiat donec omnia breuia extracta erunt. Et omnia breuia quãdo extracta fuerint, iterum ponantur in dicto primo ſacculo, & iterum extrahantur, vt ſupra dictum eſt, donec ipſorum officium fuerit completum, & ita ſucceſsiue fiat in qualibet modula notariorum maleficiorũ. Saluo quod ſi ſuper vno delicto inceptus fuerit vnus proceſſus, & ſuper eodem fieret alius proceſſus, ſiue ex officio, ſiue ex alio quocunque modo, ꝙ tunc notarius, qui habebit primum proceſſum, habeat etiam quemcunque alium proceſſum ſuper dicto delicto factum, vel faciẽdum. Saluo etiam ꝙ quilibet accuſator poſsit accuſam dare cuicunque notario ad maleficia deputato, cui dare voluerit, & ſit præciſum.

Poteſtate D. Marino de la Brãca de Cugubio 1309.

DE omnibus, & ſingulis maleficijs, quæ de cætero committentur in ciuitate Paduæ, vel diſtrictu in aliquo loco ſubiecto in criminalibus iuriſdictioni domini poteſtatis Paduæ fieri debeant, quæcunque accuſationes, notificationes, denunciæ, ſeu inquiſitiones, & defenſiones coram iudice domini poteſtatis Paduæ ad maleficia deputato, & non

non coram aliquo alio, sub pœna librarum 25. accusatori, seu denunciatori aliter attentanti, sub pęna librarum 50. cuicunque aliter acceptanti, vel petenti seu inquirēti, quarum pœnarum medietas sit communis, & altera medietas sit illius, qui faciētem contra prædicta.

Potestate D. Marino de la Brācha de Cugubio 1309.

VT quisque intelligat quo in quarterio maleficia committuntur in Paduano districtu. Statuimus ꝙ villæ, & loca Paduani districtus positæ à flumine, per quod nauigatur à portu omnium Sanctorum vsq; de subtus Oriagum ad confinia Venetiarum, sint & intelligantur esse de quarterio pontis Altinati. Et villæ, & loca positæ a dicto flumine fossati, & Brentæ citra, & vltra Brentam vsque ad stratam de Sauonarola, per quam itur Vincētiam, seu vsque ad confinia villarum, quæ sunt supra ipsam stratam exclusiue, sint & intelligantur esse de quarterio pontis molendinorum. Villæ autem, & loca positæ supra dictam stratam de Sauonarola, & supra ipsam stratam inclusiue vsque ad flumen, per quod nauigatur à ponte Bassianelli vsque ad Montemsilicem, & vsque ad confinia Montissilicis, sint & intelligantur esse de quarterio domi. Loca vero, & villæ positæ a dicto flumine a ponte Bassianelli, & à dictis confinibus Montissilicis vsque ad dictum flumen, per quod nauigatur Glugiam, sint & intelligantur esse de quarterio Turrisclarum.

Ee DE

DE NOTARIIS MALEFICIORVM. RVBRICA.

Potestate D. Thoma Iustiniano.

QVilibet notarius maleficiorum scribens attestationes, teneatur facere cuilibet testi saltem has quæstiones, siue interrogationes, & suo proprio motu, & eas cum responsionibus testis scribere super quolibet capitulo; affirmato per testem, videlicet qualiter scit ipse testis, id quod dixit, vbi fuit de certo loco, quærere quando fuit, de tempore, anno, mense, die, & hora dierum, & quibus præsentibus, & insuper alias quæstiones scribat siue interogationes, quæ fient testi per iudicem, vel examinatorem, qui superfuerit. Et legat testi prius quam recedat clare ad eius plenā intelligentiam, testificationem eius, & incontinenti per notarium producatur virgula, ita q; nihil abinde possit addi. Et iudex qui testem examinauit debeat se subscribere in fine cuiuslibet testificātis testis, & in subscriptione sua facere mentionem, si aliqua additio in margine, vel interlineatura, seu cācelatura in aliquo loco per errorē facta erit. Et qui de prædictis facere omiserit, siue iudex, siue notarius sit, soluat solidos centum paruorum pro banno communi pro qualibet vice, & quolibet de prędictis omisso. Nullam accusationem, vel denunciationem accipere debeat notarius maleficiorū, nisi pręsente iudice maleficiorum, in pœna solidorum

rum centum pro quolibet. Et si miserit pro aliqua persona antequam posita sit accusatio, vel denunciatio in nota super libro iudicis, seu pro alio non accusato, solidos centum pro quolibet, & qualibet vice, cõmuni soluat, & plus arbitrio potestatis. Et ea die, vel sequenti, qua testes se præsentauerint coram iudice, & notario, teneatur iudex maleficiorum, & ipse notarius ipsos audire, & eorum dicta scribere, sub pœna solidorum centum pro quolibet teste non audito, & pro quolibet eorum contrafaciẽte, & qualibet vice. Et in fine cuiuslibet testimonij, & cuiuslibet accusæ, & cuiuslibet excusę notarius maleficiorum ducat lineam sub vltima scriptura ita prope, quod inter extremam lineam scripturæ, & lineam subductam plus scripturæ addi nõ possit, & etiam in fine cuiuslibet lateris chartæ dictam lineam subducat, etiamsi ex illo latere attestatio, vel accusa, aut excusa non fuerit completa. Et si notarius hoc non obseruauerit, solidos cẽtum paruorum pro qualibet linea tali neglecta, & incontinenti non facta (vt dictum est) communi persoluat. Et iudex maleficioru hoc procurare, & inquirere teneatur. Item nullam ciffram notantẽ translationes scripturæ in margine libri, nec aliquam interlineaturam, abrasuram, neque cãcelaturam talẽ, sub qua litera cancelata non possit legi, facere debeant dicti notarij maleficiorũ in suis libris, sub pœna solidorum centum pro qualibet interlineatura, & qualibet vice, & qualibet ciffra, & qualibet abrasura, vel cancelatura modo prædi

cto facta. Et quilibet quaternus cuiuslibet notari ; maleficiorum iuxta duos imilos consuetos, habeat vnum tertium imilum in medio cum cedula continua ipsius imili, idest relicta quadam latitudine in capite ipsius imili interius in medio quaterni, in qua latitudine scribantur duæ notæ duorũ fideliũ & bonorum notariorum. Et sit ille imilus transfixus in coperta libri, & innodatus tribus nodis strictissimis, & recisis ab ipso modo capitulũ imili superantibus facto nodo, ita quod si forte dissolueretur, reponi iterum ille idem imilus, & eodẽ modo innodari non possit. Et nihilominus ille talis imilus iterum imiletur cum filo spagi coniunctis, & innodatis capitibus spagi prædicti, & à tergo copertæ apponatnr illi iniuncturæ spagi bulla quædam plũbea cum certo signo impresso, cuius impressionis stampã penes se potestas habeat ad hoc vt foliũ aliquod librorum suorum fraude mutari non possit. Et teneatur iudex maleficiorũ in nota scribere quot quaternos notarius habeat in libro suo, siue accusationum, siue testium, & quot processus, & nomina testium nominatorũ in accusatione. Quã notam prędictus iudex facere teneatur ad pœnam librarum quinquaginta paruorum. Teneatur etiã quilibet notarius maleficiorum in principio libri apponere titulum libri, & nomen, & prænomen iudicis, & potestatis, & sic postea subsequenter in principio cuiuslibet quaterni, & facere subscriptionem suam in fine cuiuslibet chartæ, & signum suũ ponere prout facit in publicis instrumentis, in

pœna

pœna librarum decem pro vno quoque, & vna quà que vice, & vno quoque prædictorum omisso. Et sit pœna librarum quinquaginta paruorum iudici, qui contra prædicta passus fuit tabellionē facere, nec inquisiuerit, & non puniuerit de prædictis. Et cuilibet petēti iudex faciat ostendi librum notarij maleficiorum, vt apparere possit euidentius, an prædicta obseruata fuerint, & sit præcisum. Et notarius maleficiorum, qui non fuerit modo prædicto imilatus, & bullatus, & qui contrafecerit, pro quolibet quaterno, super quo scripserit, libras x. communi soluat. Et iudex maleficiorum hoc procurare, & inquirere teneatur sub pœna prædicta.

Potestate nobili milite domino Vberto de Cancelerijs de Pistorio 1316 inditiones 4. de mense Augusti.

NOtarij maleficiorū debeant diligenter venire, & sedere ad bāchum, & non discedere sine expressa iudicis sui licentia, quam nullo modo dare debeat, nisi ex causa necessaria, & iusta. Et possit iudex maleficiorum mulctare tabellionem suum non venientem ad banchum, vel non sedentem continue (vt supra dictum est) in solidis centum, & minus secundum qualitatem facti. Si vero notarius ipse malitiose recesserit, vel non venerit, incidat in pœnam librarum vigintiquinq; & plus vsq; ad quinquaginta secundum qualitatem facti, vel causæ Et teneantur dicti notarij omnes confessiones, & defensiones, & acta omnia causæ in libro

ponere prout, & sicut ordinatum est per statuta, & iura sine aliqua receptione pecuniæ vltra quam ordinatum est, & copiam partibus facere statim in publicā formā, & permittere exemplari partibus omnia, & singula acta, & omnes scripturas causæ, vel pati quod faciant exemplari per vnum tabellionem ad postulationem partis, quæ petet copiā actorum. Et hoc cum notarius non faceret copiam processus partibus secundum iudicis præceptum, vel esset negligens, exceptis testibus nondum publicatis sed eis publicatis idē sit, quod in alijs actis & scripturis. Facta vero absolutione, vel condemnatione, fiat modo prędicto copia processus totius cuicunq; petenti. Et si cōtra prędicta fecerint, puniantur in libris quinquaginta pro vno quoque, & vna quaq; vice, & expellantur de officio. Si vero pecuniam acciperēt, vel vltra quam statutum est, vel contra statuta, vel sibi non concessa prætextu sui officij, puniantur in libris vigintiquinq; paruorum. Et iudex maleficiorum, vel coram quo causa maleficij tractabitur sollicite curet cū effectu, quod prædicta fiant, & fieri faciat ea ad pœnam librarū ducentarum. Et notarius cum fecerit copiam processus partibus, vel ei, cui facere debebit, quam omnino, & statim facere teneatur, vt dictum est, si requisitus fuerit à iudice, coram quo erit quæstio, vel à iudice potestatis, si coram eo petatur fieri copia processus, si aliquid habeat de processu, vel vltra id, quod dedit, vel de quo fecit copiā, teneatur incontinenti respondere, quod habeat aliquid, vel

vltra,

vltra, vel q̄ non habet. Et si responderit, q̄ nihil vltra habet quam id, quod dedit, & de quo fecit copiam, quantum contra se stetur eius responsioni. Et si inueniatur aliquid vltra se habere, vel habuisse, in praeiudicium notarij praesumatur illud, quod habuit, esse falsum. Si vero dixerit, q̄ habuit aliquid vltra quam id, de quo fecerit copiam, tunc dicat quid habet, & statim producat librum suum, & ostendat quid vltra habet. Si vero responderit se dubitare, nec plene scire, si aliquid vltra habet, vel quantum, vel quid, tunc statuatur eidem breuis terminus & competens arbitrio iudicis, secundum qualitatem negocij & processus, ad respondendum, & ostendendum de libertate quid vltra habet. Et semper, & in omni casu cogatur ipse tabellio exhibere acta sua coram iudice ilico, & sine controuersia, & figura iudicij secundum iudicis praeceptum, & facere ea, ad quę de iure pertinebit, & quibus iudex praeceperit copiam inspiciendi, & videndi fieri, & ipsam reducere debeat in publicam formam, & autenticare modo ordinato, & secundum iuris formam, & dare partibus accepta solutione vel deposita, si non vellet recipere, vt iam ordinatum est. Et in praedictis casibus de sua depositione fiat scriptura in actis per vnum ex notarijs dicti iudicis. Et nihilominus ipse notarius, a quo peteretur copia processus, manu propria scribat, & in publicā formam reducat super processu iam dato per ipsum responsionem suam vt apparere possit quicquid responderit. Et si contra praedicta,

vel aliquod prædictorum factum fuerit, vel prædicta seruata non fuerint, si fuerit iudex potestatis, qui seruare, vel seruari facere neglexerit, condēnetur in libris centum, si fuerit alius iudex in libris x. si fuerit notarius, qui habuerit processum, & a quo petatur responsio, in libris vigintiquinque. Saluis maioribus pœnis ordinatis contra ipsum, si fuerit alter notarius in libris decem, & sit præcisum.

Potestate D. Guidone de Rubertis 1277.

NOtarius maleficiorū teneatur scribere in actis suis denuncias factas per medicos ea die, vel sequenti in pœna solidorum centum paruorum.

Potestate eodem & millesimo.

NOtarij maleficiorum teneantur ponere in mēmoriali officialis deputati, seu deputandi ad exigendum banna, & condemnationes communis Paduæ, denunciationes porrectas iudici, seu accusationes, vel inquisitiones ex officio formatas infra tertiam diem in pœnam solidorum centum, paruorum pro qualibet, & sit præcisum.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

NOtarii maleficiorum possint accipere a quolibet decano villarum Paduani districtus pro præsentatione denunciæ solidos quatuor, & nihil vltra, etiam si in vna denuncia plures personæ denunciātur. Item accipere possint pro præsentatio-

næ scriptæ bonorum contumacium solidos quatuor,& non vltra. Et ad expēsas istas teneatur cōmune illius villæ, in qua delictum commissum fuit. Si vero delictum commissum esset in ciuitate, vel intra terminos campaneæ Paduæ, tunc notarius maleficiorum nullam solutionē pro prædictis habeat. Et idem intelligatur de notariis,seu cancelariis rectorum castrorum Paduani districtus habentium cognitionem in criminalibus, videlicet quod possint accipere à decanis villarum pro denuncia solidos quatuor, & pro bonis contumacium solidos quatuor. Saluo ꝙ si delictum commissum esset in illo castro, vel suburbiis suis, quòd tūc nihil pro prædictis habere debeant. Item possint accipere notarii maleficiorum,& similiter notarii, seu cancelerij castrorum prædictorum à quolibet se excusante pro excusatione, & pro securitate solidos vigintiquatuor. Item pro instrumento pacis accipere possit prout in contractibus voluntarijs taxatum est pro instrumento pacis. Item pro porrectione cuiuslibet accusæ possessionis turbatæ,vel alterius accusæ porrectæ per aliquam singularem seu priuatam personam, & pro testibus & processu superinde factis, & similiter pro testibus, & alijs actibus factis per aliquam priuatam personam accusatam,vel denunciatam de aliquo delicto ad sui excusationem & defensionem possit notarius accipere prout taxatū est notarijs palatij pro scripturis & actis factis in causis ciuilibus. Et si cōtingeret aliquod homicidium committi in aliquo loco Pa-

duani districtus extra ciuitatem, & terminos campaneae, tunc notarius, qui iuerit cum iudice ad videndum maleficium habere debeat partem suam solutionis taxatae supra in rubrica de Officio iudicis maleficiorum.

Potestate, & Capitaneo, & anno suprascriptis.

CViuslibet poenae impositae alicuius statuti sub hac rubrica positi medietas sit camerę dominii nostri, seu communis Paduae, & altera medietas sit accusantis, & quilibet possit accusare, & si voluerit, teneatur in credentia.

DE ACCVSATIONIBVS, ET ORDINE PROCEDENDI IN CRIMINALIBVS. RVBRICA.

Potestate D. Marino Faletro 1339.

DE homicidijs famosis, latronibus assassinis, & incendiarijs accusatio, denunciatio, vel inquisitio fieri possit vsque ad triēnium a tempore praedictorum maleficiorum perpetratorum. Et non possit procedi super accusatione, vel inquisitione facta, vel faciēda, vel aliquo alio modo post dictum tempus de aliquo homicidio, vel occasione aliquorum suprascriptorum delictorum, Saluo q̄ si inculpatus de homi-

homicidio, vel occasione homicidij condemnatus fuisset propter contumaciã, quod omni tẽpore cõtra contumacem seu contumaciter cõdemnatum de homicidio, vel occasione homicidij procedi possit, & debeat per dominum potestatem, & eius officiales. Et q̃ ex contumacia, & legitimis indicijs præcedentibus ex cõmissione dicti maleficij, & nõ ex condemnatione procedi possit contra cõtumacem ipsum ad torturam secundum iuris formam, & ex legitimis probationibus condemnari possit dictus contumax personaliter, vel ex confessione ratificata, & reiterata perseueratione cõdigna ex dictis torturis legitimis. De alijs vero maleficijs, vel delictis vsq; ad annum, denunciatio, inquisitio, vel accusatio fieri possit. Vlterius autem nemo audiatur. Et hoc locũ nõ habeat in casu falsitatis alicuius instrumenti de falso suspecti, in quo casu terminus anni currere incipiat solum ab illo die in antea, quo quis sciuerit instrumentum tale contra eũ fore productum. Nec habeat locum in falso teste, in quo casu incipiat terminus anni currere a tempore publicationis, vel depositionis ipsius testis. Saluo quod de ludo vetito accusatio, denunciatio, vel inquisitio fieri possit vsq; ad duos menses, & nõ vltra. Et saluo quod si delictũ esset enorme, & occultum, & clam commissum, vel si delictum esset notum, tamen delinquens, vel delinquentes personæ essent occultę, & incognitæ, tunc super tali delicto, & contra tales personas procedi possit omnibus modis iuridicis infra tempus à iure concessum,

non

non obstantibus limitationibus præsentis statuti. Et quę sit enormitas, clandestinitas,& occultatio sit in libertate, & arbitrio domini potestatis,& curiæ suæ. Et saluo quod contra proditores dominij siue ciuitatis Paduæ, seu alicuius castri, fortiliciæ, seu terræ alicuius Paduani districtus, seu quæ subijcerentur dominio præfato, seu ciuitati Paduæ, seu quibus dominatur præfatum dominium, vel commune Paduæ, & contra eos, qui tractarent de extrahendo ciuitatem Paduæ, vel aliquam ex fortilicijs Paduani districtus de manibus præfacti dominij, seu communis Paduæ, vel si aliquid dicerent, aut tractarent de contentis in statuto, quod incipit. Quælibet persona quæ diceret, vel arengaret, posito in præsenti libro sub rubrica de Assassinis, proditoribus, & suspectis, possit procedi quandocunque præscriptione temporis non obstante.

Potestate D. Vberto de Cancellerijs 1316.

ACcusationes,& inquisitiones registrarētur ad cancelariā,& dies, quo data est ad registrandum,& dies, quo de facto registrata est,& scripta in libro registri scribatur in principio accusationis vel inquisitionis registratæ,& repetita die nō scribatur in registro. Et notarius, qui ponit accusationem, vel inquisitionem, vel denunciationem in registro, debeat in fine accusationis, vel inquisitionis apponere notam, & subscriptionem suam. Saluo

quod

quod si tota pagina fuerit de littera, & scriptura sua sufficiat, quod in fine paginæ, seu eius lateris ponat subscriptionem, & notam suam, etiam si plures accusationes, vel inquisitiones, vel denunciæ fuerint in illa pagina, & latere, & titulus registrari apponatur in principio libri, & in principio cuiuslibet quaterni. Et notarius maleficiorum non ponat ipsam accusationem, denunciationem, vel inquisitionem in libro maleficiorum nisi fuerit registrata & de facto scripta in libro prædicto, & aliter non valeat, quod factum fuerit medio tempore, & valeant hæc etiam si potestas haberet arbitrium, & seruentur prædicta, & sit præcisum.

Potestate D. Guidone de Rubertis 1276.

SI contigerit in ciuitate Paduæ, vel in suburbijs fieri de die, vel de nocte aliquod homicidium (quod Deus auertat) vel insultus, seu ferita, aut misella aliqua, seu aliquod delictum, vel maleficium, teneatur, & debeat caput centenarij in quo fuerint prædicta commissa vsque ad tres dies denunciare domino potestati iudici, vel militi domini potestatis. Et qui contrafecerit, soluat cõmuni Paduæ pro banno libras quinquaginta paruorum, & minus arbitrio domini potestatis secundum magnitudinem, & qualitatem facti, & maleficij, nisi iustã habuerit causam ignorantię, de quo stetur arbitrio domini potestatis, cuius pœnę medietas sit communis, & altera accusantis, & quilibet possit accusare, si fuerit bonæ famæ, & opinionis. Et de fama,

&

& opinione accusantis sit in determinatione domini potestatis.

Potestate eodem.

SI in aliquo castro, terra, vel villa Paduani districtus, seu communi Paduæ subiecta, aliquod maleficium, rixa, vel misella facta fuerit, teneatur homines, seu decanus, vel sindicus dictæ villæ, castri, seu loci denunciare illud domino potestati Paduæ, seu potestati illius castri, sub quo maleficium illud commissum fuerit, sub pena librarum 50. parvorum, & minus arbitrio potestatis secundū magnitudinem, vel paruitatem communis, villæ, vel loci, vel secundum qualitatem facti, nisi habuerit iustam causam ignorantiæ, de quo stetur arbitrio D. Potestatis. Et similiter teneantur denunciare ferentes arma vetita secundum formam statuti, quod incipit, Decanus quilibet, positi sub rubrica de Armis.

Potestate eodem.

CApita centenariorum ciuitatis Paduæ, vel sindici, seu decani villarum, & locorū Paduani districtus, non teneantur denunciare rixas verborum solummodo, in quibus alius processus vltra verba non fuerit factus. Neque teneantur denunciare aliqua maleficia, ex quibus sequatur pœna librarum decem, vel ab inde infra, nisi ab iniuriatis fuerint requisiti. Et si denunciatio facta fuerit præter requisitionem iniuriam passi, super ea non procedatur.

Pote

Potestate D. Marino Faletro 1339.

NOn teneatur aliquis decanus, vel massarius alicuius villæ, vel aliquod caput cẽtenarij, seu aliquis medicus denunciare, vel notificare aliqua maleficia facta, vel commissa per minorem duodecim annis, nisi mors, vel smancatura sequetur, vel sequuta esset ex dictis maleficiis, vel nisi fuisset vulnus cum armis, & sanguine, aut nisi esset ab iniuriam passo requisitus, dumtamen dicti minores, seu minor coram iudice maleficiorum compareat infra tempus a denunciatione facta per statuta cõmunis Paduæ constitutum, & fidem faciat de ætate, quæ fides possit etiam fieri ex aspectu.

Potestate D. Guidone de Rubertis 1277.

TEneantur etiam medici, & quælibet alia persona, quæ ligabit, vel medicabit aliquam personam percussam, vel vulneratam in ciuitate Paduæ, vel districtu infra tertiam diem, si fuerit in ciuitate Paduæ, vel vsq; ad sex dies, si fuerit in villa, postquam ligauerit, vel medicauerit denũciare potestati, vel iudici maleficiorum in scriptis personã illam vulneratam, vel percussam, & vulnera ipsa, & percussiones, & declarare debeãt in suis denunciationibus utrũ vulnerati sint in periculo, per ea, quæ credunt, & vtrum sit vulnus, vel cicatrix, vel percussio simplex, uel scapuciatura. Et propter hoc non debeat medicus aliquis de suo iudicio aliquid petere, vel accipere. Et quicunque contra prædicta, vel aliquod prædictorum fecerit, condemnetur

tur in libris 50.paruorum, & minus arbitrio potestatis secundum qualitatem facti, & maleficii.

Potestate D. Vgolino de Liazaris 1315.

POtestas Paduæ possit inquirere super omnibus denunciationibus, & maleficijs factis, & faciẽdis secundum formam statutorum per capita centenariorum, seu per sindicos villarum, vel per medicos, si eidem domino potestati, & iudici suo visum fuerit iustum, & conueniens procedi super ipsis denunciis, dumtamen non possit ampliare inquisitionem, vel extendere vltra, vel ad alias personas, quàm ad eas, quæ in denunciatione continebuntur. Processum autem, & condemnationem facere teneatur seruata forma statutorum.

Possit etiam potestas inquirere contra capita cẽtenariorum, sindicos, decanos, potestates, vicarios, & alios officiales villarum, & contra medicos, & omnes personas iurisdictionis suæ in criminalibus subiectas, quæ ex forma statutorum tenentur denunciare maleficia, quæ ipsi non deciant. In aliis autem casibus seruetur forma statutorum.

LIcet principales personę accusauerint factis denuncijs per communia villarum, nihilominus potestas, & eius iudex procedat super accusatione, & denuncia, vt veritas inquiratur, sed punire, & condemnare possit, & debeat solummodo rixatores propter accusationem, vel denunciam, super qua fuerit melius rixa, seu maleficium probatum,

Potestate

Potestate D. Guidone de Rubertis 1276.

Communia villarum non debeant condemnari ad expensas illorum, qui denunciati fuerint, vel absoluerentur à denunciationibus factis per ipsa communia, seu per sindicos, vel decanos suos.

Statutum vetus.

CApita centenariorum, & sindici, seu decani villarum iuramento teneantur denũciare, notificare, manifestare, & scribi facere, si ad alicuius requisitionem fecerint denũciam, & hoc videlicet si facta fuerit denuncia ad requisitionem alicuius, habeatur pro accusatore iniuriatus, ad cuius requisitionem facta erit denuncia, & hoc quo ad condẽnationem expensarum. Et fiat condemnatio in expensis, quemadmodum facta accusatio fuisset per eum, qui dicitur fuisse iniuriam passus, vel ad cuius requisitionem facta fuerit denuncia. Et si denunciatus, vel inquisitus fuerit culpabilis, teneatur soluere expensas iniuriam passo, vel illi, ad cuius requisitionem facta fuerit denuncia.

Statutum conditum 1331.

QVilibet, qui accusauerit, vel denunciauerit aliquem, teneatur prosequi accusationem, & denunciationem, & probare super ea à die porrectæ accusationis, vel denunciationis vsque ad quindecim dies, postquam reus se excusauerit. Et qui eam non probauerit, vel saltem fecerit suum posse probando,

bando, vel ostendendo indicia verisimilia, seu præsumptiones verisimiles in arbitrio domini potestatis, & suæ curiæ, propter quæ, vel quas videatur motus ad accusationē, seu denunciationē instituendam, condemnetur communi Paduæ in solidis sexaginta paruorum, si de crimine leui fuerit quis accusatus, vel accusatio porecta. Si vero de crimine graui tunc condemnetur in libris viginti-quinque paruorum, & plus vsque ad quinquaginta in arbitrio domini potestatis & suæ curiæ. Quarum omnium pœnarū medietas parti accusatę & ad omne suum damnum, & interesse, & expensas, credendo de ipsis iuramēto accusati, taxatione tamen iudicis præmissa. Intelligēdo in prædictis casibus leuia, grauia, seu atrocia crimina in arbitrio D. potestatis, & suę curię. Et si fuerit accusatio falsificatis, teneatur iudex maleficiorum finire accusationem ipsam infra vnum mensem computandum á die lapsi termini ad probandum, sub pœna librarum quinquaginta paruorum.

Potestate D. Ruberto de Rubertis 1275.

NVllus admittatur ad aliquam accusationem, denunciationē, notificationē, aut significationem faciendam de aliquo maleficio, nisi primo idoneam securitatem pręstiterit de restituendis legitimis expensis carceris; & omnibus alijs expensis, damnis, & interesse accusatis, denunciatis, notificatis, siue significatis, si prędicta non probauerit legitime, taxandis per iuramentum accusati, denunciati,

ciati,notificati,vel significati,prius tamē taxatione premissa per dominum potestatem,vltra quam taxationem iurare non possit. Et de soluēdo libras vigintiquinque,si accusatio,vel denunciatio fuerit talis, quod ex ea probata sequeretur condemnatio in membro, vel aliter in persona, aut de soluendo libras centū, si accusatio,vel denunciatio fuerit talis, quod ex ea probata sequeretur condemnatio mortis, & ita condemnetur, si non probauerit legitime ipsam accusationē, vel denunciationē per eum factā,vel saltem si per legitimas presumptiones, & indicia non appareat euidēter ipsum accusatorem non calumniose processisse ad ipsam accusationem, vel denunciationem instituendam.Et potestas debeat facere condemnationem de prædictis tempore sententiæ absolutoriæ super accusatione,vel denunciatione iam dicta,nullo alio discusso processu contra accusatorem,vel denunciatorem. Saluo quod locum non habeant in principalibus, quibus illatę fuerint iniuriæ. Et intelligātur principales etiā tutores,vel curatores,vel procuratores, vel alieno nomine interuenientes, qui interuenientes, alieno nomine non teneatur satisdare pro iniurijs illatis illis,quorum nomine interueniunt.Neq; locum habeant in personis coniunctis eorum vsq; ad quartum gradum. Nec locum habeant etiam in illis, qui ex forma statuti alicuius siue ordinamenti cōmunis Paduæ sint, vel fuerint specialiter deputati ad faciēdas aliquas accusationes, denunciationes, significationes, vel notifica-

tiones. Et de quocunque maleficio, crimine, seu delicto commisso in ciuitate Paduæ, vel in districtu, D. Potestas & iudex suus maleficiorum, possint inquirere, & per inquisitionẽ procedere præcedente fama delicti, vel alijs indicijs secũdum quod eis melius videbitur, non obstantibus legibus cõmunibus, in contrarium loquentibus, aut reformationibus, vel statutis communis Paduæ.

Potestate D. Thoma Iustiniano 1271.

SI quis denunciatus fuerit coram potestate, vel coram aliquo officiali communis Paduę, & non appareat accusator, vel denũciator secundum formam statuti alicuius, vel quia denunciatio, vel accusatio data est sine nomine alicuius accusantis, vel denunciãtis, tunc & hoc casu tota inquisitio, vel processus, qui fiet super ipsa denunciatione, vel accusatione tam in scripturis notarij, & ambasciatis præconũ, quàm in consilijs iudicum & sapientum, & in alijs litibus, & securatibus, quæ fierent, debeãt fieri sine aliqua expensa denunciati, vel accusati, & detur copia denunciatio, vel accusato totius processus quandocunq; per eum petetur, & eius defensio audiatur, statuto aliquo non obstante.

Statutum conditum 1329.

SI accusatio, denunciatio, vel inquisitio instituta, vel facta erit contra aliquem, super ea procedatur hac forma videlicet, quod in accusatione, vel denunciatione per accusantem, vel denunciantem

tem

tem debeant nominari testes cum nominibus, & prænominibus, & contratis habitationis eorum, & numerus testium, & non plures, nec pauciores, & cum nominibus, & prænominibus duorum proximorum vicinorum cohærentium ipsius accusantis, vel denunciantis, & nomen proprium, & prænomen patris, & contratam accusatoris, & accusati, seu denunciatoris & denunciati, siue in ciuitate Paduæ, siue in villa contineri debeant. Et licet prædicta obseruata non fuerint, non propterea videtur ipsa accusatio, vel inquisitio, si accusans coram iudice interrogatus dixerit accusatum in præsentia iudicis existentem esse illum eundem, qui eum accusauit, vel si aliter ipsi iudici constat de personis accusantis & accusatæ, siue denunciantis & denunciatæ, & si constet de personis prædictis, vel non relinquatur arbitrio iudicis. Saluo ꝙ prædicta non habeant locum in forensibus accusatis, denunciatis, vel inquisitis, seu offensis, si per modum inquisitionis procederent. Cuius inquisitionis, denũciationis, vel accusationis cuilibet petẽti copia debeat exhiberi & ante excusationem pœna iudici recusanti centum librarum, & notario librarum 25. si copiam facere recusauerit iudice mandante. Et nihilominus iudex dictam copiam faciat exhiberi. Et istarum pœnarum medietas sit communis, & altera medietas sit partis conquerentis. Quod si copia data non sit, & porrecta accusatione vel denuncia, seu instituta inquisitione citari debeat accusatus, denunciatus, vel inquisitus primo in communi pa-

latio pulsata tubeta, & super schalis ipsius palatij alta voce præconis, exprimẽdo nomen iudicis, & notarij, coram quo debeat comparere, & causam quare, & per quem accusatus vel denũciatus est, & ꝙ infra tertiam diem comparere debeat ad se excusandum. Et citari similiter debeat semel personaliter, vel bis ad domum suæ habitationis, si habitauerit in ciuitate Paduæ, vel in districtu spatio trium dierũ inter vtranq; cridam publice, & de die, & vicinis audiẽtibus. Et si nõ esset habitator Paduæ vel districtus, tũc facta crida palatij, scribatur dictã citatio in vno breui, & figatur in vna portarum palatij, vt moris est, & remanere debeat vnum breue ibi saltem per tres dies, & aliter facta nõ valeat, & pro non facta habeatur. Et denunciatus, vel accusatus, vel inquisitus si infra dictas dilationes non comparuerit, etiamsi non fuerit probatum maleficium, condemnetur tamen perinde ac si præsens esset, & confessus fuisset, vel probatum esset maleficium, de quo accusatus, denunciatus, vel requisitus fuerit, ita tamen ꝙ eidem habito pro confesso nõ intelligatur propter hoc aliquid de condemnatione remissum. Et si maleficium fuerit probatum, cõdemnetur in duplum, excepto homicidio, & eo non probato accusatus denunciatus, vel inquisitus condemnari debeat solum propter eius contumaciam secundum formam statutorum communis Paduæ de hoc loquentium, & positorum in præsenti libro infra sub rubrica de Homicidijs. Si vero reus comparuerit quandocunque ante condemnationem

tionem de se factam, se excusare debeat a denunciatione, inquisitione, vel accusatione nullis, obstātibus exceptionibus, sed post excusationem audiatur super omnibus suis exceptionibus, & defensionibus. Saluo quod etiam ante excusationem per se, vel per legitimũ procuratorem proponere possit exceptiones forbannitionis, satisdationis non pręstitæ, rei iudicatæ, inquisitionis, denũciationis, vel accusationis inepte conceptæ, quæ ineptitudo ex serie ipsius denunciationis, vel inquisitionis, seu accusationis apparere possit, quod solas exceptiones, & non aliquas alias iudex coram quo positæ fuerunt, admittat, cognoscat, & eas decidat, pronunciando super eis id, quod crediderit esse de iure. Idē faciat in supradictis, vel alijs exceptionibus post excusationem oppositis ad impediendum processum, vt iudex antequam procedat ad examinationem testium, & ad diffinitiuam sententiam decidat omnes exceptiones dilatorias, & declinatorias iudicij, & etiam peremptorias, & omnes alias impedientes processum, & super ipsis pronunciet vtrum obstent & processum impediant, vel aliqua earum, declarando obstantes, vel non peremptorias, vel non impedientes processum solum tempore diffinitiuæ sententię. Et si in ipsa excusatione reus cōfessus fuerit sponte se commisisse maleficium in accusatione, denunciatione, vel inquisitione contentum, remittatur eidem quarta pars condemnationis, quæ ipso non cōfitente eueniret, sed aliter maleficio probato imponi debuisset, ita quod condemnetur

tur ſolum in tribus partibus eius, quod debuiſſet condemnari ipſo non confitente, vel aliter maleficio probato. Et inquantum confeſio ſpontanea releuat confitentem, intantum negatio probationibus ſubſequentibus, aggrauet negantem. Si autem ſe excuſando negauerit contenta in accuſatione, denuncia, vel inquiſitione, ſtatuatur ſibi per iudicē terminus 15. dierū ad omnes ſuas defenſiones producendas, & proponendas, in quo termino nominare etiam debeat teſtes, quos producere voluerit ad ſui defenſionem. Nec poſſint aliqui alij teſtes, q̃ nominari in accuſatione per accuſatorem, ſeu nominandi per eum infra terminum datum ad ſui defenſionē audiri, & examinari, niſi a teſtibus ſupradictis alij aliquid fuiſſent nominati, neq; recipi vel produci poſſint poſitiones vel interogationes a partibus. Receptis probationibus hinc inde iudex publicet proceſſum, & atteſtationes, & exemplum ſeu copiam ipſius proceſſus faciat exhiberi partibus, ſi requiſitus fuerit. Et iudex ſi dari copiam prędictam partibus, ſeu parti requirēti negauerit, incidat in pœnam librarum centum, quarum medietas, ſit cōmuni, & altera ſit partis, cui dari copiam negauerit. Et nihilominus copiam exhiberi facere teneatur, aſſignando etiam partibus certū terminum ad habendum copiam, & exemplum proceſſus, & ad opponendum ſi opponere voluerint, & ad allegandum quicquid partes allegare voluerint de iure ſuo. Et teneatur iudex maleficiorum, ſi requiſitus fuerit præſtare terminum partibus ad allegandum

gandum de iure suo , & ipsum terminum in actis scribere, seu scribi facere in pœnam librar. 15. paruorum, quarum medietas sit communis, & altera medietas partis, quæ de hoc iudicem accusabit. Quibus terminis elapsis, allegationibus, & iuribus partium auditis, infra 60. dies a die porrectæ accusationis, vel denunciationis, seu à die informatæ inquisitionis secundum formam statuti computãdos, procedatur ad obsulationes, vel condemnationes prout iuris fuerit. A qua quidem sententia appellari non possit, nec etiam dici nulla, vel integrum restitutio postulari. Et D. Potestas & iudex suus si prędicta non obseruauerint, incidant in pœnam librarum centum paruorum pro quolibet, & qualibet vice. Et huius pœnæ medietas sit communis, & altera sit partis, quæ de hoc potestatem, vel iudicem accusabit.

Potestate D. Simone de Manziatoribus dẽ Sancto Miniato 1286,

SI aliqua accusatio, vel denunciatio, vel notificatio facta fuerit, vel dé cætero fiet cõtra aliquem ciuem Paduæ absentem extra Paduanum districtum, & tale sit crimen, in quo ad defendendum procurator non admittatur, & absentia eius videatur domino potestati esse sine fraude, tunc dominus potestas possit eidem taliter absenti prorogare terminum, vel admittere procuratorem ad defensionem ipsius, prout ipsi domino potestati videbit. Et interim pẽdẽtę dilatione data per potesta-

tem

tem non currant 60 dies, intra quos terminantur causę criminales. Elapsa vero dilatione terminetur causa intra 60. dies secundum formam statutorum. Et de absentia eius, si accusatus fuerit longinquo, possit probari per publicam famam. Et supradicta locum non habeant in aliquo fugitiuo, seu vagabũdo, qui accusaretur, vel denunciaretur, qui gaudere non debeat dicto beneficio huius statuti.

Statutum conditum 1319.

DOminus potestas Paduæ possit super quocunque maleficio procedere per viã accusationis, vel inquisitionis, dummodo inquisitiones fiant super denunciationibus secundum formam statutorũ communis Paduæ, vel alias fiãt inquisitiones secundum formam iuris cõmunis Paduæ. & inquisitio nõ tollat accusationem, nec econtra siue pręcedat siue sequatur & possit condemnare solummodo super ea, super qua melius probatum fuerit. Et hoc non habeat locum in verbis iniuriosis, pro quibus tantum per viam accusationis possit procedi.

Potestate D. Vberto de Canoclerijs 1316.

IN arduis quæstionibus, & magnis maleficiorum potestas Paduæ cũ tota sua curia iudicum, si potestas, vel iudex, coram quo erit quæstio, requisitus fuerit, debeat audire diligẽter partium allegationes ad minus semel post publicationẽ testium, & terminum statuere compecentem partibus ad habendum

bendum copiam,& intelligatur competens terminus ſaltem trium dierum,vel maior ſecundum magnitudinem proceſſus.Et in caſu huius ſtatuti intelligamus arduas quæſtiones vbicunque pœna mortis,vel abſciſſionis membri,vel effuſionis ſanguinis vel famæ,vel pecunię librarum mille interuenerit. In alijs autem minoribus quibuſcunque ſufficiat, ſi ipſe iudex maleficiorum audiat allegationes ipſas cum aliquibus ex ſociis ſuis poſt publicationem, & quod terminum ſtatuat,vt ſupra,& ſit præciſum.

Poteſtate eodem.

SI negocium, ſuper quo erit controuerſia criminalis fuerit tale, ꝙ recipiat rei examinationem, iudex maleficiorum ad poſtulationem rei, vel accuſatoris interrogare debeat aduerſarium, qui factum proponet,& aſſeret ſic eſſe,an ſemel tantum, vel pluries illud factum, vel maleficium fuit commiſſum. Et interogatus reſpondere teneatur, & cogatur, & reſponſio eius ſcribatur in actis, ita ꝙ prædicta declaratio fiat,& certa, etiam ſi ex inquiſitione procederetur. Et ſuper prædictis etiam teſtes, qui de facto teſtificantur, interrogari debeant ad poſtulationem partis, contra quam producantur,& in cuius præiudicium teſtificantur,& reſpõdere debeant,an ſemel tãtum,vel pluries viderint, vel audiuerint, vel præſentes fuerint ijs, quæ teſtificãtur. Et talis interrogatio, vel reſpõſio ſi omiſſa fuerit,vel non facta,poſſit & debeat ad poſtulationem partis fieri etiam poſt publicationem teſtium.

Et

Et testis, vel aduersarius interrogatus cogatur facere dictam declarationem, possitque iudex etiamsi pars nõ petierit ex officio facere dictas interrogationes, quod vtilis sit interrogatio ipsa ad reprimẽdas calumnias, & dicta falsorum testium arguenda.

Potestate & anno suprascriptis.

SI aliquis produxerit instrumentum, testem, vel attestationẽ, vel scripturas aliquas in quæstione aliqua criminali, & interrogatus fuerit à parte, vel à iudice maleficiorum interrogatione in actis scripta, quam iudex incontinenti scribi faciat, an prædictis vti velit, teneatur respondere præcise an eis vti velit, dicendo volo vti, & vtor, vel nolo vti, & respondere non possit sub conditione, vel modificatione, videlicet si sunt bona, volo, vt inquantum sunt bona, vel similia, sed sua responsio sit pura, & sine aliqua perplexitate, vel modificatione. Saluo quod si fuerit principalis persona, possit vsque ad tertiam diem deliberare vtrum eis vti velit, vel non vti, & postea teneatur respondere præcise, vt supra. Si autem fuerit procurator, vel alius nomine alieno interueniens, & principalis persona habitet in ciuitate Paduæ, vel districtu, possit habere spatium, & petere tempus ad deliberandum octo dierum, vel quindecim, si persona principalis non habitaret in Padua, vel districtu, vel facere comparere principalem personam ad respondẽdum, si persona fuerit idonea, nisi fuerit pupillus, furiosus, mẽtecaptus, vel venter, quia tunc talis alieno nomine

in-

interueniens habeatur pro principali in hac respō
sione. Si vero persona principalis, quæ habitet in
ciuitate Paduæ vel districtu infra dictum tempus
non venerit vsq; ad 15. dies, tunc ipse procurator,
vel alieno nomine interueniens similiter respon-
deat, & si non responderit, nō adhibeatur fides ipsi
instrumento, testi, vel attestationi, & donec respō-
deatur, & non currat terminus petenti responde-
re, nec propterea differatur processus. Et intelliga-
tur testis produci per eum, qui facit citari testē, &
instat, quod testificetur tanquam pars, ad cuius pe-
titionem testificatur in causa, & qui tanquam pars,
vel pro suo iure, vel interesse eum postulat exami-
nari coram iudice, & instat vt examinetur, & per
accusatorem, qui in accusatione nominat testē, vel
reum, qui in excusatione sua similiter nominat te-
stem, vel reum, qui in excusatione sua similiter no-
minat testem, & per principalē personam quamuis
procurator, vel alius interueniens nomine alieno
produxerit, nisi cum sciuerit, desistat ab vsu. Hoc
idē intelligatur de istrumento, & possit principa-
lis persona producere testes, & instrumenta, & fa-
cere probationes in causa, etiam si per procurato-
rem, vel alium eius nomine interuenientem fuerit
lis contestata, & propterea non intelligatur in se
transferre iudicium, vel reuocare mandatum.

Potestate D. Marino Faletro 1339.

SI procederetur quocunq; modo, & forma con-
tra aliquam singularem personam, vel vniuer-
sitatem

ſitatem pro quocunque delicto ingerente pœnam librarum quinquaginta, vel abinde infra ſecũdum formam ſtatutorum cõmunis Paduæ, & ante condemnationem ille, ſeu illi, qui dicerentur fuiſſe paſſus, ſeu paſſi iniuriam per ſe, vel per interpoſitam perſonam legitime comparuerit coram iudice maleficiorum cognoſcente de cauſa, & ſacramẽto affirmauerit, ſeu affirmauerint ſe liberaliter, & ſponte pacificatos eſſe cum ſuo, vel ſuis aduerſarijs, remittatur in condemnatione dimidia pars condemnationis eius, quod debuiſſet condemnari, & etiam ſi non remitteretur, tamen remiſſa intelligatur facta condemnatione, & in dicta ſumma librarum quinquaginta non computetur bannum armorum nec cõputetur pœna aucta arbitrio poteſtatis, nec fiat coniunctio delictorum, quo ad impediendã pacem, vt ſi eſſet insultus cum armis, & verba iniurioſa, quod pax ſibi proſit, ſed ſi delictũ fuerit multiplicatum propter tempus, vel locum tunc multiplicatio bene impediat pacem, ſi propter multiplicationem pœna tranſcenderet libras quinquaginta. Si verò pæna tranſcenderet libras quinquaginta, tunc pax facta minuat quartam partem condẽnationis ſecundum quod minuit confeſſio aliam quartam partem. Si autem procederetur pro delicto quocunque ingerente pœnam librarum decem vel abinde infra, & ante condemnationem ille, vel illi, qui dicerentur fuiſſe paſſi, vel paſſus iniuriam, compareret coram iudice (vt ſupra dictum eſt) & firmauerit iuramento ſe liberaliter, & ſponte pacificatos

ficatos esse cum suo, vel suis aduersarijs, quod accusa & processus canceletur in totum. Pax vero de homicidio facta non prosit, nisi secundum formam statuti quod incipit. A modo aliqua pax, positi sub rubrica de homicidiis.

Statutum vetus conditum ante 1236.

NOn possit aliqua persona, nec debeat aliquem sibi constringere, vel obligare, vel securitatē aliquam modo aliquo, vel ingenio occasione alicuius contractus, vel distractus ab aliquo recipere de pace, vel concordia, vel fine, vel remissione non facienda de homicidijs, vel maleficijs aliis. Et si factū fuerit non valeat ipso iure, nec teneat, sed sit cassū, & irritum, & nullius momenti, & qui securitatem, vel promissionem in se receperit, vel alios recipere fecerit (vt supra dictum est) condemnetur, videlicet in homicidiis puniatur in libris ducentis. In alijs vero maleficiis pęnam librarum 50. communi dare teneatur, & nihilominus non valeat contractus.

Potestate D. Ferro de Circlis 1282.

OMnes pœnę pecuniariæ in maleficiis à forensibus exigantur in duplum, intelligendo forēses omnes illos, qui non sustinent onera, & factiones ciuitatis Paduæ, & non habitauerint in Padua, vel districtu per decem annos ad minus, statuto aliquo non obstante. Et appellatione forēsium in casu huius statuti non intelligantur famuli, & famulæ sustinentium, vel scriptorum ad sustinendum onera,

onera,& factiones cum commune Paduæ. Saluis priuilegiis scholarium.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

IN casu superioris statuti loquentis, quod omnes pœnæ pecuniarię in maleficijs exigantur a forēnsibus in duplum, statuimus quod appellatione forensium non intelligantur Veneti, sed habeantur pro ciuibus,& sustinentes factiones.

Potestate,& Capitaneo,& anno suprascriptis.

OMnes accusati,vel denunciati de aliquo maleficio,qui sponte venire volunt ad se excusandum,& securitatem præstare secundum eorum facultates,possint venire,& ab eis accipiatur illa securitas,quam præstare possunt,attenta qualitate delicti facultate bonorum, & personarum conditione, quæ omnia committuntur iudicis conscientiæ terminanda cum consilio domini potestatis. Et ipsi super defensionibus suis audiri debeāt, ne prætextu difficilis securitatis præstandæ tollatur sibi copia defendendi. Et si fuerint culpabiles reperti, condēnari debeant more solito,non obstante,quod securitas fuerit de minori quantitate recepta, quā fuerit condēnatio subsequuta. Ita tamē quod prædicti accusati,vel denunciati taliter comparētes ad torturam nō ponantur, sed si indicia sunt sufficientia ponendi ad torturam, prædicti remittantur, & processus canceletur,& contra eos,vt contumaces

de

de nouo procedatur. Alij vero accusati, vel denunciati, qui venire non curāt ad se excusandum, nec volunt venire, condemnētur & expediantur more solito. Et prædicta non obseruentur in casu, quo possit accusato, vel denunciato sequi pœna mortis, vel abscisio membri, sed contra eos procedatur secundum formam statutorum, & consuetudinem obseruatam.

Potestate D. Vberto de Cancelerijs 1316.

QVilibet, qui fecerit securitatem, vel promiserit communi Paduæ, seu iudici maleficiorum, vel alicui alteri recipienti nomine communis Paduæ de præsentando se, vel aliquem occasione delicti, vel maleficii, teneatur se, vel illum, quem promiserit, seu pro quo securitatem fecerit, præsentare secundum promissionem suam, & secundum præceptum iudicis, assignato sibi termino competenti ad se, vel illum, qui præsentare debebit præsentandum, ita quod terminus non sit minus trium dierū. Et reus si non se præsentauerit, vel non fuerit præsentatus in termino, habeatur pro confesso, & perinde possit condemnari reus, ac si confessus esset, nisi comparuerit usque ad quinque dies proxime subsequētes post terminum prædictum trium dierum. Et fideiussores perinde teneantur ad cōdemnationem soluendam, ac si reus confessus esset crimen, propter quod securitas accepta est. Et semper securitas facta in omni casu communi Paduæ intelligatur rite, & solemniter ex officio facta in bo-

nis principalis. Saluo beneficio statuti fideiussorũ, quod infra sequitur, & eximit eos a fideiussione, quando appresentant principalẽ, vel quando principalis peruenit in forciam communis, nisi condẽnatio iam esset posita ad rationem dominorum camerariorum seu illorum officialiũ communis, qui ad exigendas condemnationes deputati essent.

Statutum conditum 1335.

SI quis de Padua, vel Paduano districtu securitatem fecerit, vel promiserit communi Paduæ, vel iudici maleficiorum, aut alicui nomine communis recipienti præsentare aliquem, & ille, qui præsentandus erat, peruenerit ad manus domini potestatis Paduæ, vel sui iudicis, vel in carceribus communis Paduæ detentus fuerit quandocunque ante sententiam, aut pręsentatus fuerit per fideiussorem suum infra vnum mensem a die publicationis sententiæ, aut quomodocunque peruenerit in forciam domini potestatis, seu communis Paduæ infra dictũ tempus vnius mensis, quod tunc & hoc casu fideiussor eius sit totaliter exemptus ab ipsa obligatione, & vigore ipsius fideiussionis, seu obligationis non possit modo aliquo conueniri. Et si reus ille fideiussione facta postea commiserit aliquod aliud maleficium, quod tunc fideiussor nõ teneatur facto sibi præcepto, præsentare reum principalem, nisi pro ipso maleficio, pro quo fideiussit. Et hoc etiam habeat locum, si securitas fieret, seu

facta

facta foret ad cameram communis. Et huic statuto nullo modo renunciari possit, nec per pactum remitti, statutis seu iuribus aliquibus in contrarium loquentibus non obstantibus.

Statutum vetus conditum ante 1236.

SI aliquis pro quo facta erit aliqua securitas iudici maleficiorum, uel alicui alteri nomine communis recipienti postea commiserit aliquod aliud maleficium, tunc ille, qui pro eo fideiusserit, non teneatur eum præsentare, licet potestas hoc præceperit, nisi potestas affidauerit ipsum pro maleficio cōmisso post præsentationē antedictę securitatis.

Potestate D. Barone de Manziatoribus de Sancto Miniato 1288.

SI aliqua persona non subiecta iurisdictioni potestatis, & communis Paduæ commiserit, vel committi fecerit aliquod homicidium in personam alicuius iudicis de collegio, vel notarij, vel alicuius alterius habitatis in ciuitate Paduæ, vel districtu, & sustinentis onera, & factiones cum ciuitate Paduæ, vel cum aliqua villa Paduani districtus, & de ipso secundum formam statutorum communis Paduæ non fuerit vindicta habita per maiorem suum infra duos menses à tempore maleficij perpetrati, statuimus, quod abinde in antea, si qua iniuria in persona uel in rebus fuerit eidem malefactori dicta, vel facta, etiam si occisus fuerit, nō pro-

cedatur per potestatem seu cõmune Paduæ in aliquo contra iniuriam inferentem, nec occasione talis processus facti cõtra prædictum non subiectum communi Paduæ possit aliquo modo procedi, vel aggrauari. Et aliquis laicus nõ audeat habitare domos, aut tollere aliquas terras, vel cõducere à prædicto non subiecto, vel ab aliquo alio pro eo dante vel locante, sub pœna librarum centum, quarum medietas sit communis, & altera accusantis.

Statutum conditum 1331.

QVicunque in causis criminalibus obtulerit se procuratorem, vel sindicum, aut curatorem, vel tutorem, & quicunque agens nomine alieno, si ad præceptum iudicis non produxerit instrumentum procuræ, sindicariæ, tutelæ, vel actoriæ, seu curariæ infra terminum competentem non minorem trium dierum post præceptum iudicis, condemnetur in libris quinque paruorum.

Statutum conditum 1329.

PArentes possint impune percutere, verberare, & castigare ad eorum sensum, & voluntatem filios suos, nepotes, & pronepotes, dummodo sint de familia sua, & fratres possint similiter sorores suas secum habitantes, & fratres suos impuberes vsque ad decimum octauum annum inclusiue in casu præsentis statuti, & nepotes etiam ex fratribus, vel sororibus secum habitãtes, & mariti vxores suas, & concubinas, vel meretrices, & domini,

seu

seu dominæ famulos seu famulas & seruientes secum habitantes in domo ad vnum panem & ad vinum, & magistri discipulos suos, & magistræ discipulas suas, dummodo eos, vel eas non occidant, vel smanchent, vel vulnerent. Et possit exceptio ista proponi etiam ante excusationum. Et si attinentes insimul de eadem familia, seu maissaritia fecerint aliquem rumorem, vel percussionem, dummodo se non vulnerauerint, vel smancauerint, tunc condemnatio aliqua fieri non possit, si fuerint concordes infra tertiam diem.

Potestate D. Vberto de Frescobaldis de Florentia 1282.

AD perhibendum testimonium in criminalibus venire coram iudice debeat testis quilibet, qui sit citatus personaliter, vel bis cridatus ad domum habitationis suæ, ita q inter primam & secundam cridationem sit spatium ad minus sex dierum. Et qui ad præceptum iudicis non venerit, puniatur videlicet, si fuerit pro causa homicidij in libris decem paruorum. In alijs vero causis criminalibus condemnetur in solidis centum. Et nihilominus compellatur venire, & testimonium perhibere. Et possit testis ipse condemnari ipso facto, quia non venit ad præceptum iudicis, etiam nullo processu contra eum facto, vel excusatione sua audita. Eo tamen saluo, q possit suas excusationes, & defensiones facere ante condemnationem, si quas habe-

 ret.

ret. Facta vero condemnatione iudex maleficiorum debeat dare ipsum pro cōdemnato ad discum Aquilæ, vt condemnatio exigatur.

Statutum conditum 1331.

QVilibet, cui præceptum fuerit per dominum potestatem, aut per iudices, vel officiales eius, seu communis Paduæ, uel de eorum, seu alicuius eorum commissione, quod debeat comparere corā ipsis, & maxime occasione alicuius iniuriæ, quæ diceretur sibi facta, condemnetur in solidis centum paruorum, si non verit secundum præceptum sibi factum. Possit tamen & plus & minus puni in determinatione D. Potestatis secundum qualitatem facti, & personæ.

Potestate D. Guidone de Monte 1262.

COmmune, seu potestas Paduæ non debeat, neq; possit se intromittere, aut processum aliquem, uel condemnationem facere de aliqua misella, seu rixa, vel discordia facta inter scholares. Et hoc locum habeat, si scholares ipsi se concordauerint de illa discordia, & rixa infra decem dies computandos à die commissi delicti. Et si misella, seu rixa, vel discordia fuerit talis, ꝙ exinde sequatur pœna librarum centum paruorum, uel abinde infra, & non aliter.

DE

DE BLASFEMANTIBVS DEVM, ET SANCTOS EIVS. RVBRICA.

Poteſtate D. Guidone de Rubertis 1276.

NVllus ciuitatis Paduæ, vel diſtrictus blasfemare Deum, vel beatam virginem Mariã debeat, vel dicere ꝙ Deus non poſſit facere, vel aliquod dedecus inferat, in pœnam librarum vigintiquinq; paruorum. Qui vero ſanctos aliquos blasfemauerit, aut in eos dedecus aliquod dixerit, condemnetur in libris decem. Et iſtorum bannorum medietas ſit communis & altera ſit accuſantis, & quilibet poſſit accuſare, & credatur ſoli verbo accuſatoris, dummodo ſit bonæ famæ, & opinionis, & de bona fama, & opinione accuſatoris ſtetur arbitrio domini poteſtatis. Et ſi condemnatus ſoluere non poſſet, fuſtigetur circa palatium iuris.

Poteſtate eodem & milleſimo.

QVicunque fecerit aliquam iniuriam contra figuram Dei, vel ſuorum ſanctorum factam in aliqua Eccleſia intra, vel foris, vel alibi in quocunque loco, vel in aliquam crucem vbicunquẽ poſitam, feriendo, vel deuaſtando, aut deſtruendo eas, vel aliquid in aliqua ipſarum, ſeu in partem earum exiſtentes, condemnetur in amputatione manus. Poſſit tamen eam redimere infra decem dies

pro libris 50. paruorum, vel aliter puniatur arbitrio D. Potestatis, inspecta conditione personarum & qualitate facti.

Potestate eodem.

QVilibet, qui comederit in quadragesima carnes, aut oua, lac, vel caseum, seu aliqua vetita in quadragesimali tempore, nisi habuerit licentiā a domino episcopo, vel eius vicario de conscientia medici propter infirmitatem, condēnetur in libris 50. paruorum. Et becarius, qui vendiderit carnes, & casalinus, qui vendiderit caseum dicto tempore, condemnetur in libris decem paruorum. Et talium bannorum medietas sit communis, & altera sit accusatoris. Et possit quilibet accusare, & teneatur in credentia, ac credatur iuramento accusantis, dummodo sit bonæ famæ & opinionis in determinatione D. Potestatis.

Statutum vetus conditum ante 1236.

AD reuerentiam & honorem Virginis Mariæ gloriosæ, non audeat aliquis cum bestia aliqua viua, vel mortua, vel cum visceribus, seu interioribus bestiarum, vel cum corijs, aut pellibus calzinatis, vel multizatis, vel cum fœno, aut palea, seu cū aliqua turpitudine; trāsire per maiorem ecclesiam cathedralem, vel aliquam aliam ecclesiam. Et non audeat quisquam vendere, vel mercari aliquid, aut ludere ad aliquem ludum in ea, vel in claustro, eius, cum locus sit sacratus, & reuerendus. Et qui

contrafecerit, condemnetur in solidis 20. pro qualibet vice, cuius banni medietas sit communis, & altera accusantis, & quilibet possit accusare, & in credentia teneatur.

Potestate D. Bertolino de Mazijs de Brixia.

DE cætero si aliquis apparatus alicuius ecclesiæ reperiretur penes aliquē mutuatorē, vel præstatorem, intelligatur ipse mutuator, penes quem repertū fuerit aliquid de rebus sacerdotalibus, seu administerium sacrum pertinentibus, habuisse, & habere ipsas res malo modo, & ordine, & tāquam publicus, & famosus latro habeatur. Et cōtra eum inquirendo, puniendo, & condemnando procedi possit tanquam contra publicum, & famosum latronem. Non possit tamen contra eum procedi, si res ipsas essent libri, vel aliæ res tales, q etiam laici vterentur ipsis. Et si fuissent penes mutuatorem illum positæ de voluntate episcopi Paduani, aut vicarii sui, seu prælati ipsius ecclesiæ, vel monasterij, cuius essent dictæ res, & paramenta.

Potestate D. Verro de Circlis 1282.

SI quis fecerit aliquam aggressuram, vel depredationem cōtra aliquod monasterium, procedatur cōtra eum, ac si fecisset aggressuram, vel depredationem contra laicum, & pœna legitima puniatur, statuto aliquo non obstante.

DE

DE VERBIS INIVRIOSIS. RVBRICA.

Statutum conditum 1329.

QVicunque in alium dixerit verba iniuriosa, condemnetur in solidis centum. Et si fuerit coram potestate, vel aliquo ex suis iudicibus, vel militibus, vel in palatio, aut in domibus potestatis, vel domini capitanei, aut si fuerint dicta in palatio potestatis, vel domini capitanei, aut in ecclesia, vel domo, seu porticu alicuius de nocte condemnetur in duplum, & minus arbitrio potestatis, inspecta qualitate personarum, & facti. Et quæ sint, vel non sint verba iniuriosa, stetur arbitrio domini potestatis. Et si aliquis prædicta commiserit in personam alicuius gastaldionis, vel officialis cõmunis ordinarii, vel extraordinarii, ambasciatoris, aduocati, seu patroni causarum consilium dantis, aut iudicis, vel tutoris, curatoris, actoris, procuratoris, vel alicuius litigãtis pro alio, aut notarij, vel alicuius exercentis, vel exercere volentis aliquod ex commissione domini potestatis, vel alicuius de sua familia, vel alicuius alterius officialis communis Paduæ occasione sui officij, puniatur, & condemnetur in triplum eius, in quo condemnaretur, si in personam alicuius alterius dixisset, & vtrum fuerit occasione sui officij, vel non sit in determinatione domini potestatis, & suæ curiæ. Possint tamen impune parẽtes in filios,

ne-

nepotes, & pro nepotes, qui sunt de sua familia, & similiter fratres, & sorores suas secum habitantes, & in fratres suos impuberes vsque ad decimũ octauum annũ inclusiue, & in nepotes, etiam ex fratribus, vel sororibus secum habitantes, & mariti vxores suas, vel concubinas, seu meretrices morantes secum, & domini in famulos & seruientes suos, & magistri in discipulos suos, & dominæ in famulas suas dicere quicquid velint pro castigatione sua, & exceptio ista possit opponi etiã ante excusationẽ.

Potestate D. Federico de la Velonga 1372.

SI aliqs disfamauerit, vel disfamari fecerit aliquã mulierem virginem, seu viduam honestæ vitæ in ciuitate Paduæ, vel districtu, asserendo, vel dici faciendo, ꝙ ipsa mulier dedit sibi manum in fidem, seu quod sibi promiserit ipsũ accipere pro marito, vel aliquid aliud compellẽs, vel dixit, ꝙ ipsam carnaliter cognouerit, & mulier ipsa, vel aliquis alius pro ea querelã fecerit de ipsa disfamatione domino potestatis Paduæ, vel vni ex suis iudicibus, tunc ille, qui disfamauerit, seu disfamari fecerit, & quilibet alius particeps dicti delicti, si probare plene nõ potuerit mulierem ipsam dedisse sibi manum in fidem, aut promisisse prædicta, vel se carnaliter cognouisse ipsam, cõdemnetur in libris centum paruorum, & in pluribus vsque ad ducentas in arbitrio domini potestatis, inspecta qualitate facti, & personarum, cuius pœnæ medietas sit communis,

&

& altera medietas ſit mulieris disfamatæ. Et condemnatus ſi dictam pœnam non ſoluerit infra mēſem a die condemnationis computandum, tunc in carceribus teneatur per ſex menſes continuos. Et nihilominus pœnam ſoluere teneatur. Item omnia obſeruentur contra mulierem, quæ modo aliquo prædictorum disfamaret aliquem virum.

Poteſtate eodem & millesimo.

QVicunque minatus fuerit occidere aliquem, puniatur in libris quinquaginta paruorum, & in pluribus vſque ad centum arbitrio domini poteſtatis, & ſuæ curiæ.

DE INSVLTIBVS, VVLNERIBVS, ET FERITIS. RVBRICA.

Statutum conditum 1329.

QVicunque fecerit inſultum in aliquem ſine ferita, & armis, cōdemnetur communi in libris decem paruorum. Et intelligatur inſultum feciſſe quicunque contra aliquem ſe mouendo de loco ad locum irato animo fecerit impetum, vel contra eū de loco ad locum ſe mouendo admenauerit, vel ipſum figurauerit inſequendo. Si ad domum fecerit inſultum ſine armis, condemnetur in libris vigintiquinque, & intelligatur quicunque feciſſe inſul-

tum

tum ad domum, si aliquem intra domum habitationis suae fugauerit stando, & admenando fugato ante ipsam domum insultati, aut si alicui existẽti in domo habitationis suę aggressuram fecerit ad dictam domum; & eodem modo intelligatur insultus, vel aggressus factus ad domum, si praedicta facta fuerint ad porticum, vel sub porticu dictae domus insultati, vel si fecerit impetum ibidem animo irato, aut si insultabit aliquem intra domum eius habitationis, siue in curtiuo, vel in curia dictae domus insultati. Qui vero fecerit insultum cum armis, condemnetur communi in libris 25. & bannum armorum soluere teneatur secundum formam statutorum. Pro insultu vero cum armis ad domum habitationis insultati, siue in ciuitate, siue in villa fuerit, condemnetur in libris centum paruorum, & nihilominus bannum armorum soluere teneatur secundum formam statutorum. Pro insultu facto in plateis communis, vel in stationibus communis, vel in platea domini capitanei, vel in ecclesia, cõdemnetur in libris quinquaginta paruorum, & nihilominus bannum armorum soluere teneatur. Et intelligatur platea communis sicut cingunt plateae communis ab vtroq; latere palatij, & similiter platea domini capitanei intelligatur, sicut cingit ante curiam habitationis suae. Pro insultu facto in domo, seu in palatio domini potestatis, aut domini capitanei, vel in palatio communis, condemnetur in libris centum. Pro insultu facto in presentia domini capitanei, vel domini potesta-

tis,

tis, condemnetur ad arbitrium D. Potestatis. Et in quolibet prædictorum casuum, quando ad domum insultati, vel in plateis, vel in palatio fact⁹ fuerit insultus, vel percussio, condẽnetur pro insultu, & percussione, ita ꝙ insultus & percussio non confundãtur. Et in quolibet alio casu, in quo pœna insultus est maior pœna percussionis, cõdemnetur de insultu solum & econuerso. Pro spinta condemnetur in solidis centũ. Et si propter spintã sanguis exiuerit spintato, condemnetur, qui spinxit in libris 25. Pro admenatione, seu asmigatione, aut euaginatione cum armis condemnetur in libris x. Si vero cum bastono vel lapide fuerit in solidis centum. Pro capucio, vel galerio de capite accepto, si ille, cui acceptum erit, reuocauerit sibi ad iniuriam, condemnetur, qui accepit, in solidis centum. Si aliquis animo iniuriandi proiecerit lapidem ad domum alterius, condemnetur si fuerit de die in libris x. si fuerit de nocte in duplum. Qui sagittauerit, vel balotauerit super palatium iuris, cõdemnetur in solidis centum pro quacunq; balota, seu sagitta, & plus ad arbitrium potestatis, & hoc casu quilibet possit accusare, & habeat medietatem banni.

Potestate D. Marino Faletro 1339.

SI quis aliquem sagittauerit cum balista, vel cum arcu cum sagittis, vel alio genere sagittandi, & non vulnerauerit, condemnetur in libris quinquaginta. Si vero vulnerauerit, smancauerit vel incassauerit, condemnetur in duplum eius, in quo con-

condemnaretur, si cum aliis armis aliquod dictorũ maleficiorum commisisset,& minus arbitrio D.Potestatis,& suæ curiæ,inspecta qualitate personarũ.

QVi cum arcu à balotis traxerit in ciuitate, vel burgis, & non percusserit aliquem, puniatur in solidis cẽtum, & si aliquem percusserit,tunc puniatur sicut puniretur si cum alijs armis percussisset,aut vulnerasset aliquem. facta tamen distinctione vtrum cum sanguine effusione, vel non percussio fuerit,& quilibet possit accusare,& habeat medietatem banni.

Potestate D.Guidone de Rubertis 1276.

QVicunq; de cætero faciet pugnam cum lapidibus causa ludi in ciuitate Paduæ, vel suburbijs, si fuerit 14.annorum, vel abinde infra, soluat communi Paduæ solidos xx. pro banno, & ad hoc cogatur eius pater,& si patrem non haberet, tunc ipsemet soluere compellatur. Si vero fuerit maior annis quatuordecim vsque ad xx. tunc soluat pro banno solidos 60. Si vero erit maior annis 20.tunc soluat libras x.& quilibet possit accusare,& habeat tertiam partem banni. & aliæ duę partes sint communis.

Statutum conditum 1329.

QVicunque euaginauerit aliquod genus armorum prohibitorum contra aliquem, siue admenauerit, siue non admenauerit, vel vulnerauerit

rauerit aliquem in palatio , seu domibus domini potestatis, vel domini capitanei, aut in eorum curtiuis, vel in plateis communis, quę sunt ab vtroque latere palatii iuris, vel in platea domini capitanei, vel inter plateas cõmunis, & plateam domini capitanei, vel in palatio iuris, puniatur in amputatione manus dexterę, vel aliter corporaliter, vel pecunialiter arbitrio D. Potestatis. Idem intelligatur in eo, qui euaginauerit aliquod genus armorum prohibitorum extra loca præmissa cõtra aliquem, & eum prosequutus fuerit cum aliquibus ex suis armis prohibitis & euaginatis in aliquo dictorum locorum.

PRo alapa data condemnetur in libris 50. & in pluribus arbitrio D. Potestatis, inspecta qualitate facti & conditione personarum.

PRo percussione, scapillatura, vel scapuciatura sine armis, condemnetur in libris x. & plus arbitrio potestatis vsq; ad libras 25. paruorum, etiam si continuatione eiusdem rumoris pluries percusserit. Si vero super faciem percusserit, aut facta fuerit percussio, vel scapuciatura, etiam si ex percussione sanguis de ore, vel de naso exiuerit, condemnetur in libris 50. & minus ad arbitrium potestatis. Si vero cum armis prędicta fecerit, condemnetur in duplum. Et si alius atrociter verberauerit aliquem, puniatur in libris 25. & in pluribus vsque ad 50. arbitrio potestatis.

PRo quolibet vulnere facto cum sanguinis effusione, condemnetur in libris centum, & minus

ad

ad arbitrium potestatis, habita cōsideratione vulnerum, & personarum, & in quo loco personæ facta sint vulnera, & cum quibus armis. Pro quolibet vulnere facto cum armis in facie cum sanguinis effusione, de quo non sit remansura euidens cicatrix, cōdemnetur in libris ducentis paruorum, & minus arbitrio D. Potestatis, inspecta qualitate personarum, & vulnerum. Si vero euidens manifesta, & nō modica cicatrix post curatum vulnus appareat, seu apparere non sit verisimile, condemnetur in libris ducentis communi, & totidem iniuriam passo, & minus ad arbitrium D. Potestatis, inspecta qualitate personarum, & vulneris, & vtrum sit manifesta cicatrix, & euidens sit in arbitrio D. Potestatis, & curiæ suæ cum consilio medicorum.

Potestate D. Vberto de Cancelerijs 1516.

AD calumnias reprimendas statutum est, quod si quis accusatus fuerit, quod vulnus alicui intulerit vel etiam si contra aliquem procedatur per inquisitionem, vel aliter de vulnere in aliquem illato, & reus vel eius procurator petierit a iudice, quod vulneratus debeat ad hoc videri per iudicem, & medicos communis vtrum habeat vulnus secundum quod dicitur fore illatum vel cicatricem ex vulnere, iudex maleficiorum requisitus teneatur ad pœnam librarum ducentarum, & debeat facere, quod talis, qui dicitur vulneratus, compareat coram ipso in præsentia medicorum ad discum maleficiorum, vel ali-

bi in domo communis, & videre vulnus seu cicatricem cum medicis debeat, & scribere cicatricis qualitatem. Et si nullum vulnus, vel nullam cicatricē inuenerit, similiter faciat illud scribi ad hoc vt apparere possit, an verum sit crimē vulneris obiectum. Saluo ꝙ si vulneratus esset taliter infirmitate grauatus, ꝙ commodè ad locum prædictum comparere non possit, tunc iudex ipse cum medicis debeat accedere ad postulationem rei ad locum, vbi erit vulneratus ad videndum, & in scriptis reducendum prædicta. Et hoc etiam saluo, quod si esset fęmina honestæ vitæ, quæ diceretur vulnerata in loco, qui non esset decens videri sic in publico per homines, tunc iudex cum medicis ire debeat in loco decenti & congruo. Et si decens esset videre cũ medicis, aut facere videri per matronas honestas, & fide dignas, & dicta earum, sicut etiam medicorum faciat in scriptis redigi.

Statutum conditum 1319.

PRo incassatura, & qualibet smancatura, seu debilitatione membri, intelligendo manum debilitatam etiam, si vnus solus digitus fuerit debilitatus, condemnetur reus, seu malefactor communi Paduæ in libis ducentis paruorum, & in totidem iniuriam passo. Et si prædicta, vel aliquod prædictorum commissa, seu facta fuerint in aliquo locorum præscriptorum, tunc duplicentur pœnæ suprascriptæ. possit tamē minus puniri ad arbitrium domini potestatis secundum qualitatem delicti, &

per-

personarum. Et non possit condemnatus euadere dictas condemnationes prætextu alicuius forbanniti, & in omnibus supradictis casibus bannum armorum soluere teneatur.

SI prædicta, vel aliquod prædictorum commissa fuerint de nocte, condemnetur in duplum, intelligendo noctem in casu præsentis statuti à sono primæ campanæ de sero vsque campanam diei quæ pulsatur in mane.

QVilibet, qui prædicta vel aliquod prædictorum commiserit præmeditate, pensate, vel ex proposito, de quo stetur determinationi D. Potestatis, & suæ curiæ, condemnetur secundum crudelitatem, & enormitatem criminis in plusquam dicat statutum, dummodo non excedat duplum eius quod supradictum est.

QVicunque, qui ad prædicta maleficia committenda, vel aliquod prædictorum committendum dederit auxilium cooperatiuum super facto, condēnetur, & simili modo puniatur vt dictum est de eo, qui commiserit maleficicium. Si vero dederit auxilium post commissum maleficium fugiendo vel non permittendo malefactorem capi, puniatur in mediatem eius, in quo puniretur principalis delinquendo.

Potestate D. Marco Dandalo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

SI quis amputauerit alicui manum, vel nasum, aut tibiam, vel pedem, aut brachium, vel aurē,

aut oculum eruerit, condemnetur pro quolibet tali membro amputato, seu eruto in libris mille paruorum, & in pluribus arbitrio domini potestatis, considerata qualitate facti, & conditione personarum. Si vero digitum amputauerit, tunc condemnetur in libris quingentis paruorum. Et in quocũq; casu huius statuti medietas condemnationis sit cõmunis, & altera medietas sit iniuriam passi.

Potestate D. Marino Faletro 1339.

ARmorum appellatione in casibus suprascriptis, & in alijs solummodo contineãtur arma illa, propter quorum delationem per statuta communis Paduæ pęna est imposita. Saluo quod si vulnus, smancatura, siue debilitatio membri alicui illata, seu illatum foret, tunc omne, quod ad nocendũ aptum est armorum appellatione contineatur. In aliis autem casibus commisso delicto cum aliquo apto ad nocendum addatur in condemnatione medietas condemnationis, quæ locum habeat in percussione sine armis, & plus & minus arbitrio potestatis, inspecta qualitate facti, & armorum.

Potestate eodem & millesimo.

QVi aliquem vulnerauerit, vel percusserit, incassauerit, vel smancauerit, compellatur per dominum potestatem, vel iudicem maleficiorum ad præstandum vulnerato, seu percusso, vel incassato, aut smancato omnes expensas, quas vulneratus, incassatus, seu smancatus, vel percussus fecerit,

seu

seu sustinuerit, vel verisimile fuerit eum facere, vel sustinere debere quousq; fuerit liberatus in medicis, medicinis, & qualitercũq; occasione vulneris, seu percusionis, vel incasaturę, aut smancaturę, de quib9 expẽsis stetur sacramẽto vulnerati, seu percussi, aut incassati, vel smãcati, taxati. iudicis pręmissa.

Potestate D. Girardino Longo 1266.

SI quis fecerit aliquem pensate percuti, tunc ille qui eũ percusserit, condemnetur in libris sexcentis, & non minus, & si soluere ipsas non poterit infra decem dies, tunc abscindatur manus. Et si nõ venerit ad mauus potestatis ille, qui percussit, tunc ille, qui percusionem fieri fecerit, teneatur soluere cẽdemnationẽ factam in percussorẽ. Et quocunq; in casu ille, qui fecerit percuti cõdemnetur in libris mille, & non minus, & plus in determinatione domini potestatis secundũ qualitatẽ facti, & personę. Et potestas Paduæ possit occasione inueniendi dictum maleficiũ, vel dictam feritam tormentare testes, & illũ, qui percusserit, & illũ qui percuti fecerit, & omnes, quos potestas, & sua curia præsumpserit suspectos dicti maleficij, vel dictæ feritæ.

Potestate D. Ottolino de Mandelo 1288.

SI quis forensis non habitator ciuitatis Paduæ, vel districtus fecerit aliquem percuti, vel mãdauerit percuti, seu vulnerari aliquem, vel ali-

quos, & ex ipſo vulnere ſeu percuſſione non fuerit mors ſubſequuta, tunc ille qui dicetur feciſſe fieri dictam feritam, ſeu percuſſionem, citetur publice ſuper ſchalis palatii, quod veniat ad excusādum ſe coram D. Poteſtate, vel iudice ſuo ad maleficia deputato. Et facta citatione ſi ad terminum non venerit, & ob illam cauſam fuerit condemnatus, tunc ſi condemnationem in eum factam occaſione prædicta infra x. dies non ſoluerit, ab illo tempore in antea forbanniatur, & forbannitus perpetuo intelligatur, & ſit tanquam homicida, & pro homicidio probato, & illis pęnis & bannis ſubiaceat, quibus ſubiacent forbāniti communis Paduæ pro homicidio probato. Si vero ex ipſa percuſſione, ſeu vulnere illato, vel illata de præcepto vel mandato ipſius mors ſubſequuta fuerit, & ille, qui fecerit fieri, vel mandauerit, vel diceretur feciſſe fieri, citatus publice fuerit ſuper ſchalis palatij, ac etiam per literas poteſtatis deſtinatas ad poteſtatem illius loci, de quo diceretur fuiſſe ipſe forenſis, dummodo locus ille ſit propinquus Paduæ ad tres dietas, in quibus literis poteſtati ſignificet quis inculpatus, & de quo ſi infra octo dies à die pręſentationis literarum non comparuerit coram poteſtate Paduę perſonaliter ad ſe excuſandum de prædictis, habeatur pro confeſſo, & in eum poteſtas Paduę poſſit & debeat ferre ſententiam & condemnationem facere, ac ſi præſens eſſet, & confiteretur maleficium, vel homicidium. Et de præſentatione literarum credatur ſoli nuncio per poteſtatem deſtinato ad prædictū

locum,

locum, statuto aliquo non obstante generali, vel speciali, & sit præcisum.

Potestate & anno suprascriptis.

SI quis non subiectus iurisdictioni potestatis Paduę percusserit aliquem mandato alicuius subiecti iurisdictioni potestatis Paduæ, condemnetur ille, cuius mandato percussio facta erit in tantum, quantum deberet condemnari percussor, si esset subiectus iurisdictioni potestatis Paduæ, & nihilominus condemnetur pro mandato.

ITem si aliquis subiectus iurisdictioni potestatis Paduæ percusserit aliquem mãdato alicuius non subiecti potestati Paduæ, condemnetur ille, qui percusserit communi Paduæ pro percussione, vel ferita, & nihilominus condemnetur in tantum, in quantum deberet ille, qui fecerit fieri, si esset subiectus iurisdictioni potestatis Paduæ. Si vero tam percussor, quàm mandator non fuerint subiecti iurisdictioni potestatis Paduæ, tunc ipsi sint extra omnem protectionem iurisdictionis potestatis Paduæ, & communis Paduæ, & possint impune offendi in personis & rebus, statuto aliquo generali, vel speciali non obstante, & sit præcisum.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

MVlieres cuiuscunque conditionis existant, quæ insimul se scapillauerint, aut percusse-

rint, vel vulnerauerint, puniantur, vel absoluantur arbitrio domini potestatis, & suæ curiæ, attenta qualitate facti, & personarum. Ita tamen ꝙ absolui non possint, sed puniri debeant, vbi sequeretur mors, vel abscisio, aut debilitatio membri.

Potestate D. Iacobo de Rangonibus 1375.

RVsticus quilibet, seu villanus, & quilibet alius secum habitans quocunque nomine censeatur laborans terram, vineam, vel possessionem alienam quocunque modo vel titulo ab aliquo ciue ciuitatis Paduæ sustinenti onera & factiones cum ciuitate Paduæ, qui ausus fuerit, vel attentauerit perpetrare, seu qui maleficiũ commiserit in dominum, cuius est terra, seu vinea, vel possessio, quàm laborat, vel in ascendentes, seu descendentes, aut collaterales, vel in vxorem domini illius, seu alicuius eorum vulnerando, aut pecutiendo, vel occidendo, puniatur pro qualitate delicti hoc modo videlicet, si dominum vel aliquem de prædictis interfecerit, quod hoc casu malefactor ipse trahinetur ad caudam asini vsq; ad furcas, & ibi laqueo supendantur. Si autem vulnerauerit, ita quod ex illo vulnere non sit mortuus, tunc abscindatur ei manus dextra, & medietas bonorum suorum in commune Paduæ confiscetur. Si vero percusserit aliquem ex suprascriptis cum re apta ad nocendũ, siue sanguis exiuerit, siue non, puniatur in solo eius, in quo puniretur, si alium percussisset, & stes

in carceribus per sex menses. Et in omnibus casibus prædictis quilibet, qui præstiterit auxilium, consilium, vel fauorem, puniatur secundum quod puniri debet principis delinquens, vel prædicta committens. Præstans autem auxilium verbo tantum, condemnetur in abscisione manus dextræ. Quam redimere possit infra mensẽ soluendo communi libras centum, & in aliquo prædictorum casuum confessio, vel pax nihil posit.

Potestate D. Iacobo de Rangonibus de Mutina 1375.

STatuimus & ordinamus, ꝙ in omni casu, vbi quis venerit cõdemnandus pro insultu, & admenationem, aut euaginatione, non puniatur delinquens, nisi pro insultu vno, & vna admenatione, seu euaginatione, seu asmigatione, etiam si cõtra plures fecisset insultũ, & alios actus suprascriptos in continuatione eiusdem rumoris siue rixæ. Et si percussio, vel vulnus in continuatione eiusdẽ rumoris facta, vel factum fuerit pluries in eadem persona, vel etiam diuersis, non possit, nisi semel de banno armorum condemnari.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno. 1420.

VT crimina nõ remaneãt impunita, statuimus, & ordinamus, ꝙ si rumor, vel maleficiũ aliquod

quod fuerit de cætero commissum in aliquo loco in Padua, vel Paduano districtu, teneatur quilibet ibi tūc existens nominare malefactores iudici maleficiorum quandocunque fuerit requisitus. Et si nullus eorum, qui in eo loco erat, nominauerit malefactores ad præceptum iudicis requirentis infrà terminum sibi ad hoc per iudicem assignatū, quod tunc dominus potestas possit omnes, & singulos, qui in eo loco erant tempore cōmissi maleficii, cōdemnare in libris x. paruorum pro quolibet, & in pluribus arbitrio suo vsque ad libras 50. paruorum, inspecta qualitate facti, & personarum. Ita tamen quod si ante condemnationem factam aliquis ipsorum, qui præsentes erant, nominauerit coram iudice maleficiorum illos, qui rumorem, seu maleficium commiserint, tunc nulla cōdemnatio in eos fiat, id tantum condemnentur malefactores pro qualitate delicti secundum formam statutorum.

QVicunq; percusserit, aut vulnerauerit, vel iniuriam fecerit alicui officiali, iudici, aduocato, vel procuratori, aut baroderio, vel nuncio domini potestatis, vel domini capitanei, seu communis Paduæ ratione sui officij puniatur, & condemnetur secundum formam statutorum de prædictis loquentium, positorum supra sub rubrica de Pignoribus, seu tenutis, quæ loquitur de iniuriantibus officiales.

DE

DE HOMICIDIIS : RVBRICA.

Statutum vetus conditum ante 1236.

SI aliquis interfecerit aliquem in Padua, vel Paduano distrimunicipal;ctu, puniatur vltimo supplicio, & eisdem pœnis subiaceat quicunque committi fecerit homicidium aliquod, & eadem pœna siue supplicio puniatur, nisi cum hæredibus defuncti pacem fecerit, & habuerit infra vnum mensem computandum à tempore mortis, si captus fuerit, & si non esset captus forbanniatur, & possit acquirere pacem vsq; ad mensem vnum computandum à tempore mortis. In quibus casibus pax interueniat volũtaria, & non coacta. Et possit fieri, & acquiri pax à tutore, vel tutoribus, vel à maiori parte hæredum defuncti, & eodem modo possit fieri, & acquiri à curatore furiosi, vel prodigi, vel alterius adulti consentientis ipso adulto, vel à tutoribus, & curatoribus datis, & relictis ventri, & pax habita, vel habenda valeat, & teneat. Pax vero habita post mensem, nihil valeat, vel proficiat eidem, sed quandocunque capiatur postmodum interficiatur. Et si pacem habuerit, & euaserit pęnã mortis, teneatur soluere cõmuni pro bãno libras centum, & plus ad voluntatem potestatis vsq; ad libras quingentas paruorum. Et debeat etiam stare extra ciuitatem Paduę, & districtum per quinque annos continuos a die sententiæ computandos. Et si infra dictum terminum deprehensus fuerit in Padua, vel in Paduano

di-

districtu, teneatur in carceribus communis Paduæ vsque ad finem quinquennij. Saluo quod aliqua pax non prosit si homicidium commissum fuerit in palatio, vel in plateis cõmunis circa palatium, vel in platea domini capitanei, vel in domibus potestatis, aut capitanei, vel in stationibus communis, vel in aliquibus ecclesiis, porticibus, claustris, cimiterijs vel in aliquibus monasterijs, vel in domibus habitationis occisorum tam in ciuitate Paduę, quàm in villis, vel eorum porticibus, vel curtiuis, & eorum appenditijs, & adiacentiis, & pertinentiis. Si autẽ fugerit, & homicidium fuerit pensate commissum, confiscentur bona sua secundum formam statuti primi positi sub rubrica de Confiscatione bonorum, & perpetuo banniatur, & hoc nisi suam defensionem fecerit. Si vero forensis aliquis extra Paduanum districtum interfecerit aliquem Paduanũ, & repertus fuerit in Padua, vel Paduano districtu, possit, & debeat contra ipsum procedi de homicidio, & puniri etiam secundum formã statutorum communis Paduæ. Et si repertus in ciuitate, vel districtu Paduano non fuerit, tunc banniatur perpetuo de ciuitate, & districtu Paduano, dummodo in prædictis omnibus casibus ciuis Paduanus occisus habitet continue, vel pro maiori parte in ciuitate Paduæ, vel districtu, aut sustineat, vel sit scriptus ad sustinendum onera, & factiones cum ciuitate Paduę, aut cum aliqua villa Paduani districtus, & dummodo non sit forbannitus, vel pro forbannito non debeat tractari. Si vero ciuis Paduanus

nō habitauerit in ciuitate Paduæ; vel districtu continue, vel pro maiori parte anni, aut non sustineret, vel scriptus non esset ad sustinēdum onera, & factiones cum ciuitate Paduæ, vel cū aliqua villa Paduani districtus, vel si esset forbannitus, aut pro forbannito tractari deberet, tunc per potestatem Paduæ non possit de homicidiis procedi contra culpabiles. Et si facta inquisitione per potestatem, non constiterit de homicidio, videlicet quis fuerit homicida, tunc liceat hæredibus defuncti, vel eorū tutoribus, uel curatoribus accusare homicidam, nisi constiterit hæredes ipsius defuncti sciuisse, vel denunciatum fuerit ex commissione domini potestatis, vel sui iudicis hæredibus interfecti, vel ad domum habitationis ipsorum de processu super inquisitione facto. Et si inculpatus de homicidio venerit ad mandata domini potestatis, & absolutus fuerit ab inquisitione homicidij, de quo fuerit inculpatus, nō possit contra absolutum de homicidio de quo erit cognitum, & a quo fuerit absolutus, vlterius aliquo modo procedi. Et quilibet, qui ad homicidium committēdum dederit auxilium cooperatiuum super facto, cōdemnetur, & simili pęna puniatur vt superius dictum est vltimo supplicio. Si vero dederit auxilium post commissum homicidium fugiendo, vel non permittendo eum, capi, condemnetur in libris trecentis paruorum, & plus arbitrio potestatis vsq; ad quingentas libras paruorum secundum qualitatem facti, & personarum.

Pote-

Potestate D. Bassano de Suffragio de Laude 1306.

STatuimus, & ordinamus, quod a modo in antea pax aliqua super homicidijs, vel in homicidijs non fiat, nec valeat, neque fieri possit per interpositas personas extraneas ad quas res illa non pertineat, seu quæ dicant, vel dicere possint aliquo titulo, vice, & nomine alterius, ad quem nõ spectet ex debito rationis, sed solummodo valeat pax facta per eos, ad quos spectet secũdum formam superioris statuti loquentis super homicidiis de pace habẽda ab hæredibus defuncti, seu tutoribus vel curatoribus eorum, & aliter facta ipso iure non valeat. Et potestas ipsam pacem non admittat, & hoc lege, vel consuetudine non obstante. Et non possit fieri pax de homicidiis, nec facta valeat, nisi facta fuerit infra mensem computandum à tempore mortis, de quo appareat per publicum instrumentum confectum per bonum, & legalem, & publicum, & notorium notarium de fratalea notariorum subiectum temporali iurisdictioni communis Paduæ, in præsentia septem testium fide dignorum subiectorum dictæ iurisdictioni, & etiam factum fuerit, & ostensum, & productum coram domino potestate Paduæ, & coram iudicibus curiæ suæ, vel maiori parte ipsorum, & registrari debeat dictum instrumentum ad cancelariam communis intra x. dies post elapsum dictum mensem.

Potestate D. Paulo Quirino 1292.

SI aliqua persona quæ de homicidio commisso in personam non subiectam temporali iurisdi-

ctioni

ctioni communis Paduæ pacem habuerit, & pœnam mortis euaserit, & condemnatur in libris trecentis, vel illud plus, in quo fuerit condēnatus vsq; ad quingentas pro banno communi Paduæ soluerit, vt tenetur ex forma statutorum communis Paduæ, & libras 50. communi Paduæ soluere voluerit propter ipsum homicidium, nō possit detineri, vel mitti ad confines extra Paduam, seu districtum, & valeat ex nunc statuto aliquo non obstante.

Statutum vetus conditum ante 1236.

TVtor, seu tutores pupilli, vel pupillorum possint nomine pupilli, seu pupillorū suorū cum expensis pupilli, seu pupillorum criminaliter, vel pecunialiter agere, vel accusare homicidā, vel homicidas parentum pupilli, vel pupillorum suorum vel aliorum, quibus pupilli, vel pupillus successerit, vel successerint ex testamento, vel ab intestato. Et si per tutorem, vel tutores fuerit cōpositio, vel mēda facta, tunc pupillo, vel pupillis totum detur. Idem intelligatur in curatore generali adulti, prodigi, seu furiosi, & pupillus, siue adultus, siue prodigus, vel furiosus teneatur pacem, finem, & concordiam factam à tutore, vel curatore firmam, & ratam habere, & tenere perpetuo.

SI quis exterius venerit ad accusandum, non admittatur eius accusatio, nisi hæredis, vel tutoris auctoritas prius fuerit requisita per potestatem, vel eius iudicem, & hæres, vel eius tutor primo admittatur,

mittatur, alioquin extraneus admittatur seruata forma statutorum communis Paduae.

ITem si quis accusatus, vel alio quoquomodo inculpatus de homicidio, & voce praeconis fuerit exclamatus, vt veniat ad praecepta potestatis pro homicidio, si vsq; ad octo dies nõ venerit ad praecepta potestatis, licet non constet ipsum fecisse homicidium, tamen inculpatus de homicidio forbanniatur, & bona eius, si homicidium videtur domino potestati, & suae curiae pensate factum, publicentur, & in publicum seruentur, donec venerit ad praecepta potestatis, intelligendo bona sua detractis partibus succedentium secundum formam statuti infra positi sub rubrica de Confiscatione bonorum quod incipit. Si filius pro sua discordia. Et quando voluerit exire de libro, teneatur pro banno dare communi libras ducẽtas denariorum paruorum, & stare debeat extra Paduam, & Paduanum districtum per biennium à tempore sententię cõputandum, si soluerit. Ita tamen, ꝙ quando exierit de libro teneatur facere idoneam securitatẽ de stando ad confinia vsque ad finem biennij, si non esset finitum tempus biennii, & aliud bannũ propter contumaciam non possit ei afferri, nec imponi debeat ei sub occasione, ꝙ non venerit ad praecepta potestatis. Et si intra dictum biennium deprehẽsus fuerit in Padua, vel in Paduano districtu, teneatur in carceribus communis Paduae vsque ad finem biennij, etiam si soluerit communi Paduae libras ducentas. Saluo eo quod quandocunque per-

uenerit

uenerit in forciam communis Paduæ, poſſit contra eum occaſione homicidij procedi, non obſtáte condemnatione facta propter contumaciam.

Poteſtate D. Matthæo Quirino. 1268.

ET ſi maleficium fuerit probatum, poſſit, & debeat fieri ſententia in abſentẽ, ac ſi eſſet præſens, & confiteretur maleficium, & ſententia ipſa poſſit, & debeat mandari executioni, quandocunq; capiatur, nulla alia de nouo ſententia expectata.

Poteſtate D. Girardino de Longo 1266.

SI quis commiſerit, vel commiti fecerit homicidium penſate, nunquam poſſit habere pacem, & ſi eam habuerit, non poſſit nec debeat ei in aliquo caſu prodeſſe, ſed vltimo ſupplicio puniatur, ac ſi pacem non haberet, & nunquam habuiſſet. Et penſate intelligantur propoſitũ cum deliberatione habita ante commiſſum maleficium. Et vtrum homicidium fuerit penſate commiſſum, vel non, ſit in determinatione domini poteſtatis, & ſuæ curiæ, & duodecim de melioribus, & ſapientioribus iudicibus collegij, qui non ſint propinqui, affines vel aduocati partium, ſtatuto aliquo non obſtante.

Poteſtate D. Paulo Quirino. 1292.

PEr dominum poteſtatem, & ſuam curiam, & ſapientes prædictos non poſſit determinari aliquod homicidium vel maleficium fore penſate, vel ex propoſito factum, vel non contra aliquem, vel

aliquos, nisi in causa fuerit conclusum, & nisi fuerint plene auditæ, probationes,& allegationes vtriusq; partis,& nisi terminus competens ad minus octo dierum ad eas faciendas fuerit per iudicem datus,& transactus. Et locum habeat præsens statutum etiam quando per inquisitionem procederetur, & vendicet sibi locum in illis, qui essent in forciam communis Paduæ. Et aliter fieret, non valeat, nec teneat de iure, nec de facto.

SI quis forensis non habitator ciuitatis Paduæ, vel districtus fecerit, vel mandauerit percuti, seu vulnerari aliquem,& ex ipso vulnere, seu percussione fuerit mors subsequuta,tunc procedatur, & condemnetur secundum formam statuti positi supra sub rub. de Insultibus quod incipit.Si quis forensis.

SI laborator alicuius, vel aliquis de familia sua interfecerit dominum, vel aliquem de ascendentibus, seu collateralibus, vel vxorem alicuius eorum, trahinetur, & suspendatur secundum formam statuti positi supra sub rubrica de Insultibus, quod incipit. Rusticus quilibet.

DE ASSASSINIS, PRODITORIBVS, ET SVSPECTIS. RVBRICA.

Potestate D.Simone de Lupis de Parma.1366.

SI quis in Padua, vel districtu tractauerit per se, vel alium de occidendo aliquem in Padua, vel di-

districtu, & fuerit mors ex hoc subsequuta, ipse tractans, & ipse assassinus attrahinentur, & suspēdantur per gulam, vel comburantur. Si vero mors non fuerit sequuta, sed ipse assassinus peruenerit ad actum proximum interficiendi videlicet, quia percusserit, vel admenauerit, vel insultum fecerit, tūc ipse assassinus trahinetur ad caudam equi vsque ad furcam, & suspendatur per gulam. Si autem ad actum remotiorem processerit, tunc ipse tractans, & ipse assassinus eo ipso, ꝙ suscepit mandatum, & promisit occidere, condemnetur ad amissionem oculorum, & vnius manus validioris. Si vero alibi quam in Padua, vel Paduano districtu tractatum fuerit occidere aliquem in Padua, vel districtu, tūc & eo ipso quod assassinus intrauit Paduanū districtum pro homicidio committendo, eruantur sibi tractāti oculi, & vna manus pro quolibet validior sibi amputetur. Et si peruenerit ad actum (vt supra) proximum, vel remotum, puniatur vt supradictum est de his, qui tractant, & faciunt prędicta in Padua & in Paduano districtu. Si vero assassinus non esset in forciam communis Paduæ, omnia bona sua cōfiscentur, & condemnetur pro qualitate criminis, vt si quo tempore peruenerit in forciā communis Paduæ, puniatur vt dictum est. Et intelligatur assasinus, qui pro homicidio committendo aliquid recæperit, vel promiserit certum, vel incertum, aut habuerit aliquid per se, vel alium de voluntate sua.

Potestate D. Ottolino de Mandelo. 1288.

VT pessimum genus assassinorum cesset intrare palatium, & plateas communis, & ciuitatẽ Paduæ Statuimus, & ordinamus, quod omnes publici assassini intelligantur, & sint banniti communis paduæ, & pro bannitis habeantur pro homicidio probato, & subiaceãt illis pœnis, & bannis, quibus subiaceant forbanniti pro homicidio probato, & pensate commisso, licet non sint condemnati, & non sint scripti in libro condemnationum seu forbannitorum expresso nomine, statuto aliquo generali, vel speciali non obstante.

Potestate D. Thoma Iustiniano. 1271.

ALiqua cõuenticula, seu conspiratio, vel societas, si qua facta est hactenus inter aliquos de adiuuando, seu defendendo, & manutenendo in eis & personis, & omnes contractus, promissio, pacta, & instrumenta superinde facta, si qua sunt, non valeant, sed sint vana, & cassa, & nullius valoris. Et de cætero non audeat quisquam prædicta, vel aliquod prædictorum modo aliquo, vel ingenio facere. Et qui de cętero contrafecerit, puniatur videlicet, si fuerit miles in libris trecentis, si autem fuerit pedes in libris ducentis pro quolibet. Et nihilominus notarius, qui superinde fecerit, seu faciet aliquam scripturam, incidat in pœnam librarum ducentarum. Et si soluere ipsas non poterit, teneatur perpetuo in carceribus vsq; quo soluat, vel abscin-

datur eius manus in eius electione. Et nihilominus scriptura illa sit cassa, & nullius valoris.

Potestate D. Marino Faletro 1339.

NVllus monarius, ruffianus, portator, laborator terræ, hortolarius, murarius, vel marãgonus debeat sedere vel stare sub casella, seu lodia posita in capite pontis molendinorum sub pœna solidorum 20. paruorum pro quolibet, & qualibet vice, & quilibet possit accusare, & denunciare, & habeat medietatem banni, & teneatur in credẽtia, & miles domini potestatis, quando vadit per ciuitatem inquirendo de armis & victualibus, possit & debeat de prædictis inquirere, & cuilibet accusatori, seu denunciatori credatur cum vno teste bonæ opinionis & famæ.

Potestate eodem & millesimo.

VT peruersorum audacia reprimatur, & eorum noxius appetitus refrenetur, ac pacificorum, pudicorum, & modestorum innocentia conseruetur illæsa. Statuimus & ordinamus, ꝙ nulla persona ciuis, vel forensis cuiuscunque status, conditionis, dignitatis, præeminentiæ, & sexus existat, audeat vel præsumat in aliquod guarniamentum ire, aut mittere, vel accedere, siue in guarniamento aliquo esse in ciuitate Paduæ, vel burgis, vel in aliqua villa Paduani districtus, aliqua ratione vel causa sine licentia & parabola dominij nostri, aut domini potestatis, vel domini capitanei Paduæ. Et si con-

tra prædicta vel aliquod prædictorum aliquo modo factum fuerit, puniatur contrafaciens quilibet: videlicet, quod ille, vel illi cuiuscunq; cõditionis, & status existant, qui caput vel capita, seu auctor, vel auctores fuerint guarniamẽti, quod in ciuitate Paduæ vel burgis fieret, condemnetur communi Paduæ in libris mille paruorum. Et illi, qui in ipso guarniamento fuerint, condemnentur in libris quingentis paruorũ pro quolibet & qualibet vice. Et hoc si guarniamẽtum de loco, vbi factum fuerit, se non mouerit. Si autem se mouerit veniẽdo versus ciuitatem vel palatium domini potestatis, aut domini capitanei, aut versus plateas palatii iuris, vel D. Capitanei, aut versus palatium communis, vbi ius redditur, tunc auctores & principales dicti guarniamenti, si in forciam cummunis Paduæ peruenerit, vltimo supplicio puiantur, & medietas suorum bonorum in commune Paduæ deueniat. Si vero in forciam communis Paduæ non venerint; tunc ipsi auctores, & principales banniantur perpetuo de ciuitate Paduæ, & districtu, & bona sua in commune Paduæ deuoluantur. Et illi qui in ipso guarniamento fuerint, condemnẽtur in libris mille paruorum pro quolibet, & qualibet vice, & forbanniantur per quinquennium de ciuitate Paduæ, & districtu. Si vero guarniamentum in aliqua villa vel in aliquo loco Paduani districtus factũ fuerit, tunc auctores, & principales dicti guarniamenti condemnentur in libris trecentis paruorum. Et illi qui in ipso guarniamento fuerint, condemnentur

in

in libris centum pro quolibet, & qualibet vice. Et hoc si guarniamentum de loco vbi factum fuerit, se non mouerit. Sed si mouerit se veniendo versus ciuitatem Paduæ, tunc auctores & principales ipsius guarniamenti condemnentur in libris mille paruorum. Et qui in ipso guarniamento fuerint, condemnentur in libris quingentis paruorum pro quaque vice. Si autem versus aliam partem, quam versus ciuitatem Paduæ iuerint, tūc principales & auctores condemnentur in libris quingentis paruorum. Et qui in ipso guarniamēto fuerint, condemnentur in libris trecentis paruorum pro quolibet, & qualibet vice. Et minus in omnibus prædictis casibus arbitrio domini potestatis.

GVarniamentum autem factum in ciuitate, vel burgis Paduæ esse intelligimus, quotiescunq; vel quandocunque cœtus, vel turba hominum factus, vel facta fuerit, in quo, vel in qua fuerint decem homines armati tauolaciis, vel scutis, lanceis, siue lancionibus, cerucleriis & cutelesiis. In villis autem & in aliis locis Paduani districtus intelligimus factum est guarniamentum, quando cœtus, vel turba hominum factus, vel facta fuerit, in quo, vel in qua fuerint quindecim homines dicti armis armati. Et si aliquis in cœtu, vel turba facta in ciuitate, vel villa fuerit, quæ nō prædicta arma, sed alia arma habuerit, tunc sit in determinatione domini potestatis, seu domini capitanei, vel alterius ad quem pertineret, vtrum fuerit, vel non fuerit guarniamentum.

QVicunque contra dominum nostrum fecerit aliquod prodimentum, conspirationem, uel colloquium, puniatur realiter & personaliter arbitrio potestatis & capitanei, seu illius, ad quem pertineret, etiam si effectu caruerit.

Potestate D. Rizardo de Sancto Bonifacio comite Veronæ 1391.

NVllus terrigena Paduæ, districtualisq; aut forensis habitãs in Padua, vel Paduano districtu ausus sit loqui, uel per interpositam personam loqui facere cum rebellibus, & inimicis dominij nostri, aut mittere sibi vel ab eis recipere aliquas literas. Neque ausus sit aliquis habitans in ciuitate Paduæ, vel districtu audire, uel recipere nuncium, uel ambasciatam aliquam missam vel missum sibi pro parte dictorum rebellium, & inimicorum dominij nostri, sub pœna furcæ, & cõfiscationis bonorum. Et quicunque prædicta manifestauerit, & uerum fuerit repertum, habeat medietatem dictorum bonorum illius, quem manifestauerit in aliquo præmissorum deliquisse. Habeat tamen D Potestas, seu dominus capitaneus, vel alius, ad quem spectet arbitrium in prædictis & quolibet prædictorum disponendi aliter & condemnandi prout ei visum fuerit, considerata qualitate facti, & personarum.

Statutum vetus conditum ante 1236.

SI aliquis exiuerit de Paduano districtu occasione faciendi guerram contra dominiũ nostrum, &

& commune Paduæ, sit ipso facto perpetuo bannitus pro proditore, & bona sua deueniant in commune Paduæ. Et si aliquo tempore capietur, aut peruenerit ad manus communis Paduæ, puniatur vltimo supplicio.

Potestate D. Marino Faletro 1339.

QVælibet psona, quæ diceret, & arengaret, seu consuleret, aut tractaret in aliquo consilio, seu in concione aliqua, vel aliter publice, vel occulte, vel in aliquo loco quocunque modo de accipiendo de forcia, & manibus dominij nostri, seu communis Paduæ, ciuitatem Paduæ, vel aliquod castrum, seu locum, vel fortiliciam aliquam ipsius dominij nostri, seu communis Paduæ, seu tractauerit, dixerit, vel fecerit aliquid contra dominium nostrum, vel contra eius honorem, aut contra bonũ, & pacificum statum dominij nostri, & communis Paduæ, uel in damnum, aut diminutionem honoris, & status dominij nostri, seu communis Paduæ, etiam si res careret effectu, si erit ciuis Paduæ, tunc ipse, & omnes sui fautores, & sequaces, seu auxilium, & consilium præstantes prædictis, qui prædicta tractarent, uel arengarent modo prædicto, decapitentur, vel grauius aliter puniantur arbitrio dominij nostri seu dominorum potestatis, & capitanei, uel alterius, ad quem pertineret, & filij sui, & hæredes usque ad quartum gradum perpetuo sint forbanniti, & expellantur de Padua, & Paduano districtu, & omnia sua bona in commune Paduæ

de-

deueniant,& publicentur. Et si potestas, aut capitaneus, vel aliquis de sua familia proponeret modo aliquo, vel ingenio prædicta, vel aliquod prædictorum in aliquo consilio perdat totum salarium cum duplo, tam si receperit quam non, & modo prædicto decapitentur. Si vero fuerit forensis, qui prædicta tractaret, vel præsumeret, tunc ipse, & omnes sui fautores, & sequaces, seu auxilium, aut consilium eidem præbentes, trahinctur per totam ciuitatem Paduæ, & decapitentur, vel grauius, aut aliter puniantur in abitrio domini nostri, seu rectorum eius, vel alterius ad quē pertineret, & sint forbanniti eodem modo filij sui, & hæredes vsque ad quartum gradum, & bona sua deuoluantur in cōmune Paduæ. Et si aliquis ascenderet ad aliquem montem, castrum, seu fortiliciam de Padua, vel districtu eius causa rebellandi dominio nostro, seu cōmuni Paduæ, tunc ille, qui prædicta, vel aliquod prædictorum tractauerit, vel ordinauerit, vel alicui, seu aliquibus, qui prædicta facerent, vel tractarēt, aut fecisset, uel tractauisset, prębstaret auxilium, consilium, vel fauorem, cadat in pœnam supra in præsenti statuto declaratam, etiam si prædicta non fuerint effectum suum sortita. Et si aliqua persona erit forbannita de Padua, & Paduano districtu occasione prædicta, uel aliqua ipsarum, & aliquis potestas, vel capitaneus Paduæ proponeret ad consilia, vel faceret proponi dictum forbannitum, uel forbannitos prædictos debere extrahi de libro, seu de banno, vel extrahi faceret modo aliquo, vel ingenio,

genio, tunc ipse potestas, seu capitaneus, uel illi, qui prædicta facerẽt, uel fieri facerent, perdat, seu perdant totum suũ salarium, tam si receperint, q̃ non. Et idẽ intelligatur de terra Bassani, Solagna, Citadellæ, & alijs terris Paduani districtus, & de potestatibus Bassani, & omnium castrorum, & terrarũ Paduani districtus, & de ipsorum familia, & sit præcisum. Et idem in omnibus, & per omnia intelligatur de quolibet sciente quomodo, & non notificante, seu manifestante nostro dominio, seu alicui ex rectoribus suis prædictis incontinenti post scientiam suam.

Potestate D. Guidone de Rubertis 1277.

QVicunque transcenderit murum ciuitatis Paduæ, vel burgorum, aut spaldos, vel foueam ad descensum ciuitatis, vel suburbiorum, condemnetur in solidos centum pro qualibet vice, & in pluribus habita consideratione facti, & personæ. Et si transiuerit causa trãseundi ad hostes, vel causa fugiendi de ciuitate Paduæ occasione maleficij, seu alia quacunque causa malitiose, vel dolose intrauerit, aut exiuerit, possit in plus puniri realiter, & etiam personaliter arbitrio domini potestatis, inspecta qualitate facti, & personarum nõ obstante aliquo statuto in contrarium loquẽte. Et vtrum intrauerit, vel exiuerit malitiose, stetur arbitrio domini potestatis. Et si proiecerit lapides inferius, soluat libras decẽ. Et si abstulerit de lastris, seu laterculis, vel lapidibus muri ciuitatis spaldorum, condemnetur

demnetur in libris 25. Et si eas non soluerit, forbanniatur, & ponatur in bannum. Et de prædictis inquiratur. Et hostia schalarum muri ciuitatis, & burgorum claudantur de lapidibus.

Potestate D. Marino Faletro 1339.

Aliqua psona terreria, uel foresteria cuiuscunq; conditionis, status, uel dignitatis existat, nō audeat, vel presumat aliqua ratione, vel causa, seu aliquo colore, vel ingenio receptare, vel receptari facere, vel receptatos habere, vel tenere in aliquo loco ciuitatis, vel burgorum Paduæ vltra decē comitatinos Paduani districtus, nisi prius denunciauerit potestati Paduæ, uel uicario eius, in pœnam librarum uigintiquinque paruorum pro quolibet receptato, si ipsi receptati fuerīt a decem supra, & a uiginti infra. Si autē fuerint a 20. supra, tunc tam receptantes, & receptari facientes, quam receptati incidant in pęnam statuti loquentis de guarniamento, nisi denunciauerit potestati, uel eius uicario, & ab eis, seu altero ipsorum licentiam obtinuerit.

Potestate eodem, & millesimo.

Nulla persona terreria, vel foresteria cuiuscunque conditionis, & status existat, audeat, vel præsumat receptare, hospitari, vel retinere, aut receptari facere, uel retineri in ciuitate, uel burgis Paduæ aliquam personam foresteriam cuiuscunq; cōditionis sit extrinsecus ad ciuitatem, uel burgos Paduæ uenientem, nisi prius ipsam personam ad

officium

officium bulletarum, & superstitibus, vel alicui ex superstitibus ipsius officij praesentauerit, seu praesētari fecerit, aut nisi persona illa ueniēs fuerit per custodes portarum secundum ordinem praesentata cum scriptis, & literis, si quas habuerit ipsa persona praesentanda. Et quaelibet persona foresteria teneatur, & debeat incontinēti cū intrauerit burgos ciuitatis Paduae antequam ad extraneos actus diuertat, notificare custodibus portarum qualiter forensis est, & de quo loco venit, & literas habeat, & cum vno custodum venire, & se praesentare ad dictum officium, & officialibus ibi deputatis, manifestando fideliter, & sine fraude locum, vnde venit, & quem ire intendit, & ostendendo literas, & scripturas, si quas habet, & faciendo ipsis officialibus copiam legendi, & inspiciendi eas, ac etiam dicendo locum quo intendit hospitari, & cum q[illegible] persona. Et quilibet qui contra praedicta fecerit, condemnetur in libris vigintiquinque paruorum pro qualibet vice, & pro qualibet scriptura, & litera non praesentata. Et si fuerit hosterius consuetus, qui contra praedicta fecerit, puniatur in duplū. Et in casibus suprascriptis intelligatur quaelibet persona esse foresteria, quae habitationem non habeat in ciuitate, vel burgis Paduę, vel in aliqua villa, seu loco Paduani districtus. Persona vero aliqua habitans in ciuitate paduę, vel districtu non teneatur se ad dictum officium praesentare. Saluo q̄ tam terrerij, quam foresterij venientes de aliquo extra paduanum districtum, teneantur incontinenti prae-

sentare

sentare dicto officio quascunq; literas, & scripturas, si quas habent sub pœna prædicta.

DE INIVRIANTIBVS OFFICIALES RVBRICA.

Statutum Conditum 1328.

Vicunq; dixerit verba iniuriosa, aut insultum, vel percussionem, seu vulnus, vel incassaturã, aut smancaturam, vel debilitationẽ fecerit in personam alicuius gastaldionis, vel officialis ordinarij, vel extraordinarij, ambasciatoris, vel aduocati, seu patroni causarũ, aut sapientis cõsulentis in causa: vel iudicis, aut tutoris, curatoris, actoris, procuratoris vel alicuius legãtis pro alio, aut notarij, vel alicuius exercentis, vel exercere volentis aliquod ex commissione domini potestatis, seu domini capitanei, vel alicuius de sua familia, vel alicuius alterius officialis de sua familia, seu communi paduæ, puniatur & condemnetur in triplum eius in quo condemnaretur, si in personam alicuius alterius dixisset secũdum formam statutorum positorum sub rubrica de Verbis iniuriosis. Et vtrum fuerit occasione sui officij, vel non, sit in determinatione domini potestatis, & suæ curiæ.

Potestate D. Marco Dandulo 1420.

VNusquisq; qui percusserit aliquem officialem communis Paduæ, aut præconem, vel baroderum

roderium domini potestatis, aut nuncium, vel nuncios eius, seu domini capitanei, vel communis Paduæ exercentem officium suum, & habentem scilicet prçco insignia præconum, vel baroderium, habentem vestimenta, & habitum satellitis, condemnetur per dominum potestatem, & eius curiã in libris ducentis paruorum, & in pluribus arbitrio domini potestatis, attenta conditione personarũ, & qualitate delicti.

Potestate D. Petro Pisano de Venetijs 1396.

SI aliqua persona cuius conditionis, & status existat, dixerit ant fecerit aliquam iniuriam, alicui officiali, iudici, aduocato, aut procuratori ratione sui officij procurationis, aut patrocinij, puniatur talis iniuriã dicens, seu faciens, & condemnetur vltra pœnam impositam secundum formam statutorum communis Paduç in libris centum paruorum, & plus, & minus realiter personaliter arbitrio domini potestatis, inspecta cõditione, & qualitate personarum, & facti. Et vtrum prædicta fuerint, & sint commissa in personam officialis, aduocati, vt procuratoris, & vtrum sint commissa ratione sui officij, stetur, & sint in determinatione domini potestatis, & suæ curiæ.

QVi vulnerauerit aliquem prædictorum exercentiũ officia sua, & habentium insigna, & indumenta, vt supra, condemnetur in amputatione manus dextræ. Quam tamen redimere possit infra mensem vnum computandum à die latæ sententiæ

tentiæ pro libris trecentis paruorum, vel pluribus arbitrio potestatis, inspecta qualitate delicti, & personarum conditione. Qui vero commiserit homicidium in personam alicuius prædictorũ exercentium, vt supra officium sui, & habentium (vt præmittitur) insignia sua, puniatur ad mortem. Et talis committens homicidium si aufugerit, banniatur quod si quo tempore peruenerit in forciam communis Paduæ, trahinetur, & suspendatur.

DE ADVLTERIO INCESTV, ET RAPTV MVLIERVM.

RVBRICA.

Potestate D. Rizardo de Sancto Bonifacio Comite Veronæ. 1390.

Tatuimus, & ordinamus, quod quicumque de cætero mulierum aliquam virginem, seu viduam, aut maritatam honestæ vitæ per vim carnaliter cognouerit, rapuerit, vel abduxerit violenter, pœna capitis puniatur, & bona sua in commune Paduæ deueniant, etiam si post delictum commissum fuerit subsequutum matrimonium, & eadem pœna, scilicet capitis puniatur quælibet persona cuiuscunq; conditionis existat, quæ auxilium, & fauorem ad prædictum delictum committendum dederit, seu præstiterit, & etiam bona sua in commune paduæ

deue-

deueniant. Si vero aliqua persona cuiuscunque status,& conditionis existat, siue agnatus, siue cognatus, siue affinis post prædictum maleficium commissum statim, aut dum duceretur ipsa rapta, receperit, seu receptauerit, aut receptari fecerit sciẽter prædictos committentes suprascripta delicta, seu auxilium, & fauorem præstantes ad prædictum delictum perpetrandum, puniatur talis scienter receptans, seu receptari faciens in amputatione manus vnius. Quam exigere possit pro libris mille paruorum vsque ad mensem à die latæ sententiæ computandum. Et etiam teneatur dictam mulierem sic raptam iuxta posse accipere, seu accipi facere de manibus dictorũ raptorum, vt nullam pœnam patiatur. Et teneatur quilibet ciuis seu districtualis Paduanus iuxta suum posse ad arripiendum mulierem ipsam de manibus prædictorum raptorum, & teneatur etiam districtualis quilibet ad cuius notitiam venerit tale committi delictum conuocare vicinos suos de villa, per quam transirent dicti malefactores, & operari cum toto posse dictæ ville, vt dicti malefactores capiantur, & homines dictæ villæ, per quam transirent dicti malefactores si neglexerint facere suum posse pro capiendis supradictis sic delinquentibus, puniatur commune in libris quingentis paruorum, & in pluribus arbitrio domini potestatis. Et persona quælibet de dicta villa, in qua dictum delictũ foret commissum, quæ hoc sciret tempore commissi maleficij taliter, teneatur sonare, vel sonari facere campa-

nas dictæ villæ, & conuocare homines dictæ villæ, & statim insequi debeant dictos malefactores, & eos capere, & dictam mulierem sic raptam accipere de manibus eorum, & prædictos captos præsentare in manibus D. Potestatis. Et circa prædicta facienda teneantur dicti homines facere totum suũ posse. Et si circa prædicta facta sibi notificatione prædicta, vel aliter scito maleficio prædicto forent negligentes, puniatur dicta villa & condemnetur in libris centum paruorum pro quolibet foco & ratione foci, & plus & minus arbitrio D. Potestatis. Et quælibet persona villæ, in qua dictum maleficiũ fieret, quę hoc sciuerit, si dum maleficium committitur, non sonauerit, aut non sonari fecerit cãpanas vt supra dictum est, puniatur in libris centum paruorum, & fustigetur circa palatium. Et si dicta villa, in qua dictũ maleficium foret commissum, non haberet campanas, tunc dicta persona, quæ sciuerit dictum maleficium committi, teneatur conuocare vicinos, & notificare sibi qualiter dictum maleficiũ committitur, & prædictos malefactores capere vt supra dictum est iuxta posse. Et homines dictæ villæ si fuerint negligentes ad prædicta facienda, puniatur vt supra dictum est. Et in aliquo casu huius statuti mulier ipsa nullam pœnam patiatur.

Potestate D. Marino Falietro 1339.

QVi mulierem aliquam virginem, aut viduam honestæ vite per vim rapuerit, aut violenter

co-

cognouerit carnaliter vltra pęnam ſupraſcriptam cogatur dare de ſuo mulieri taliter raptæ, vel violatæ id, quod videbitur D. Poteſtati, & curiæ ſuæ competens pro ea maritanda, vel monachanda, inſpecta qualitate facti & perſonarum.

Poteſtate eodem & milleſimo.

QVicunque per vim carnaliter cognouerit, vel rapuerit mulierem ſolutam non viduam, neq; virginem honeſte viuentem, cōdemnetur in libris ducentis, niſi fuerit ſubſequutum matrimonium inter eos, quo caſu mitius condemnetur ad arbitriũ poteſtatis. Et in perſonam alicuius mulieris ſolutę, tamen honeſtę vitæ interuenerit ſolummodo raptus ſine cognitione carnali, tunc condemnetur raptor in libris centum paruorum, niſi fuerit matrimonium ſubſequutum inter eos, quo caſu mitius, aut in nihilo condemnetur ad arbitriũ poteſtatis, inſpecta qualitate facti & perſonarum.

Poteſtate eodem, & milleſimo.

SI quis carnaliter cognouerit aliquam ſuam famulam voluntarie nullam pœnam patiatur. Et voluntarie cognita intelligatur, ſi non cridauerit prius quàm cognoſcat.

Statutum conditum 1329.

SI mulier vidua honeſtæ vitæ, vel virgo ſponte carnaliter cognita, ſeu ſtuprata fuerit, ſtuprator & cognitor in libris centum condemnetur, vel in

pluribus vſque ad duceɴtas arbitrio domini poteſtatis, habita cunſideratione perſonæ, & facti. Et mulier vidua in libris 25.paruorum condemnetur. ſi ſoluere non poterit, expellatur de Padua vſq; ad vnum annum,niſi matrimonium ſubſequutũ fuerit inter eos, quo caſu mitius debeat condemnari ad arbitrium D.Poteſtatis. Et credatur de cognitione etiam teſtibus ſingularibus in arbitrio D. Poteſtatis, habita conſideratione facti & perſonæ.

PRo muliere ſoluta tã cognita per aliam, quàm per uirum ſua ſponte ſtuprata nulla pœna puniatur ſtuprator. Et ſi violenter cognita fuerit,puniatur nouus cognitor in libris 50.paruorum, & in pluribus vſque ad libras centum. Antiquis vero cognitor puniatur in libris 25.& minus, & etiam in nihilo arbitrio poteſtatis, habita conſideratione facti & perſonæ.

PRo inceſtu vero cum aliqua muliere ſcienter commiſſo,cum aſcendentibus vel deſcendentibus,ſorore,vel nouerca,vel vxore fratris, mares & fœminæ ultimo ſupplicio puniantur. In alijs vero inceſtis puniantur pœna adulterij, quæ in ſtatutis Paduæ continetur, ſiue maritum habuerit mulier, ſiue non,& ſiue uirgo fuerit & ſiue non.

Poteſtate D.Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

QVicunque de cætero monaſterium aliquod, aut domum aliquam, in quo, vel in qua moniales

niales habitent, intrauerit causa fornicãdi cum aliqua moniali, condemnetur ad stan-dum in carceribus per sex menses, & in libris centum paruorum, & pluribus vsque ad ducentas ad arbitrium domini potestatis. Si vero se cum aliqua moniali commiscuerit, non tamen copulam carnalem fecerit, condemnetur ad standum in carceribus per annum vnum, & in libris ducentis paruorũ, & in pluribus, vsque ad quadringentas arbitrio potestatis. Si autẽ copulam carnalem habuerit cum ea, condemnetur ad stãdum in carceribus per duos annos, & in libris quingentis, ac in pluribus vsque ad libras mille paruorum arbitrio D. Potestatis. Et in quolibet prædictorum casuum non incipiat currere tempus carceris, nisi prius condemnatione pecuniaria prædicta communi Padua soluta. Qui vero aliquid prædictorum fecerit per vim, capite puniatur.

SEmper in quolibet prędictorum casuum patiens sponte stuprator possit iuste, & rationabiliter exhæredari, & suo etiam debito bonorum subsidio priuari per patientes vtriusque sexus.

IN alijs autem nefariis coitibus & incestis puniatur pecunialiter, vel corporaliter ad arbitrium potestatis.

Potestate & Capitaneo, & anno prædictis.

IVdæus carnaliter cognoscẽs mulierem christianam, quæ sit meretrix publica, fustigetur egregie ter circa palatium, & condemnetur ad stãdum,

& teneatur in carceribus per sex menses. Et in casu huius statuti nõ intelligatur meretrix publica , nisi mulier, quæ habitat in bordelo publico. Si vero cognouerit mulierem christianam solutam , quæ in publico bordelo non habitet , tunc Iudæus ipse fustigetur egregie ter circa palatium , & condemnetur ad standum in carceribus per vnum annum continuum , & de ciuitate Paduæ & districtu perpetuo banniatur . Et in quolibet prædictorum casuum condemnetur Iudæus ipse vltra dictas pęnas etiam pecunialiter ad arbitrium domini potestatis, inspecta qualitate facti , & personarum . Si autem cognouerit carnaliter mulierem christianam , & coniugatã , tunc iudæus ille penitus comburatur . Mulier vero christiana , quæ scienter promiserit se carnaliter per Iudæum cognosci etiam puniatur , videlicet . Si fuerit meretrix publica , tunc fustigetur egregie ter circa palatium. Si autem mulier ipsa fuerit soluta, tunc (vt dictum est) fustigetur, & teneatur postea in carceribus per sex menses , & demum expellatur de ciuitate & districtu Paduæ . Si autem mulier per Iudæum cognita erit christiana , & coniugata , tunc etiam ipsa honorifice & publice comburatur . Christianus vero cognoscens Iudæam scienter fustigetur eodem modo ter circa palatium , & condemnetur ad standum in carceribus per vnum annum . Possit tamen euitare pœnã fustigationis soluendo communi libras mille , & tempus carceris non incipiat currere , nisi fustigatione facta , aut pœna pecuniaria soluta . Iudæa

vero

vero quæ ſcienter a Chriſtiano cognita fuerit ſimi-
li pœna puniatur.

Statutum conditum 1329.

SI mulier virgo a decem annis infra fuerit ſtuprata, puniatur ſtuprator pœna capitis, vel cõcremetur ad arbitrium poteſtatis. Si in docennio conſtituta, vel abinde ſupra, nondum tamen viri potens ſit, tunc puniatur ſtuprator pœna capitis, niſi caput redemerit poſt condemnationem factam infra decem dies pro libris mille.

QVi mulierem, vel maſculum polluerit contra naturam igne comburatur. Patiens vero puniatur, vel caſtigetur, aut etiam abſoluatur arbitrio poteſtatis & ſuæ curiæ, conſiderata qualitate delicti, & perſona, & ætate ſua.

QVi aliquam mulierem vxoratam, aut virginem viri potentem tamen, vel viduam honeſtæ vitæ contra earum voluntatem animo cognoſcendi ipſas carnaliter oſculatus tantum fuerit, vel tantum pannos eis animo prædicto ſquarciauerit, vel dilaniauerit, aut eas animo prædicto in terram proiecerit, vel eas modn prædicto diſcooperuerit, vel proceſſerit ad aliũ actum Venerit, vel iuerit de nocte volendo per vim intrare domum, vel etiam aliter intrando domum prædictam de nocte, eodẽ tamen animo, condemnetur in libris ducentis parvorum, vel in pluribus vſque ad quingentas in arbitrio poteſtatis, niſi matrimonium fuerit ſubſe-

quutum cum muliere illa, quæ aut virgo, & viri potens, aut vidua honestæ vitæ esset. Quo casu mitius condemnetur ad arbitrium potestatis. Et vtrum fuerit actus Veneris, vel animus carnaliter cognoscendi stetur in determinatione domini potestatis. Si vero prædicta vel aliquod prædictorum commiserit in aliquam mulierem vxoratam volentē, tunc condemnetur in libris centum, & plus vsque ad ducentas ad arbitrium potestatis. Si autem in aliquā aliam prædictarum mulierum etiam volentium prædicta, vel aliquod prædictorum commiserit, tunc condemnetur in libris 50. paruorum, & minus arbitrio potestatis vsque ad libras 25. paruorum, & eadem pœna puniantur mulieres ad hoc consentientes. Et si in aliquam mulierem solutam iam cognitam per alium quàm per virum inuitam prædicta commiserit, puniatur in libris 25. & in pluribus vsque ad 50. arbitrio potestatis, habita consideratione personæ & facti. Semper in quolibet prædictorum casuum ruffiani, lenones, mediatores, vel scienter prębentes donum, vel prębentes alio quocunque modo aliquod auxilium, vel opem ad prædicta vel aliquod prædictorum committenda, puniantur simili condemnatione, qua principalis delinquens puniri deberet, vel minus condemnetur ad arbitrium D. Potestatis. Saluo semper quod prędicta vel aliquod prædictorum casuum non vendicent sibi locum in publicis meretricibus.

IN omnibus supradictis, vbi fit mentio de violentia, vel rapina intelligatur, quando violentia, vel rapina interuenerit actualiter, & de facto, non autem si verbis adulatorijs persuasionibus, aut promissionibus fuerit inducta, vel cognita. Quibus casibus spontaneus actus intelligatur.

Vbicunque fit mentio de virgine in casibus statutorum positorum sub ista rubrica non intelligatur, quod maior 20. annis sit virgo, nisi probatum fuerit ipsam fore honestæ conuersationis, & vitæ, & publice pro virgine reputari.

Statutum conditum 1399.

SI mulier aliqua ignorante, aut non consentiente marito commiserit adulterium cum aliquo, hoc casu adulter condemnetur in libris quingentis paruorum. Adultera vero si maritus voluerit, condemnetur per dominum potestatem ad standum in carceribus perpetuo. Et per dominum potestatem immediate lata sententia ponatur in carcerem mansura ibi perpetuo, & dos eius insolidum debeat viro applicari, nisi ipsa mulier, quæ commiserit dictum adulterium fuerit meretrix publica, aut de voluntate, & consensu viri sui commiserit adulterium. Quibus casibus adulter nullam pœnam patiatur. Possit tamen, & debeat dicta mulier sic condemnata ad instātiam, & requisitionem viri quandocunque relaxari de carceribus.

DE

Potestate D. Iacobo de Rangonibus de Mutina 1375.

QVi vxorem alicuius volentem transduxerit à marito inuito, vel ignorante de die, vel de nocte cum rebus aliquibus, vel sine, & ipsam non carnaliter cognouerit, condemnetur in libris ducentis paruorum, & in pluribus vsque ad libras trecentas in arbitrio domini potestatis, inspecta qualitate facti, & personarum conditione. Si vero eam transductam sponte carnaliter cognouerit, condemnetur solummodo pœna imposita pro adulterio sponte commisso.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno. 1420.

PRocedi non possit contra mulierem aliquam maritatam pro adulterio per eam cōmisso, nisi ad accusam mariti, vel soceri, aut patris, seu filij, vel fratris mariti sui, aut aui paterni, vel materni.

Potestate, & capitaneo, & anno prædictis.

NVlla mulier minor annis decem, & octo, quæ habeat patrem, vel auum paternum, aut matrem, audeat se maritare palā, aut occulte, vel promissionem de maritando se facere, aut manum in fidem personaliter, vel per interpositam personam dare alicui homini, vel cum aliquo homine aliquo modo, ingenio, vel forma sine expressa voluntate,

&

& consensu patris, aut aui, aut matris, si vnus ipsorum solum viueret, & si pater ipsius viueret, exigatur solus consensus patris, patre autem mortuo, exigatur solus cōsensus aui, vtroque vero ipsorum deficiente, tunc exigatur solus matris consensus. Et quæcunque mulier minor annis decem, & octo, quæ aliquo modo, vel forma cōtrafecerit, ipso iure priuetur iure dotandi, ita ꝙ non possit aliquē prædictorum astringere, & nō audiatur in iure ab aliquo ius dicente aliquo modo, vel forma occasione prædicta. Et non possit capere de bonis prædictorum, vel alicuius eorum ab intestatato quicquā aliquo modo, vel forma, & incapax esse intelligatur ipso iure, & facto quo ad bona prædictorum ab intestato decedentium. Et nihilominus ipso facto condemnetur, & condemnata esse intelligatur ad standum in carcere communis, vel in aliquo stricto loco cum pane, & aqua simplicibus, & duntaxat triginta diebus continuis. Et quicunque cum aliqua muliere de prædictis minore annis decem, & octo, & habente patrem, vel auum paternum, aut matrem, (vt supra) contraxerit matrimonium, aut promissionem fecerit accipiendi ipsam in vxorem, aut manum in fidem dederit sibi, vel acceperit ab ea, aut aliquo modo pactum fecerit maritandi se cum ea pre se, vel per interpositam personam contra formam suprascriptam, condemnetur ipso facto in libris cētum paruorum, & in pluribus vsq; ad libras ducētas in arbitrio potestatis, considerata qualitate personarum, & ad standum per annum con-

continuum in carceribus communis Paduæ. Et dictus annus nunquam incipiat currere, nisi facta solutione condemnationis prædictæ. Si autem mulier minor (vt supra) haberet solum fratres, non audeat, nec præsumat aliquod prædictorum facere cum aliquo viro per se, vel per interpositam personam sine expressa licentia omnium suorum fratrum, vel maioris partis eorum, aut fratris si solum vnum fratrem haberet. Et si haberet solum duos fratres, tunc possit impune quodlibet prædictorum facere cum expressa licẽtia vnius fratrum, qui se concordaret de marito eligendo cum ea, etiam altero discordante. Et si mulier in eligendo virum se non vellet impedire, tunc impune possit quodlibet prædictorum facere cum expressa licentia maioris fratris sanæ mentis. Et mulier quæ cõtrafaciet ipso facto cecidisse intelligatur ab omni iure, quod haberet in bonis paternis, auitis, aut maternis, & nõ possit in iure astringere, vel astringi facere prædictos fratres, vel aliquem eorum ad dotandum ipsam. Et quicunque cum prædicta muliere contraxerit matrimonium, vel aliquod prædictorum fecerit per se, vel per interpositam personam contra formam proxime scriptam, condẽnetur, & condemnari possit per dominum potestatem in libris centum paruorum, & in pluribus vsq; ad libras ducentas in arbitrio potestatis, considerata qualitate personarum, & ad standum per annũ continuum in carceribus communis Paduæ. Et dictus annus nunquam incipiat currere, nisi soluta

con-

condemnatione pecuniaria in eum facta, vt supra scriptum est. Qui autem in prædictis, vel aliquo prędictorum fuerit testis, aut nuncius ad prædicta, vel aliquod prædictorum ordinanda, seu ordinandum, aut qui prædictis, vel alicui prædictorum factorum dederit aliquo modo, vel forma auxilium, consilium, vel fauorem, cōdemnetur per dominum potestatem in libris centum paruorum. Et si visum fuerit D. Potestati, quod dictam pecuniariam pęnā non possit soluere propter ipsius paupertatē, tunc si fuerit masculus, condemnetur ad standum in carceribus communis Paduæ per vnum annum continuum, si autem erit fœmina, & pauper, quæ non habet vnde condemnationem soluat, tunc cōdemnetur duntaxat ad standum in carceribus 30. diebus continuis cum pane, & aqua simplicibus. Et in quocunque casu prædictorum intelligatur mulier, siue virgo, siue cognita sit. Mulier autem maior annis x. & octo possit se impune cuicunque voluerit maritare, & propter hoc non cadat a successione bonorum patris, aui, vel matris. Et petens se dotari audiatur in iure contra patrem, auum, matrem, seu fratrem, vel fratres, & dotari debeant per ipsos & constringi possint ad dotandum ipsam secundum conditiones, & facultates eorum.

Potestate & Capitaneo, & anno prædictis.

QVicunque habens vxorem contraxerit cum alia matrimonium, condēnetur in libris quin-

gentis

gentis paruorum, & ad standum in carceribus per vnum annum continuum. Et dictus annus nunquam incipiat currere, nisi prius condēnatio pecuniaria prædicta soluta sit communi. Et idē intelligatur de mulieribus, quæ habentes maritum contraherēt matrimonium cum alio viro, aut quæ solutæ essent, & scienter contraherēt matrimonium cum viro aliam vxorem habente.

DE FVRTIS, ET INCENDIIS. RVBRICA.

Potestate D. Guidone de Rubertis 1277.

FVres seu latrones furcis suspendantur, ita ꝙ moriantur, vel aliter puniantur etiam pucunialiter, prout videbitur domino potestati secundum cōditionem, & qualitatem personarum, criminis, & delicti. Saluo ꝙ pro furto decem librarum, vel abinde infra non possit ei auferri membrum, vel pars membri, nisi alias fuerit condemnatus pro furto.

Statutum conditum 1346.

NVllus sartor, uel alius, qui alicuius personæ pannum acceperit pro faciendo aliquam uestem, seu aliquod indumentum, audeat, vel præsumat retinere aliquid de dicto pāno sine licentia domini, uel illius, qui sibi dedit pannum. Et quicunq; contrafecerit, aut dictum pannum in totum, aut in

parte

parte aliqua, aut vestem de dicto panno factā alienauerit, vel obligauerit sine licentia domini ipsius panni, uel eius, qui sibi pannum, seu uestem dedit, puniatur, & puniri possit realiter, & personaliter arbitrio potestatis, inspecta qualitate facti, & personæ. Idem intelligatur de quolibet piliparo, seu strazarolo, vel zuperio circa prædicta delinquente. Et fœnerator, & quicunq; alius, qui mutuauerit super aliquo panno, vel laborerio non complecto, condemneuur in libris 25; paruorum, & quilibet possit denunciare, & habeat medietatem banni.

Potestate D. Marino Faletro 1339.

QVicunque in ciuitate Paduæ, & districtu scienter, & dolose incenderit, seu combusserit domum, aut teietē, vel palearium, aut segetes in campo, vel extra, aut nemora, vel vineas, vel aliquid aliud quodcunq; aut ignem sumpserit, pęna mortis per concremationem puniatur. Si vero culpabiliter prędicta commiserit, arbitrio potestatis puniatur, inspecta qualitate culpæ, personarum, & facti.

SI alicui ciui Paduæ sustinenti onera, & factiones fuerit datum damnum in aliquo loco Paduani districtus per ignem, qui neque per hostes tempore guerræ impositus, neque ex fulgure de ortus sit, tunc & hoc casu emendetur damnū, & procedatur secundum formam statuti, quod incipit. Si alicui ciui, positi sub rubrica de Regulis, & damnis datis.

DE

DE FALSIS TESTIBVS, ET INSTRVMENTIS.

RVBRICA.

Statutum conditum 1329.

Vicunque fecerit, uel fieri fecerit, uel
mãdauerit, uel tractauerit aliquod fal-
sum instrumẽtum, aut aliam falsitatem
scienter commiserit in scripturis publi-
cis in faciendo, vel omittendo, cõdemnetur in am-
putatione manus dextræ. Saluo ꝙ possit eam redi-
mere infra decem dies à die publicationis senten-
tiæ pro libris ducentis paruorum, uel pro pluribus
ad arbitrium potestatis, inspecta qualitate facti, seu
personæ, & delicti. Et si fuerit de fratalea notario-
rum, teneatur in tantundem fratalcæ, & illud per
frataleam non possit remitti, vel prorogari, vel
aliquid fieri in fauorem delinquentis. Et gastaldio-
nes, uel fratalea si contrafecerint, condemnentur
in libris ducentis paruorum, & nihilominus non
valeat quod per gastaldiones, seu frataleam factum
in fauorem delinquentis erit.

Q Vicunque scienter nomine suo falsum in-
strumentum produxerit, uel produci fece
rit, aut mãdauerit, & perseuerauerit vsq;
ad sententiam, condemnetur in libris du-
centis, & in pluribus, ad arbitrium potestatis secũ-
dum qualitatem facti, & personarum. Idem in

eo, qui

eo, qui produxerit alieno nomine falsum instrumentum, vel testem, aut attestationem, si interrogatus responderit se velle uti eis.

QVicunque perhibuerit, vel perhiberi fecerit scienter & dolose coram aliquo iudice ecclesiastico, vel ciuili iurisdictionem seu cognitionem habente falsum testimonium, vel produxerit suo nomine, vel produci fecerit, exercuerit, seu mandauerit, vel eo vsus fuerit, condemnetur ad abscisionem manus dextræ, nisi eam redemerit pro libris centum paruorum, vel pluribus usq; ad libras ducentas, aut paucioribus ad arbitrium potestatis, inspecta qualitate facti, & personæ. Et super prædictis, videlicet vtrum producens suo nomine, vel produci faciens fuerit sciens, reseruetur inquisitioni D. Potestatis. Et possit D. Potestas de prædicta scientia inquirere etiam per tormenta, si videbitur sibi præcedentibus tamen legitimis indiciis. Et in prædictis omnibus casibus & singulis condēnetur de falso, & in libro, qui dicitur de falsis scribatur, & pro falsario habeatur, & nullum officium, vel aliquod ciuile munus habere possit in ciuitate Paduæ, & districtu. Et in omnibus prædictis casibus quilibet prædictorum condemnetur ad emendationem omnis damni & interesse, quæ passa fuerit illa persona, in cuius damnum aliquod prædictorum commissum fuerit, ita tamen quod vno soluente dictum damnum & interesse, cæteri liberentur.

ITem præco, qui falsam commiserit relationem, vel aliquid aliud falsi commiserit circa suum of-

ficium sciēter, puniatur in truncatione linguæ, nisi eam redemerit pro libris quinquaginta paruorum, vel pro pluribus, aut paucioribus arbitrio potestatis secundum qualitatem facti. Et nihilominus priuetur officio suo, & de sua fratalea cassetur, ita q͏̄ nunquam habere possit officium præconatus in ciuitate Paduæ, vel districtu.

IN omnibus supradictis & alijs quibuscunque falsitatibus puniri possit, & puniatur quilibet ipsas committens pecunialiter vel corporaliter ad arbitrium D. Potestatis, inspecta qualitate facti & personarum conditione.

Statutum conditum 1339.

SI contingeri aliquem tutorem, vel curatorem produxisse in iudicio aliquod instrumentum, q͏̄ reperiatur falsum, repertum tamen in inuentario per ipsum tutorem, vel curatorem facto, nullam pęnam patiatur ipse tutor vel curator pro productione talis instrumenti, nisi probaretur talē tutorē vel curatorem sciuisse instrumentum per eum productū fuisse falsum, vel debuisse hoc verisimiliter scire, & de hoc stetur arbitrio potestatis, & suæ curiæ.

Potestate D. Vberto de Canceleriјs 1316.

SI aliquod instrumentum, vel scriptura suspecta uelit redargui de falso tam contra fabricantem, quam contra producentem, sufficiat accusatori, vel denūciatori, vel inquisitori apponere in libello

accu-

accusationis denunciationis, vel inquisitionis quantum ad solemnitatem loci & temporis, ubi fabricatum videtur instrumentum, locum & tempus contentum in instrumento, licet reuera alibi fuerit scriptum, & alio tempore, dummodo alia solemnia apposita sint in prædictis secundum formam iuris & statutorum communis Paduæ.

SI quis monetam falsam fabricauerit, vel expendiderit, aut receperit vel tenuerit in Padua, vel Paduano districtu, condemnetur secundum formã statutorum loquentium de prædictis, positorum sub rubrica de murificibus & monetis.

DE TRABVTATIONIBVS. RVBRICA.

Potestate D. Vberto de Cancelerijs 1316.

IN omnibus casibus, vbi iudex, vel notarius, aut præco, vel datiarius, vel aliquis officialis, vel alius quicunque sit, etiam non officialis contra formam statutorum accipiet ab aliquo munus vel pecuniam, quam, vel quod accipere non deberet, aut trabutabit aliquem, vel committet falsitatem in officio, vel acceperit depositum, aut securitatem recipiendo pecuniam, vel munus contra debitum, possit talis trabutator, seu munus vel pecuniam accipiens per quemcunque accusari seu denunciari libere, & sine aliqua solemnitate, vel satisdatione domino pote-

ſtati, aut domino vicario ſuo, vel iudici maleficiorum. Et in denunciatione denominari debeat trabutator, ſeu ille, cui accepta fuit pecunia, vel ille, contra quem fuerit commiſſum aliquod de prædictis, & vnus teſtis ad minus, non obſtante ꝙ teſtis dicatur ſocius vel particeps eſſe. Et poteſtas ſeu iudex maleficiorum antequam formet inquiſitionē, poſſit inſtruere conſcientiam ſuā, & recipere dicta nominatorum in denunciatione, & faciat etiam citari denunciatum, vt compareat coram ipſo, & audiat ipſum per ſe, vel per procuratorem turpantem famam ſuam, & probationes inducentem pro ſua innocentia. Et donec ſit huiuſmodi inquiſitio præparatoria ſecūdæ inquiſitionis, nō poſſit ꝓpter dictam cauſam detinere talis denūciatus, vt videat & cognoſcat dominus poteſtas, & eius iudex ſi denunciatio continet veritatem, vel ſi veriſimilis eſt vel non. Et ſi videbitur continere veritatem vel veriſimilitudinem, tunc poteſtas procedere debeat in prędictis caſibus formata inquiſitione, ſub pœna librarum ducentarum pro qualibet vice. Et credatur trabutato, ſeu illi, cui accepta illicite pecunia fuit, & plena fides adhibeatur in caſu trabutationis & pecuniæ illicite acceptæ, ſi fuerit bonæ famæ & opinionis non obſtante ꝙ ſit ſocius vel particeps, & de fama, & opinione ſit in determinatione D. Poteſtatis & ſuæ curiæ. Et D. Poteſtas, & iudex maleficiorum teneatur ad pęnam librarum ducentarum recipere talem denunciationem, & per iuramentum tenere talem denunciationem in credentia,

dentia,& procedere in prædictis,vt dictum est. Et trabutator ille,seu contrafaciens denunciatus,si repertus fuerit culpabilis cōdemnetur ad quadruplū. Et si soluere non poterit infra x. dies, ponatur & stet in cathenis in plateis ad quadrum per vnum dierum. Saluo quod hoc non habeat locum in trabutationibus solidorum 50, vel abinde infra.

Potestate eodem, & millesimo.

OMnes & singuli ab aliquo trabutati,vel illi, à quibus exortum illicite aliquid fuerit, vel acceptum cōtra formam iuris vel ordinamentorum communis Paduæ ratione, vel causa, seu prętextu alicuius officij, & omnes, qui nomine alterius pecuniam,vel aliquid aliud illicite dederit, vel soluerit aliquibus, siue principalibus, siue interpositis personis, seu mediatoribus causa prædicta possinõ impune conqueri, & prædicta denunciare vel manifestare domino potestati vel iudici maleficiorū. Et simili pœna puniatur mediator, seu interposita persona ex parte recipientis illicite pecuniam vel aliquid, quemadmodum puniretur ipse principalis delinquens. Et dans pecuniam vel aliquid illicite per se, vel aliū suo vel alterius nomine si fuerit negligens in denunciando, vel manifestando prædicta domino potestati vel iudici maleficiorum, & præuentus fuerit per alium denunciantem, vel accusatorem, vel manifestatorē vel ab officio domini potestatis vel iudicis maleficiorum, & cum inter-

rogatus fuerit per dictum officium, vel iudicem, predicta negauerit, vel statim non manifestauerit, perinde puniatur, sicut recipiens puniretur, & sit præcisum.

Statutum conditum 1331.

IN omnibus trabutationibus puniatur, & puniri possit per dominum potestatem quilibet ipsas committens, & mediator & operam dans pecunialiter vel corporaliter arbitrio potestatis, inspecta qualitate facti & personarum.

DE CONFISCATIONE BONORVM. RVBRICA.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

BOna proditorum assassinorum, & omnium rapientium mulieres, & illorum, qui auxilium, & fauorem præstarent ad prædicta, confiscentur, & ponantur in commune Paduæ secundum formam statutorum loquentium de criminibus prædictis. Et si aliquis pensate commiserit, vel committi fecerit aliquod homicidium in Padua vel Paduano districtu, & fugerit, ita quod non sit mortuus secundum formam statutorum, tunc & hoc casu medietas omnium bonorum suorum sit communis Paduæ, & altera medietas sit hæredum defuncti. Et quandocunque puniretur homicida, vltimo supplicio, tunc omnia

bona,

bona, quæ peruenissent in commune, relinquantur heredibus ipsius homicidæ. Et hoc casu testamenta & vltimæ voluntates, & codicilli, qui fierent per illos, qui punirentur vltimo supplicio, valeant & teneant, & obseruentur, non obstantibus condemnationibus de eo factis, & sit præcisum.

Statutum conditum 1305.

SI filius pro sua discordia, vel pro suo proprio stomacho homicidium, seu maleficium, vel delictũ fecerit, seu commiserit, non publicentur bona patris, etiam pro ea parte, quæ filio contingeret mortuo patre ab intestato secundum filiorum numerũ, ita ꝙ pater, vel eius bona pro ipso maleficio, vel homicidio, vel delicto per ipsum filium commisso nullatenus teneatur, seu obligata sint.

SI pater fecerit homicidium, tunc bona ipsius patris diuidantur pro viribus portionibus eos tangentibus secundum formam iuris communis inter ipsum patrem, & debentes ei succedere secundum formam statutorum communis Paduæ. Saluo iure filiæ, nepti, & sorori in dote eius constituenda secundum suas conditiones de bonis ipsius homicidæ, & deinceps pars ipsorum bonorum patri contingens tantummodo confiscetur. Et hoc locum habeat tam in filio emancipato, quam in filio in potestate constituto, facta collatione eius partis, quam in emancipatione sua habuerit.

BOna filij emancipati homicidium committentis nihilominus publicentur & confiscentur, si

non habuerit filios, vel alios descendentes. Sed si habuerit, tunc fiat publicatio, & confiscatio bonorum eius, vt supra dictum est de patrefamilias. Et in omni casu sit saluum ius legitime ascendentibus.

Potestate D. Guidone de Rubertis 1276.

SI in aliquo castro, terra, vel villa Paduani districtus commissum fuerit aliquod maleficium, ex quo sequatur condemnatio corporalis, vel pecuniaris a libris 25. supra, teneantur & debeant homines dictæ villæ intromittere, & in scriptis dare potestati, seu iudici maleficiorum, & seruare ac præsentare ad præceptum potestatis bona, res, & facultates quascunque malefactorum, sub pœna librarum 50. paruorum. Possit tamen mitius puniri arbitrio potestatis, inspecta qualitate facti & personarum.

Statutum conditum 1346.

IN omnibus casibus in quibus bona aliqua venirent publicanda communi Paduæ, statim intelligatur a tempore commissi criminis habere dominium, & a tempore sentētiæ late habere possessionem & legitime possidere etiam sine aliqua apprehensione, vel facto.

Potestate D. Ioanne Baduario 1258.

NVlla domus pro aliquo debito, vel condēnatione cōmunis prosternatur in terrā, sed pro cōmuni Paduæ locetur, seu affictetur, vel vēdatur.

Pote-

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

BOna quæcunque, quæ ex aliquo delicto sint confiscanda, & ponenda in commune Paduæ, scribantur in vno libro de chartis pergamenis per notarium maleficiorum, & talis liber stare debeat, & teneri per iudicem, seu notarium Aquilæ. Et de prædictis teneantur iudices maleficiorũ, & Aquilæ inquirere sub pœna librarum decem pro quolibet iudice, seu notario prædicta non seruante, & pro qualibet vice & huius penæ medietas sit communis, & altera sit accusantis, & quilibet possit accusare.

DE CONDEMNATIONIBVS SCRIBENDIS, PVBLICANDIS, ET EXIGENDIS. RVBRICA.

Potestate D. Vberto de Cancelerijs 1316.

POtestas Paduæ antequã publicet condemnationes, debeat connocare vicarium, & iudicẽ curiæ suæ, & videre, & diligẽter examinare processus, & condemnare, vel absoluere de iure debet cum consilio curiæ suæ secundum formam statutorum communis Paduæ. Et priusquam publicet condemnationes,

nes,uel abſolutiones,teneatur.& debeat eas facere ſcribi duplicatas, videlicet in duobus libris de chartis pergamenis. Ita q in vno librorum ſcribat vnus notariorũ Sigilli, & in altero libro ſcribat in conſonantiam vnus notariorum Aquilæ. Et ſeruetur talis ordo videlicet, quod condẽnationes corporales ſcribantur in vno libro per ſe, & condemnationes ex maleficiis pecuniariæ venientes ſcribantur in vno libro per ſe. Abſolutiones vero ſcribantur etiam in vno libro per ſe. Item faciat ſimiliter ſcribi condemnationes venientes ex inuẽtionibus militum circa victualia, & ſimilia venientia ex proceſſibus factis coram iudice victualium, vel Aquilæ in vno libro per ſe. Et quando ſcribuntur, debeat ibi adeſſe notarius maleficiorum, ſeu notarius ille victualium, vel Aquilæ, ex cuius proceſſu condemnatio ſcribenda eſt, & legere, ſcribentibus ille, quid, & qualiter ſcribere debent. Et notarius Sigilli cum ſcripſerit, teneatur priuſquã publicentur legere ipſas præſente iudice Aquilæ, & præſente vno ex notariis Aquilæ, ac præſente notatario, qui ex proceſſu ſuo illas ſcribi fecit, qui eas auſcultet,& corrigat, ſi opportunum erit. Et in primo earum debeant ſcribere. Hæ ſunt condemnationes, vel abſolutiones factæ ſub tali poteſtate, & ſub examine talis iudicis, & ex actis talis notarij, nominando iudicem, notarium, & officium eius ex cuius proceſſu condemnatio, vel abſolutio fit. Et in fine cuiuslibet lateris chartæ debeant dicti notarij Aquilæ, & Sigilli facere ſubſcriptiones ſuas, & po-

nere signum suum, prout faciunt in alijs instrumẽtis autẽticis. Et cum scriptæ, & auscultatæ sunt, publicentur de die, & ante vesperas quandocunq; ad beneplacitum domini potestatis, & in loco consueto per vnum ex notarijs sigilli in publico arengo ad sonum campanæ cõmunis ad præceptum potestatis. Et per ipsum dominum potestatem ita pronuncietur condemnando, vel absoluendo vti per ipsum, & curiam suam determinatum, & ibi publice per ipsum notarium sigilli lectum erit. Ipsis vero publicatis debeant dicti notarij apponere in fine earum qua die, & per quem notarium, & in quo loco publicatæ sunt, & scribere etiam testes ad minus quinque, qui fuerunt præsentes publicationi, & subducatur quædam virgula in fine scripturæ publicationis, vt circa eã nihil addi possit. Et exinde libri omnes cõdemnationum, & absolutionum scriptarum per notarium sigilli portentur, & cõsignentur ad cancelariam communis, & nullo modo inde exportentur, nisi quando sub eadem potestate aliæ condemnationes, vel absolutiones scribendę forent, tunc vero portentur, & in eis scribantur, & auscultentur, vt dictum est. Libri autem cõdemnationum, & absolutionum scriptarum per notarium Aquilæ facta publicatione portentur, & teneantur ad discum Aquilæ pro exigendis condemnationibus, & vt quilibet possit habere copiam earum. Et notarij cancelariæ, & similiter notarij Aquilæ teneantur, & debeant pati, ꝙ quilibet ciuis Paduæ eas legat, & scribat statim cum voluerit,

&

& ſine aliquo pretio. Nullus tamen eorum patiatur, quod aliqui ipſorum librorum aſportentur inde, vel quod aliquod detrahatur, ſeu addatur in eis. Et notarius quilibet ſigilli, ſeu Aquilæ, ac notarij cancelariæ teneantur prædicta omnia, & ſingula obſeruare ſub pœna librarum decem pro quolibet contrafaciente, & pro qualibet vice. Et ad ſimilem pœnā teneantur iudex maleficiorum, & iudex Aquilæ, qui prædicta obſeruari non fecerint. Et iſtarum pœnarum ſit medietas communis, & altera accuſantis, & quilibet poſſit accuſare.

SI antequam condemnationes legantur in publico arengo aliquis reus volens ſe excuſare comparuerit etiam dum publicant, admittatur præſentatio eius. Et hoc caſu dominus poteſtas, & iudex, coram quo proceſſus factus erit, antequam recedat a banco faciant palam, & patenter cancelari condemnatione illius comparentis per notarios ipſos Sigilli, & Aquilæ, & iuxta ipſam in margine ſcribi faciant cauſam cancelationis, quare ante publicationem condemnatio talis cancelata eſt. Et in fine cancelationis notarij, qui ſcripſerunt, ſe ſubſcribāt, videlicet quilibet eorum in libro ſuo, & ponat nomina teſtium, qui interfuerunt. Et ſi condemnatione iam ſcripta antequam poteſtas veniat ad banchum, & locū, vbi debet publica fieri, alliquis reus ſe præsētauerit, & ſe voluerit excuſare ante publicationem, idem fiat, vt dictum eſt. Et prædicta poteſtas, & iudex, qui proceſſit, teneantur obſeruare ſub pœna librarum centum pro quolibet, & qualibet

libet vice. Et huius pœna medietas ſit communis Paduæ,& altera medietas ſit accuſantis,& quilibet poſſit accuſare, & ſi voluerit accuſator,teneatur in credentia. Reum autem, qui tantum diſtulit venire,poſſit dominus poteſtas mulctare vſq;ad ſummā denariorum duodecim pro libra eius, in quo condemnatus eſſet, ſi D. Poteſtati videbitur reum illū per malitiam tantum diſtuliſſe venire, dummodo ſumma mulctæ nō excedat libras x. paruorum, exceptis teſtibus, qui non poſſint mulctari vltra ſolidos 20.

Poteſtate D. Matthæo Quirino 1288.

CONdemnati etiam per accuſam occaſione alicuius miſellæ,ſeu rixæ,vel inſultus,aut feritæ, ſeu pro verbis iniurioſis, propterea non ſint, nec reputentur infames.

Poteſtate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

APpellari modo aliquo nō poſſit ab aliqua ſententia lata in publica cōcione, ſeu in publico arēgo, neque ſupplicari,vel reſtitutio in integrum poſtulari,aut nulla dici poſſit aliquo modo de iure, vel de facto.

Poteſtate D. Guidone de Rubertis 1277.

PVblicatis condemnationibus in publico arengo habeat terminum ad ſoluēdum quilibet pecunialiter condemnatus,videlicet.Si fuerit de ciuitate

tate Paduæ habeat terminum x. dierum. Si vero fuerit de villa aliqua Paduani districtus habeat terminum 15. dierum ad soluẽdum condemnationem suam. Et termino pendente nullus pecunialiter cõdemnationis capi, vel molestari possit. Qui autem in termino à die publicationis computando non solucrit, incidat in pęnam quarti totius condemnationis suę, ita quod termino elapso cõpelli possit, & debeat realiter, & personaliter ad soluendum condemnationẽ, & quartum eius. Et dicta pęna quarti non possit alicui modo aliquo remitti. Saluo quod captis, & qui caperentur antequam inciderent pęnam quarti, non possit pœna quarti auferri.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadero 1420.

IVdex Aquilæ, seu notarius ad officium Buschẽti deputatus, debeat tenere, cõseruare, & custodire libros quoscunque condemnationum pecunialium scriptos secundum formã statutorum per notariũ Aquilæ. Et debeant dictus iudex, & notarius Buscheti, ac quilibet notarius Aquilæ fideliter, & solicitare, & termino statuti elapso cõpellere realiter, & personaliter quoscunq; pecunialiter condemnatos ad soluendum condemnationem suam cameræ nostri dominij, & communis. Et quandocunque aliquis vult soluere condemnationem suam, fiat sibi per vnũ ex dictis notarijs vna bulleta in charta mẽbrana, in qua in effectu contineatur quod domini camerarij communis recipiant tot denarios à

tali

tali condemnato in regimine domini potestatis. Et dicta bulleta portetur ad cameram communis, & & domini capitanei, & camerarij recipiant denarios condemnationis prout in bulleta continetur. Et solutione facta subscribatur bulleta illa manu illius camerarij, qui denarios recipit, vel vnius officialium, seu notariorum cameræ, ita q in subscriptione cōtineatur qualiter talis comerarius communis recepit a tali tot denarios in bulleta contentos. Et deinde dicta bulleta sic subscripta reportetur ad officium Aquilæ, & vigore dictæ scriptionis notarius Aquilæ, qui fecit dictam bulletam si adest, vel si abest ille, tunc alius vnus notarius Aquilæ cancelet condemnationem talis, qui soluit, vt dictum est. Et scribat in margine condēnationis ibi prope qualiter ipse notarius cancelauit prope suprascriptam condemnationē, quia condemnatus, vel alius pro eo soluit tali camerario communis, vt apparet per bulletam scriptam manu talis notarij. Et in qualibet condemnatione semper ita declaretur factum, quod semper appareat qua die, & anno, & cuius manu, & qua causa talis condemnatio cancelata sit. Et notarij Aquilæ possint accipere a condemnato solutionem pro bulleta, & cancelatione taxatam secūdum formam statutorum positorum in libro primo sub rubrica de Notarijs Aquilæ.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno. 1420.

Officiales camerę communis, aut notarii sui nō possint pro labore suo accipere aliquas solutiones

tiones ab aliquo soluente pecuniam ad cameram communis occasione alicuius condemnationis, vel alia causa vigore curiæ domini potestatis. Et debeāt solum recipere pecunias debitas cameræ cōmunis, ac contentas, & descriptas in bulletis sibi missis, & præsentatis ex parte D. Potestatis, vel suorum, seu communis Paduæ officialium. Et quilibet eorū, qui cōtrafecerit, restituat duplum eius, quod receperit contra debitū. Et nihilominus condemnetur in libris x. paruorum pro quolibet contrafaciente, & pro qualibet vice, & huius pœnæ medietas sit communis, & altera sit accusantis, & quilibet possit accusare, & teneatur si velit in credentia.

Potestate, & capitaneo, & anno prædictis.

CViuslibet pœnæ impositæ ex forma alicuius statuti communis Paduæ alicui accusato ex eo ꝙ portauerit arma vetita, vel quia fuerit de nocte contra ordines, vel ex eo ꝙ repertus fuerit aliquid falso ponderasse, vel mensurasse, vel aliqualiter in similibus fecisse contra formam alicuius statuti cōmunis Paduæ, medietas sit cameræ nostri dominij, seu communis Paduæ, & altera sit accusantis, etiā si per statuta de prædictis loquentia de pœnæ diuisione nihil declaratum sit. Si vero per statutum aliquid diceretur, ꝙ pęnā illa deberet aliter diuidi, tunc diuidatur secundum formam illius statuti loquentis de prædictis. Nō tamen intelligatur præsens statutum habere locum in cōdemnationibus,

que

quæ fient ex verbis iniuriosis, vel pro insultu, aut percussione, vel vulnere, aut pro delicto aliquo criminali, de quo sit processum coram iudice maleficiorum, in quibus casibus condemnatio tota sit communis Paduæ, nisi aliter specifice prouisum esset ex forma illius statuti, quod de ipso crimine loqueretur.

DE MALEFACTORIBVS CAPIENDIS. RVBRICA.

Potestate D. Guidone de Rubertis 1276.

SI in aliquo castro, terra, vel villa Paduani districtus fuerit aliquod maleficium commissum, teneantur homines dictæ villæ, castri, vel loci capere malefactores, & captos præsentare sub bona custodia in manibus domini potestatis, vel saltem facere id, quod possint, vt malefactores capiant, & præsentent. Intelligendo de ijs maleficijs, de quibus ad minus sequatur pœna librarum vigintiquinque paruorum secundum formam statutorum, non computato banno armorum. Et homines illius castri, vel loci si facere prædicta neglexerint, condẽnentur in libris quinquaginta paruorum, & minus arbitrio potestatis secundum magnitudinem, & paruitudinem communis illius villę, castri, vel loci, & secũdum qualitatem facti. Et dictam pœnam soluere non teneãtur pupilli, viduæ, nec senes ma-

iores annis 70. veruntamen teneantur ad prædicta filij vel nepotes, & fratres sui maiores annis 14. vsque ad 70.

Statutum conditum 1346.

SI per aliquem præconē, vel per alium aliquem de familia potestatis, aut per aliam personam, quæ cepisset aliquem causa conducendi in forciam communis Paduæ fuerit aliquis malefactor, vel cōdemnatus præsentatus, seu reccomendatus alicui sindico, seu decano, vel officiali, aut alicui personæ, teneatur ille, cui malefactor, vel condemnatus captus assignatus fuerit conducere & præsentare cum effectu captum illum in forciam communis Paduæ. Et qui contrafecerit puniri debeat arbitrio domini potestatis, inspecta qualitate facti & personarum.

THomas Mocenicus Dei gratia dux Venetiarum &c. Nobilibus & sapientibus viris Leonardo Mocenico de suo mādato potestatis, & Sancto Venerio militi capitaneo Paduæ, ac successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Quia ab aliquo tempore citra perpetrata sunt multa horrenda facinora in terris & districtibus nostris, & raptæ plurimæ mulieres, quæ delicta multiplicant in maximam infamiam nostri dominij. Volentes eisdem inconuenientiis prouidere, & omnibus delinquēdi materiam resecare, tam pro honore nostro, quàm pro quiete & securitate vniuersorum subditorum nostrorum. Deliberauimus

mus, & fecimus cum nostris consilijs rogatorum, & additionis infrascriptis prouisiones. Mandantes vobis cum dictis consilijs, quod eas & contenta in eis quantum ad vos attinet, & in futurum attinebit, obseruare & obseruari facere inuiolabiliter debeatis videlicet. Quod de cætero omnes raptores mulierum, & omnes alij, qui de cætero erunt banniti de vita, & quolibet crimine vel delicto, excepto quàm pro homicidio puro, ad cognitionem rectorum nostrorum de aliqua ex terris nostris, & eius districtu à parte terræ, sint & esse debeant etiam banniti de omnibus alijs terris & districtibus nostris a parte terræ. Et omnes rectores ciuitatum & terrarum nostrarum, ad quas dicti raptores & banniti aufugient, siue se reducēt, teneantur, & debeāt ad requisitionem illius rectoris nostri, sub cuius iurisdictione eiusmodi delicta fuerint perpetrata, dictos tales raptores & bannitos capere, & detinere, ac sub bona, & fida custodia mittere vsque ad confinia iurisdictionis rectoris requirentis, & ipsos eius nunciis facere consignari. Et quoniā in quibusdam ex terris nostris prædictis vigent statuta, siue consuetudine, ex quibus siquis præsentauerit aliquem bannitum viuum vel mortuum, illæ talis præsentans potest exire de banno si bannitus est, vel eximere alium bannitū de banno. Et sub ista spe multa enormia committuntur, ordinatum & declaratum sit, quod talia statuta vel consuetudines de cætero locum non habeant, sed sit quantum in hoc specialiter derogatum, vt per illam viam aliquis banni-

ſius de banno ſuo eximi non poſſit. Præterea ſi quis cuiuſcunque gradus & conditionis exiſtat ſcienter receptauerit aliquem ex dictis raptoribus vel bannitis in domo ſua, ſeu permiſerit acceptari, ſiue eis dederit auxilium, conſilium, vel fauorem, puniatur ad arbitrium rectorum, vel rectoris, ſub quorũ, vel cuius iurisdictione fuerit receptatus, reſeruato nihilominus arbitrio noſtro dominio poſſe addere corrigere, & minuere, & aliter prouidere ſecundũ conditiones temporum & caſus occurrentes circa prædicta ſicut ſibi vtilius & melius apparebit, Prędicta autem omnia, vt omnibus nota ſint, faciatis in omnibus locis ſolitis veſtri regiminis publice proclamari. Data in noſtro ducali palatio die 4. Iulij inditione ſeptima 1414.

Poteſtate D. Gottifredo de la Turre 1374.

SI aliquod damnum, furtum, ſeu maleficium datum fuerit, vel commiſſum in aliqua villa, vel territorio alicuius villę Paduani diſtrictus à ſolidis ſexaginta ſupra, & homines habitatores dictarum villarum domini, qui habent forciam, ſeu dominium illius villę, non ceperint latrones, & malefactores, & captos illos in forciã poteſtatis & communis Paduæ non dederint infra ſex dies, tunc & hoc caſu homines illius villæ, vbi damnum datum fuerit, ſeu ubi maleficium factum fuerit, teneantur emẽdare damnum pro medietate damni iniuriam paſſo, & pro altera medietate damni teneãtur illi

domini,

domini, qui habent forciam & dominium dictæ villæ. Et si in aliqua uilla damnum, uel furtum, seu maleficium factum fuerit, vbi non esset aliquis dominus in dicta villa, ꝙ homines habitantes in dicta villa teneantur emẽdare totum damnum iniuriam passo. Et intelligatur, ꝙ totum damnum emendetur illi, qui sustinuerit damnum, vel maleficium cũ tota iniuria. Et dominus potestas teneatur ipsos dominos vbi essent, & terrerios, videlicet dominos pro medietate & terrerios siue homines habitantes in ipsis villis pro altera medietate condemnare, & condemnationem ab eis exigere (ut dictum est) pro eo ꝙ non ceperint malefactores, & eos non posuerint in forciam communis. Et condemnatio sit in determinatione domini potestatis & suæ curiæ. De summa autem prædicti damni dati, seu furti commissi, & maleficij facti, utrum fuerit maior uel minor solidis sexaginta similiter sit in determinatione domini potestatis & curiæ suæ.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

QVilibet, qui capiet aliquem malefactorem, & captum præsentabit in forciam domini potestatis, uel alicuius de sua familia, habere debeat solutionem a communi prout infrapro qualitate criminis declaratum est. Quæ solutio quocunque in casu fiat dicti capientibus & præsentantibus de condemnationibus communis, dando sibi de de-

bitoribus condemnatis per contumaciam pecunialiter, & non habentibus fideiussionem soluendi condemnationes suas, ita quod pro rata sua possint à talibus condemnatis non habentibus fideiussionē exigere illud, quod habere debent à communi Paduę occasione prædicta.

QVi cæperit & præsentauerit aliquem assassinum, vel rebellum viuum vel mortuum D. Potestati, vel alicui de sua familia, habere debeat libras ducentas paruorum pro quolibet capto, & præsentato vt supra, & hoc casu intelligatur de assassino, seu rebelli præsentato mortuo, videlicet, qui fuerit hora & loco captionis mortuus,

QVi cæperit & præsentauerit aliquem bannitū de vita pro quocunque alio excessu siue crimine, saluo quam pro rebellione vel assassinaria, vel cæperit & præsentauerit aliquem, qui meretur mortem, habeat libras centum paruorum, soluendas sibi vt supra dictum est.

QVi præsentabit aliquem condemnatum pecunialiter pro homicidio non probato videlicet in libris ducentis, tunc si præsentatus fuerit repertus reus homicidij, habere debeat pręsētator libras centum paruorum vt supra. Si autem præsentatus non fuerit repertus reus, & absolutionem meruerit tunc præsentatus habere debeat libras 50. tantum, & modo prædicto.

QVi presentabit aliquem qui condemnatus sit in amputatione alicuius membri, habere debeat libras 50. modo prædicto. Idem intelligatur

de

de eo qui pręſentabit aliquem malefactorem etiam non condemnatum, ſed qui poſt præſentationem condemnabitur in amputatione alicuius membri, vt dictum eſt.

QVi præſentabit aliquem condemnatum, vel qui poſt præſentationem condemnabitur ad bullandum, vel fuſtigiandum, habere debeat libras 25. vt ſupra ordinatum eſt.

QVi præſentabit aliquem condemnatum, vel malefactorem, qui poſt præſentationem condemnabitur ad ſtandum in carceribus communis Paduæ tantum per vnum menſem, vel abinde ſupra vſque ad ſex menſes, habere debeat libras 20. Si autem malefactor erit condemnatus, vel condemnabitur ad ſtandum in carceribus à ſex menſibus ſupra, tunc præſentans habere debeat libras 30. vt ſupra.

QVi præſentabit aliquem condemnatum, vel qui poſt præſentationem condemnabitur in libris ducentis & decem, vel abinde ſupra, habere debeat libras centum paruorum modo prædicto. Si vero malefactor erit condemnatus, vel condemnabitur à libris ducentis & decem infra, vſque ad libras cẽtum, tunc habeat præſentator libras quinquaginta. Si autem malefactor erit condemnatus, vel condemnabitur à libris centum vſque ad libras quinquaginta, tunc præſentator habere debeat libras vigintiquinque, verum ſi malefactor erit condemnatus, vel cõdemnabitur a libris quinquaginta infra, tunc & hoc caſu præſentator habere de-

beat medietatem condēnationis modo prædicto.

IN omnibus ſupradictis & ſingulis caſibus non intelligatur de aliquo pręſentante mulierem uel cæcum, ita quòd pro muliere uel cæco nihil habere debeat præſentator. Intelligantur etiam pręd i cta locun non habere in illis, qui præſentarent aliquem, qui dediſſet fideiuſſionem de condemnatione ſua ſoluenda, ſed habeat locum tantum in illis, qui præſentabunt aliquem malefactorem, & fideiuſſionem nullam dederit de condemnatione ſua ſoluenda. Item non habeant locum prædicta in fauorem alicuius, qui de mandato domini poteſtatis, vel alicuius de familia, vel de mandato alicuius rectoris, aut iudicis miſſus eſſet vt caperet & præſentaret aliquem malefactorem. Et hoc caſu talis capiens & præſentans nihil habere debeat de prædictis.

MAlefactor quilibet præſentatus, ſiue ante, ſiue poſt pręſentationem ſit cōdemnatus, ponatur incontinēti in carceribus communis & ſi ad mortem, vel ad pœnam aliquam corporalem cōdemnatus, ſeu condemnandus fuerit, puniatur ſecundum formam ſtatutorum. Si vero fuerit pecunialiter condemnatus, ſeu condemnandus, tunc & hoc caſu non relaxetur aliquo modo, niſi ſoluat prius communi condemnationem ſuam, & illud, quod commune dediſſet, ſoluiſſet, vel conſignaſſet præſentatori ex cauſa prædicta.

QVicunq; tenuerit, receptauerit, vel occultauerit ſcienter aliquem condemnatum pecunialiter

liter in domo sua, vel præstiterit alicui condemnato auxilium, vel fauorẽ, puniatur videlicet, quod si ille malefactor erit condemnatus in libris centum, vel abinde supra, tunc ille receptans, tenens, vel occultans eum, seu qui auxilium, aut fauorẽ sibi præstauit, condemnetur in libris centum. Si autẽ malefactor ille erit condemnatus a libris centum infra, tunc iste contrafaciẽs condemnetur in libris quinquaginta, vel minus inquãtum malefactor ille condemnatus esset. Et vtrum aliquis scienter tenuerit, aut receptauerit, vel occultauerit aliquem malefactorem, aut præstiterit sibi auxilium, stetur determinationi domini potestatis.

Potestate D. Rolandino de Canossa 1268.

SI quæstio fuerit de captione, & præsentationẽ alicuius condẽnati ex eo quod veniat aliquis cõtradictor, dicens se præsentasse, vel cæpisse aliquem malefactorem, uel si aliter quæstio oriretur super his, uel horum occasione, & hoc casu ille, qui mouit quæstionem, faciat diffiniri causam infra sextum diem cõputandum a die præsentationis malefactoris. Et solutiones seu denarij taxati præsentanti non possint per aliquem interdici aliquo modo, uel ingenio. Et potestas occasione alicuius interdicti, non possit, nec debeat in aliquo differre ad faciendum solutiones prædictas, uel ad dandum beneficium prædictum præsentatoribus ultra terminum suprascriptum. Et de prædictis præsentationibus

tionibus, confessionibus, & probationibus faciat fieri potestas vnum librum, quem teneat penes se, & postea consignet cancelario communis. Et si potestas Paduæ prædicta non fecerit, vt dictum est, soluat communi Paduæ libras centum pro quolibet condemnato præsentato modo prædicto. Et soluat etiam præsentatori id, quod pro aliquo ex prædictis condemnatis deberet a communi Paduæ habere. Et de prædictis potestas possit, & debeat sindicari, statuto aliquo non obstante.

Statutum conditum 1329.

STatuimus quod postquam denunciatũ, & notificatum fuerit alicui vicario, siue potestati, aut sindico, vel decano, seu officiali alicuius villæ castri, vel loci Paduani districtus aliquem condemnatum esse per commune, seu communi Paduæ ex parte domini potestatis, vel officialiũ eius, vel per aliquam personam, teneatur, & debeat ipse potestas, seu vicarius, aut sindicus, vel decanus, & officiales, ac commune, & homines illius villę, castri, vel loci capere, & domino potestati, & communi Paduæ præsentare vsque ad quatuor dies illum talem condemnatum, si ille talis condemnatus habitabit, stabit, vel repertus erit moram facere in ipsa villa, castro, vel loco, sub pœna librarum centum. paruorum, si condemnatus fuerit ad mortem, vel in amputatione alicuius membri. Si autem ille malefactor repertus, & denunciatus erit condemnatus

tus pecunialiter, tunc si condemnatio erit à libris quinquaginta supra, condemnentur illi, qui facta sibi denunciatione non ceperunt ipsum in libris quinquaginta. Si vero malefactor esse condemnatus à libris quinquaginta infra, tunc illi, qui facta sibi denunciatione non cœperit ipsum, condemnentur in tantum, quantum esse condemnatus malefactor ille, qui denunciatus foret modo prædicto. Et in omnibus prædictis casibus possint condemnationes minorari arbitrio domini potestatis secundum qualitatem facti. Et prædicta communia, & homines dictarum villarum, seu rectores, vel officiales sui si dicerent, quod propter potentiā alicuius, & timorem non auderent aliquos cōdemnatos, vel malefactores capere, tunc & hoc casu liberati sint a cōdemnatione, si domino potestati videbitur causa, vel potentia, seu timor verisimilis. Et hoc casu potestas possit, & debeat contra illum, vel illos, quorum potentia capi malefactor non potuerit procedere, & punire secundum qualitatem personarum, & facti. Et teneatur dominus potestas Paduæ, & quilibet potestas, seu vicarius locorum Paduani districtus dare ipsis communibus, & officialibus villarum, & quibuscunque personis requirentibus de sua familia ad sufficientiam pro capiendo condemnatos, & malefactores prædictos, sub pœna librarum centum paruorum pro quolibet, & qualibet vice. Et intelligatur denunciatum, & notificatum eo ipso ꝙ per commune, seu officiales dictæ villæ, castri, vel loci denunciatus fuerit

con-

condemnatus de delicto, propter quod fuit condemnatus, vel ꝙ præceptum est officialis villæ, castri, vel loci, ꝙ bona alicuius propter delictum reducantur in scriptis. Quibus casibus teneatur commune dictæ villæ, castri, vel loci mittere, vel venire ad sciendum, si talis est condemnatus, & in quanta quantitate, & nomen illius, & quantitatem scribi facere in libro communis illius villæ, castri, vel loci ad hoc specialiter deputato. Et si elapso vno mense post condemnationem dictus condemnatus moram faceret in illa villa, castro, vel loco, tunc, & hoc casu commune illius villæ, castri, vel loci incidat in pœnam supra contentam.

Statutum conditum 1346.

AD hoc vt homicidæ, & malefactores in ciuitate Paduę, & suburbiis delinquentes non receptentur, vel occultentur, sed vt facilius capiantur, & eis captis vindicta publice, suadente iustitia, habeatur. Statuimus ꝙ si de cætero in ciuitate, vel in suburbijs Paduæ intra muros, & spaldos ipsius ciuitatis, & confines illos, ad quos per habitantes in ciuitate Paduę, & suburbiis custodia diurna, & nocturna præcipitur, aliquis, vel aliqua homicidium fecerit, vel cõmiserit, vel aliter vulnus, aut percussionem alteri intulerit, ex quibus vulnere, & percussione statim, vel temporis interuallo contigerit vulneratus, aut percussum mori, tunc & hoc casu quilibet habitator illius contratę, vel loci, vbi contigerit

tigerit

tigerit maleficiũ cõmitti, teneatur, & debeat illum vel illos insequi, & capere, & captũ, vel captos perducere, & assignare in forciam communis Paduæ. Et si in illo loco, & contrata rumoris, aut maleficij commissi habitantes nõ caperent malefactorẽ, vel male factores prædictos, tunc & hoc casu teneãtur, & debeant habitãtes in alijs locis, & contratis, per quos, vel quas malefactor, siue malefactores fugeret, vel fugerent prosequi, & capere ipsos malefactores, vt supra. Et ad prædicta omnia teneantur omnes dare sibi inuicem, & præstare auxilium, & fauorem. Et si in prædictis fuerint negligentes, vel non fecerin id, quod potuissent ad eos capiendum, tunc & hoc casu vicinia, siue habitantes in contrata maleficij commissi condemnari possint in libris centum, & plus, & minus arbitrio domini potestatis, & suæ curiæ secundum qualitatem facti, & negligentiæ. Et alij habitantes in alijs contratis, per quas malefactores aufugerint, si aliquibus insequentibus malefactorem clamando fuerint negligentes, vel non fecerint id, quod potuissent ad capiendum eos, condemnari possint in libris 50. paruorum, & minus, & etiam plus arbitrio domini potestatis, & suæ curiæ secũdum qualitatem facti, & negligentiæ pro qualibet contrata, seu vicinantia. Et medietas dictarum condemnationum soluatur per capita familiarum in dictis contratis habitantia, ita q in vna familia non intelligatur nisi vnum caput, & altera medietas soluatur pro æstimo habitantium in contrata illa, & in casibus huius statu-

ti

ti intelligatur locus,& cõtrata maleficij per vnam turnam versus quamlibet partem, per quam itur, seu iri potest per viam publicam a loco, in quo maleficium cõmissum est. Et similiter intelligatur cõtrata quęlibet alia, per quam malefactores aufugerent per vnam turnam a confinio prioris turnę loci, vbi maleficium commissum fuit, & successiue à cõfinio eius turnæ loci, per quem malefactores inciderent, seu aufugerẽt. Et si aliquo casu turna non tangeret de hostio magistro, siue quo vtitur communiter habitator domus illius cum sua familia, tunc habitatur domus illius nõ teneatur ad dictam pœnam cum illa contrata. Et intelligãtur semper de cõtrata esse illi, qui habitãt in illa contrata, siue ab vno, siue ab altero latere habitent, etiam si in diuersis centenarijs essent. Et prædicta omnia locum habeant, si dicta maleficia erunt de die cõmissa publice, intelligendo diem esse a sono campanę communis, quæ pulsatur in mane vsq; ad primum sonum eiusdem cãpanæ, quæ pulsatur in sero, & intelligantur nõ negligentes habitantes in cõtratis prædictis, si decem personæ mares, vel fęminæ de qualibet ipsarum contratarum clamando prosequãtur malefactores, vel si fecerint saltem id, quod potuerunt ad capiendum malefactores, de quo stetur arbitrio domini potestatis. Et si in aliquo casu malefactores resisterent defendendo se cum armis, ne capiãtur, & volentes capere percusserint malefactorem, vel malefactores, aut vulnerauerint, vel occiderint, hoc casu non possit contra percutientem,

tem, seu vulnerantum, aut interficientem procedi pro tali percussione, vel vulnere, vel occasione modo aliquo, vel ingenio. Et talis exceptio debeat admitti, & per procuratorem proponi possit etiam ante excusationem, & ad defensionē vicinæ quilibet admittatur absque aliqua satisdatione, & sine aliquibus expensis. Et prædicta omnia locum habeant etiam in quolibet alio vulnere, & pęna viciniarum, & contratarum possit fieri vsque ad medietatem suprascriptarum pœnarum, secūdum distinctionem casuum supradictorum, & plus, & minus arbitrio domini potestatis, secundum qualitatem facti. Ita tamen ꝙ in maleficiis commissis in palatio iuris, aut in domibus potestatis, vel domini capitanei non puniantur contratę, exceptis tamen contratis, per quas aufugerent malefactores, quæ puniantur vt superius est expressum, si negligentes extiterint, vt supra. Sed dominus potestas, & sua familia pro maleficijs cōmissis in palatio iuris, vel in domibus suis teneātur capere dictos malefactores, vel saltem facere id, quod potuerūt vt capiantur. De maleficijs autem commissis in plateis communis, quæ sunt ab vtroque latere palatij iuris, aut in platea domini capitanei, teneantur artifices, & habitatores stationum proximiores maleficio capere malefactores, & eos insequi vt superius dictū est de contratis in pœnis prædictis, & plus, & minus arbitrio domini potestatis secundum qualitatem facti. Idem intelligatur de maleficijs cōmissis in stationibus cōmunis videlicet, quod habitatores

ipsarum

ipsarum stationum teneãtur capere malefactores, & eos insequi sub pœnis prædictis, & plus, & minus arbitrio potestatis secundum qualitatem facti, & personæ. Si aliquod maleficiorum suprascriptorum commissum fuerit in hostaria, aut in taberna, seu in domo habitationis alicuius viri præsente hospite, seu tabernario, vel habitatore domus, ítũc & hoc casu hospes, seu tabernarius, vel ille, in cuius domo fuerit maleficium perpetratum, puniatur in casu homicidij in libris quinquaginta paruorum. In alijs vero vulneribus puniatur in libris viginti que, & plus, & minus arbitrio domini potestatis, & suæ curiæ, si malefactores non ceperit, aut si in capiendo, vel prosequendo non fecerit id, quod potuisset. Et omnes præsentes maleficio in quocunq; loco, siue in palatio, siue alibi si negligentes extiterint in capiendo malefactores, vel eos insequendo, vel faciendo id, quod possunt vt capiãt, condẽnentur vltra pęnam, quæ eis contingeret de suprascripta pęna contratarum in casu homicidij in libris 25. pro quolibet. In alijs autem vulneribus in libris x. paruorum, & plus & minus arbitrio potestatis. Et a pœnis prædictis non possit se aliquis excusare vigore alicuius pacti, aut priuilegij, vel aliqua ratione, exceptis doctoribus forẽsibus & scholaribus forensibus, & eorum familijs. Et si contingeret aliquem esse æstimatum, tunc per vicarium domini potestatis cum duobus suis vicinis debeant æstimari. Et in omnibus supradictis casibus, excepto quam de homicidio, si malefactor sponte compa-

gueris

fuerit quandocunque ante condemnationem, poenæ prædictæ minorentur arbitrio potestatis secũdum qualitatem facti, si ei videbitur. Item q nulla persona cuiuscunque conditionis, aut status existat, audeat, vel præsumat acceptare, vel occultare aliquem de prædictis malefactoribus, aut prębere sibi aliquod auxilium, consilium, vel fauorem ad fugiẽdum vel euadendum. Et quicunque receptauerit vel occultauerit, seu auxilium uel consilium aut fauorem præstiterit sibi ad fugiẽdum, vel euadendum, puniatur sicut ipsi receptati vel occultati, vel sicut illi, quibus sit fauore auxilium, aut consilium præstitum, vel minus seu aliter ad arbitrium domini potestatis, inspecta qualitate personarum & doli. Et si aliqua dubitatio, vel obscuritas, seu casus non contentus in statuto prædicto emerserit in prædictis & circa prædicta, stetur determinationi domini potestatis & suæ curiæ. Et iudex Aquilæ teneatur dare auxilium ad exigendum partem cõdemnationum contingentem a quocunque, cui de ipsa vicinantia per sapientes electos fuerit imposita. Et aliquis non possit compelli ad soluendum vltra partem suam de condemnatione prædicta. Et qui soluerit in termino ordinato non teneatur ad quartum pro rata illorum, qui in termino non soluissent partem suam.

Potestate D. Fulgone de Guarino 1216.

ALiquis bannitus pro maleficio, aut pro debito maleficij a libris quinquaginta infra, etiam si

vulneratus fuerit, dummodo non fuerit ſmancatus, vel vulneratus in facie, ex quo euidens cicatrix non ſit remanſura, non poſſit agere, licet exierit de libro forbannitorum, etiam ſi dominus poteſtas haberet arbitrium. Et dominus poteſtas poſtquam cognouerit, & ei manifeſtum fuerit aliquem eſſe bannitum pro maleficio, vel pro debito maleficij, non poſſit nec debeat ſuper denunciatione vel accuſatione a quocunque facta, neque ex ſuo officio, vel per inquiſitionem amplius procedere, ſed ipſam accuſationem, ſeu denunciationem, & inquiſitionem penitus cancellare. Et hoc locum habeat etiam ſi occiſus fuerit aliquis forbannitus pro homicidio, vel occaſione homicidij, vel pro condemnatione in eius perſonam facta, vel pecuniaria librarum quinquaginta, vel vltra pro maleficio & cōdemnatione iniuriæ in dicta ſumma computata.

Poteſtate D. Bonifacio Guidonis de Guiziardo 1228.

DEbitum maleficij intelligatur pro inſultu cum armis facto, percuſſione, ferita, ſcapilatura, vulnere, homicidio, vel occaſione homicidij, pro furto maioris ſummę ſolidorum 60. rapina, violentia, ſtatu, incendio, pro falſo teſtimonio, vel falſa charta, ſiue inſtrumento, pro muliere violenter cognita, & pro adulterio & alterius vxore cognita, & muliere rapta, pro beſtijs vulneratis, & mortuis, pro vitibus & arboribus fructiferis inciſis, & deuaſtatis, & nauibus, quarum damnum ſit maioris

ſummæ

maioris summæ librarum x. Et item in quocunquè delicto, pro quo imponeretur pœna maior librar. 50. ex forma iuris & statutorum communis Paduę, dummodo maleficium sit commissum in faciendo. Saluo q hoc locum non habeat in condemnationibus, quæ fierent occasione delationis armorum, vel ludi vetiti.

Potestate D. Vberto de Cancelerijs 1316.

QVicunque condemnatus est, vel de cætero, condemnabitur pro aliquo maleficio, vel delicto pecunialiter, vel corporaliter, vel quocunque modo si vsque ad mensem computandum a tempore condemnationis & sententię non soluerit, & satisfecerit suas cōdemnationes, aut si infra dictum tempus non fuerint mandatæ executioni, habeatur pro forbannito, etiam si non sit scriptus in libro forbannitorum, & subiaceat pœnis & bannis & statutis forbannitorum communis Paduæ perinde ac si nominatim, & expresse scriptus esset in libro forbannitorum pro ea causa, pro qua condemnatus est. Et nihilominus condemnati modo prædicto post dictum tempus, vel forbanniti subiaceant etiam pœnis omnibus, & statutis, quibus subiaceant forbanniti pro debitis generalibus. Et quilibet condemnatus seu forbannitus pro maleficio si stabit in ciuitate Paduæ, vel districtu possit denunciari, & potestas facta sibi denunciatione teneatur mittere ad loca, in quibus diceretur habitare dictus condemnatus pro maleficio, & facere ip-

sum capi, & detineri & in carceribus communis Paduæ poni. Et inde captus non debeat relaxari, nisi soluerit condemnationem suam. Et si fuerit condemnatus ad mortem, puniatur vltimo supplicio. Et nihilominus dominus potestas procedat contra communia villarum, & cōtra potestates & officiales locorum, in quibus talis cōdemnatus repertus erit, siue cōdemnatus fuerit captus siue non, & condemnationes facere secundum formam statutorum communis Paduæ.

Statutum vetus conditum ante 1236.

SI potestas inuenerit aliquem fecisse alium in libro forbannitorum pro maleficio poni malo modo, faciat quod ille, qui fecit poni, resarciat, & soluat damnum & expensas in duplum ei, qui positus fuerit, & hoc sine aliqua controuersia. Et nihilominus auferat ab eo libras centum pro banno; Salua pœna falsitatis.

DE ARMIS VETITIS, RVBRICA.

Potestate D. Henrico Dauro 1281.

On possit, nec debeat aliquis portare arma vetita ad offensionem, vel defensionem per ciuitatem Paduæ, vel per Paduanum districtum, sub pœnis & bannis infrascriptis.

Arma

ARma vetita intelligantur ensis, cultellus ad feriendum, lancea, spata curta, lancieta, lancionus, acia, falcionus, chimpus, sublonus, spedus, transferrum, bechamicinere manareta, franduli cuiuscunque, plumbatæ, bordonus, mazia ferri vel ferrata, seu cuiuscunque metalli, & omne aliud ferrum, quod non reperitur concessum. Concessum intelligimus cultellum a pane non fraudulentum, & vtrum cultellus vel aliud ferrum cum puncta vel sine sit fraudulentum vel non, sit in determinatione D. Potestatis. Item concessum intelligimus infrascripta ferrea, quibus vti consueuerint opifices, vt sartores, caligarij, corrigarij, beccarij, & alij, vt quilibet eis vti possit in arte sua & gratia suæ artis tantum, & non in fraudem. Et sit in determinatione D. Potestatis vtrum ipsis instrumentis ferreis vtantur in fraudem, seu videantur ferre in fraudem. Et si putauerit D. Potestas quòd ferãtur in fraudem condemnet ferentes pro armis vetitis.

Potestate D. Henrico Dauro 1281.

QVilibet ciuis Paduanus ferens arma per ciuitatem Paduæ, vel suburbia in die, pro infrascriptis terribilibus armis, scilicet pro falciono, vel acia, vel manareta fraudulẽta, vel bechamicinere, aut lanciono, spata curta, pennato, sfalcionato, seu ronchono, condemnetur in libris quinquaginta paruorum. Et qui super plateis communis, quæ apud palatium iuris sunt, vel in platea domini ca-

pitanei, seu S. Clementis repertus fuerit aliquod dictorum armorum ferre, condemnetur in libris cẽtum paruorum. Si vero in palatium, vbi ius redditur, vel in domo domini potestatis, aut domini capitanei dicta arma portauerit, condemnetur in libris ducentis. Et hęc arma terribilia repingantur in angulis palatii iuris, vbi prius picta erant, vel alibi vt videbitur domino potestati.

PRo lanzeta in solidis cẽtum. In platea in libris decem. In palatio, vel in domo domini potestatis, seu domini capitanei in libris 25. paruorum. In consilio maiori in libris 50. condemnetur portator eius.

PRo spontono curto, vel maziaferri, seu ferrata, seu plumbata, seu de quocunque metallo, vel balota, vel quocunque metallo in libris decem. Si in plateis communis vel domini capitanei in libris vigintiquinque. In palatio aut in domo D. Potestatis, vel domini capitanei in libris quinquaginta condemnetur.

PRo spata vero, seu spontono non curto in libris quinque. In plateis in libris x. In palatio vel domo domini potestatis, aut domini capitanei in libris 20. In consilio maiori in libris 25. condemnetur.

PRo bachulo fraudulento, vel quibuscunq; alijs terribilibus armis ad offensionem condemnetur portãs arbitrio domini potestatis & suæ curiæ, habita consideratione pro qualitate armorum. Ita quod in palatio, platea, & domo D. Potestatis, &

domini

domini Capitanei pœnæ duplicentur, ita tamen quod pœna non excedat summam librarum centum paruorum.

QVi portauerit arma ad defensionem condemnetur pro panzeria, vel corazia, gamberijs, coreto, vel casseto, pro bazineto, vel ceruelleria, vel smaniata, vel quibuscunque alijs armis ad defensionem, excepto collari, quod possit quilibet impune portare, in solidis 20. pro qualibet arma.

PRo stocheto longo duobus pedibus vel minus, libras 25. paruorum, si in palatio, aut platea, vel domo D. Potestatis, vel D. Capitanei.

Potestate D. Marino Baduario 1303.

QVilibet ciuis Paduæ qui inuentus fuerit de die per familiam potestatis cum armis vetitis, possit retinere in se arma ipsa, si voluerit dando securitatem soluendi æstimationem armorum, & arma ipsa non possint eidem, cui inuenta fuerint capi per dictam familiam Domini potestatis in pœnam librarum 50. de salario domini potestatis. Si vero de nocte post sonum tertiæ campanæ inuenta fuerint aliqua arma alicui per familiā domini potestatis, vel domini capitanei, & visum fuerit militi, siue iudici, qui erit cū ipsa familia eidem accipere arma inuenta, teneatur ipse iudex vel miles, cum fuerit ad palatium communis consignare ipsa arma iudici Aquilæ sub pœna librarum centum paruorum. Et dictus iudex Aquilæ teneatur

ad pœnam librarum 25. dicta arma restituere illi, cui fuerint inuenta infra tertiam diem postquam dederit securitatem soluendi bannum armorum, & æstimationem ipsorum.

Potestate D. Barone de Manziatoribus de Sancto Mininto 1187.

HAbitator aliquis villarum Paduę districtus nõ possit portare arma aliqua offendibilia, vel defendibilia per villam, in qua habitat, vel alibi excepto, quam si iret de dicta villa ad locum aliquem extra districtum paduę, quo casu possit (non tamen in fraudem) portare eundo vel redeundo ensem, aut ronchonum cum manico longum in mella per vnum pedem vel minus. Et qui contrafecerit, condemnetur in duplo eius, in quo ciuis Paduæ condẽnaretur, si arma ferret per ciuitatem Paduæ, & quilibet possit accusare.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno. 1420.

DEcanus quilibet villarum Paduani districtus subiectarum in criminalibus iurisdictioni domini potestatis paduæ, debeat, & teneatur denunciare iudici domini potestatis paduæ ad discum Aquilæ deputato omnes, & singulos ferentes arma vetita per villam suam, seu per territorium villæ suæ infra sex dies computandos ab ipsa die inclusiue, qua tulerit quisquam arma contra ordines. Et commune illius villæ habere debeat quartam

tam partem condemnationis, quam soluet ille, qui tulisse arma per decanum denunciatum erit, & aliae tres partes condemnationis sint communis paduae. Et decanus si non denunciauerit infra dictum terminum ferentes arma, condemnetur in libris 25. pro quolibet inuento ferre arma, & pro qualibet vice, & huius poenae medietas sit camerae dominij nostri, seu communis paduae, & altera medietas sit illius, qui decanum de praedictis accusabit. Et quilibet possit de hoc accusare decanum, & teneatur in credentia si voluerit. Et ipse decanus condemnatus occasione praedicta, non haberet vnde soluere posset dictam cōdemnationem, tunc, & hoc casu teneatur cōmune, & homines illius villae soluere condemnationem pro decano suo. Idem intelligatur in decanis villarum subiectarum dominis rectoribus paduani districtus habentibus cognitionē in criminalibus, videlicet ꝙ teneantur decani ipsi denunciare dominis rectoribus suis, & si non denūciauerint, puniantur, & in omnibus, & per omnia fiat vt dictum est.

Potestate D. Barone de Manziatoribus de Sancto Miniato 1287.

STatuimus, & ordinamus, ꝙ illi, qui venerint de villis ad habitaudum in ciuitate paduae secundum formam statutorum, non possint portare arma in illis villis, de quibus exiuerint, nisi secundum quod habitatores villarum portare possint. Et si con-

contrafecerint, subiaceant illis pœnis, quibus subiacent habitatores villarum, nisi habuerit licentiam à domino potestate.

Potestate eodem, & millesimo.

SI arma aliqua fuerint inuenta alicui, qui non sit legitimæ ætatis, qui ea videatur portare cooperta, vel fraudulenter, condemnetur secundum formam statuti, non obstante quod sit minor. Et vtrum portet eam fraudulenter, vel non, sit in determinatione domini potestatis.

Potestate D. Henrico Dauro. 1281.

OMnia prædicta banna sint duplicata contra ciues paduæ ferentes arma de nocte, & similiter contra habitatores villarum, & ab eis auferatur in duplum. Et noctem intelligimus à sono tertiæ campanæ communis, quæ pulsatur in sero vsq; ad sonum campanæ communis, quæ pulsatur de mane, & appellatur campana diei.

IN quolibet casu, in quo arma portari vetitũ est, arma perdantur, & deueniant in cõmune paduæ. Saluo quod licitum sit ei redimere arma vetita sibi inuenta, videlicet spatam pro solidis 20. Itẽ manicas cum cassello, vel panzeriam, vel guarnaziam pro solidis quadraginta pro quolibet. Item cultellum, vel lanzetam, ceruceleriam, vel bacinetum, vel guantos pro solidis x. Item gamberias pro solidis 20.

Nullus

NVllus teneat lanciam, vel lancionum, aut iactarolum hastatum, seu hastam in plateis ad vendendum, vel aliquo modo sub pœna solidorum viginti

Non portet aliquis arma aliqua ad offensionem in palatio, vbi ius redditur ad vendendum. Et quicunque contrafecerit, soluat communi libras decem.

Nemini liceat in stationibus, quę sunt circa plateas herbarum, vel bladarũ, aut circa plateam domini capitanei, aut in palatio communis, vbi ius redditur recipere aliquod prædictorum armorum ab aliquo. Et qui cõtrafecerit, vel passus fuerit sciẽter, vel sciẽs poni in stationibus suis aliquod dictorum armorum, puniatur in medietatem eius, in quo deberet condemnari ille, qui ferret ipsa arma pro qualibet vice. Et quilibet possit accusare, & habeat medietatem banni, & teneatur in credentia, si voluerit. Et dominus potestas teneatur de hoc pręcepto facere fieri publicam proclamationem, & præceptum omnibus habitantibus in stationibus circa dictas plateas quotiescunque sibi videbitur.

Potestate eodem, & millesimo.

VLtra pœnas prædictas contra ferentes arma nihilominus imponatur maior pœna, si qua est in aliquo statuto declarata,

SI forensis aliquis de cætero condemnabitur occasione armorum, & iterum condemnandus fuerit occasione armorum, condemnetur in duplũ

eius

eius quantitatis, in qua primo fuerit condemnatus. Et si tertio condemnandus erit, condemnetur in duplum eius quantitatis in qua fuerit secundo condemnatus.

QVilibet forensis veniens ad ciuitatem Paduæ possit secum deferre arma sua vsque ad suum hospitium, in quo voluerit habitare seu hospitari. Et hoc idem habeat locum de forense redeunte, & eunte de ciuitate Paduæ ad aliam ciuitatem, vel locum extra ciuitatem Paduæ. Et in hoc stetur determinationi domini potestatis.

Potestate eodem & millesimo.

OMnes albergatores, & alij quicunq; teneãtur denunciare forẽsibus suis, ne portẽt arma vetita incontinenti cum descendunt in domos suas in pœnam librarum decem cuilibet albergatori, seu tabernario, & solidorum centum cuilibet alij. Et de denunciatione facta credatur dicto albergatori, vel receptatori alterius cum iuramento.

Potestate eodem, & millesimo.

SI quis baronus, potestas, vel capitaneus, vel ambasciator alicuius ciuitatis, vel alterius loci, vel aliquis alius veniret Paduam, & peteret licentiam portandi arma cum aliquibus de sua familia, potestas possit ei dare licentiam secundum quod ei melius videbitur expedire.

Potestate eodem, & millesimo.

QVia quandoque sunt aliqui, qui armis indigēt contra suam voluntatem propter guerras, seu inimicitias capitales, statuimus quod potestas possit dare licentiam ferendi arma ad sui defensionem quibuslibet habentibus iustam causam, vel aliquibus de suis familiis, qui non sint clerici, vel forenses inquam minori quantitate potuerunt, inspectis conditionibus, & qualitatibus personarum, & attentis eorum inimicis capitalibus quos haberent.

Potestate D. Barone de Manziatoribus de Sancto Miniato 1287.

POtestas Paduæ teneatur subtiliter inquirere de inimicis, & aduersariis cuiuslibet habentis, seu de nouo petentis licentiam portandi arma, & cognita inimicitia, quæ sit inter eos, procurare omnibus modis, quibus potest componere, & facere pacem inter ipsos, non cogendo aliquem contra voluntatem suam. Et si potestas non posset componere inter ipsos, vt videtur sibi postea iusta causa dandi, vel confirmandi licentiam portandi arma ad defensionem, tunc potestas possit, & debeat eis concedere, seu confirmare licentiam, ita tamen, ꝙ recipiat ab vtraque parte idoneam cautionem nō offendendi se ad inuicem in persona, seu rebus per se, vel per interpositas ꝑsonas. Et debeat potestas cum sua curia assignare ipsis partibus confinia, inter quæ debeant partes illæ stare, & habitare, & dare stratas, per quas debeant venire ad palatium

com-

communis, & redire, & sibi præcipere debeat, q arma ad offensionem debeāt portare cooperta. Et quilibet habens licentiam portandi arma inuentus fuerit per familiam potestatis portare arma discoperta, condemnetur in libris 25. & licentia sibi auferatur. Et die illa, qua in aliquis habens licentiam portandi arma venerit in palatium, alius aduersarius venire non possit. Et qui fecerit contra prædicta, vel aliquod prædictorum, condemnetur secundum pœnam, & præceptum sibi impositam, seu impositum. Et potestas teneatur exigere dictam pœnam, statuto aliquo non obstante.

Potestate eodem & millesimo.

EVntes ad villas Paduani districtus, vel ad campaneas Paduæ extra ciuitatē, & spaldos, & redeuntes possint arma portare nō terribilia. Reseruando tamē discretioni D. Potestatis, vel inuentoris iudicis, uel militis vtrum ille, qui repertus erit cum armis, iret ad prædicta loca, vel rediret, vel non.

Potestate D. Henrico Dauro 1281.

CIues & eorum famuli secum habitātes cum familia, & massaritijs possint secum portare, & tenere eundo de ciuitate Paduę ad villas, seu castra Paduani districtus, & per villas, & castra Paduani districtus, & redeundo, & stando in ipsis villis, seu castris arma ad offensionem, & defensionem, dummodo non portent arma terribilia, vel alia arma in fraudem.

fraudem. Et vtrum sint arma terribilia, vel in fraudem portent, sit in determinatione D. Potestatis. Et idem seruetur in campanea Paduæ, & alibi extra fortilicias.

Licitum sit cuilibet venatori, seu caciatori in villis, & per villas portare secum spetum a porcis cingiarijs, cum vadunt venatum, & cum inde reuertuntur.

Potestate D. Henrico Dauro 1281.

QVilibet possit accusare ferêtes arma, & si voluerit teneatur in credentia, dummodo sit bonæ famæ, & opinionis. Et de hoc stetur determinationi D. Potestatis, & habeat accusator medietatem banni pecuniarij.

Potestate eodem, & millesimo.

Licitum sit cuilibet personæ bonæ famæ, & opinionis, de qua sit in determinatione domini potestatis, manifestare non solum arma ferentes, sed etiam quoscunque laicos, qui irent cum clerici ferentibus arma, vel cum clerico, vel cũ quibus irent clerici, vel clericos arma ferentes. Et laici tales cõdemnentur in libris 25. pro quolibet, & accusator teneatur in credentia, si voluerit, & habeat medietatem banni. Et accusator det saltem duos testes bonæ famæ, & opinionis. Et hoc locum habeat nisi clericus ille, vel clerici illi habeât a domino episcopo, vel ab eius vicario ex iusta causa, vel à D. Potestate licentiam ferendi arma.

Pote-

Potestate D. Ottolino de Mandello 1289.

SI quis baroderius, aut cabalarius, vel aliquis alius de familia domini potestatis, aut domini capitanei, vel alius tentãs de armis, inuenerit arma alicui, & non manifestauerit incontinenti iudici Aquilæ, condemnetur in libris vigintiquinque. Et qui pecunia mediante non manifestauerit, cõdemnetur in a libris quinquaginta, & habeatur pro falsario, & in libro falsariorum scribatur.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

INuentores armorum teneãtur præsentare infra tertiam diem arma inuenta iudici Aquilæ a die, qua inuenta fuerint. Et qui non præsentauit infra dictum tempus, condemnetur in tantum, in quantum deberet condemnari ille cui inuenta fuerint arma. Et nihilominus etiã ille inuentus ferre arma cõdemnetur. Et quilibet possit accusare, & habeat medietatem banni.

Potestate D. Henrico Dauro 1281.

QVicunque tentare seu circa debet de armis; teneatur iurare in manibus domini potestatis, vel domini capitanei, de cuius familia erit, seu in manibus iudicis Aquilæ, ꝙ fideliter tentabunt & circabunt, & ꝙ nullam fraudem cõmittent in tentatione & manifestatione armorũ. Et non debeant prædicti bibere, vel comedere in taberna, vel alibi

in ciuitate

in ciuitate Paduæ, vel burgis cum aliquo ciue Paduano, sub pœna librarum decem pro quolibet, & qualibet vice.

Potestate D. Guidone de Rubertis 1286.

QVilibet patienter permittat se tētari & circari a baroderijs, & ab alijs quibuscunque de familia domini potestatis, vel domini capitanei, & à quocunq; alio, cui tale officium commissum erit. Et qui contrafecerit, condemnetur in libris 50. & de hoc credatur militi, seu iudici D. Potestatis, vel D. Capitanei, aut duobus de familia D. Potestatis, seu D. Capitanei, aut duobus baroderijs, seu cabalarijs, seu duobus alijs, qui ad hoc deputati erunt.

Potestate eodem, & millesimo.

NVllus fugiat, seu præsumat fugere, quando voluerit circari pro armis sub pęna librarū x. Et super hoc credatur cuilibet de familia D. Potestatis, seu D. Capitanei, vel duobus baroderijs, aut cabalarijs, seu duobus alijs ad hoc deputatis.

Potestate eodem, & millesimo.

SI qua arma vetita fuerint inuēta iuxta aliquem in terra, aut in bācho, vel sub bācho, vel in alio quocunque loco per aliquem baroderium, aut cabalarium, aut per aliquem de familia domini potestatis, vel domini capitanei, super alium ad hoc deputatū, intelligatur, & habetur pro vera, & le-

gitima probatione, quod arma illa sint illius, prope quem fuerint inuenta. Et pro ipsis armis, & quolibet ipsorum possit condemnari per dominum potestatem, perinde ac si fuisset inuetus portare ipsa. Et si plures, tunc ibi essent circunstautes, tunc & hoc casu quilibet eorum insolidum pro ipsis armis vetitis possit condemnari, ac si quilibet ipsorum fuisset inuentus portare arma illa, nisi legitime cõstet, quod illa arma sint sua. Et de prædictis omnibus, & singulis credatur iudici, seu militi domini potestatis, aut domini capitanei, vel duobus alijs de sua familia ad hoc deputatis.

Potestate eodem, & millesimo.

QVicunq; inuentus fuerit cum vagina, seu cum fodro cultelli, vel spatæ, vel alterius gladij vetiti, condemnetur, & soluat bannum pro qualitate gladii, seu vaginæ, ac si haberet arma. Et de hoc credatur cuilibet de familia domini potestatis, vel domini capitanei, seu duobus baroderijs, aut cabalarijs, vel alijs ad hoc deputatis.

DE VAGANTIBVS DE NOCTE, RVBRICA.

Potestate D. Henrico Dauro 1281.

Otestas & dominus capitaneus Paduæ inquirere teneantur diligenter per singula centenaria ciuitatis Paduæ à personis fidedignis, quæ teneantur in credentia

dentia per iuramentum, qui sunt ferentes arma, & euntes de nocte, seu de quibus fama est malefacere. Et tunc dominus potestas, seu dominus capitaneus reduci faciat in scriptis illos, & habeat penes se nomina eorum scripta, quos audiuerit malos esse. Et insuper possit (si videbitur ei) præcipere illis, quod securitatẽ prçstent non eundi de nocte, & sibi mandare, ac bannum imponere, vt non vadant de nocte. Et prouideant dominus potestas & dominus capitaneus, vt sibi melius videbitur ad hoc, vt arma de nocte non portentur, & maleficia nullo tempore committantur.

CIuis Paduanus, qui inuentus fuerit de nocte cũ armis, detineatur personaliter si visus fuerit potestati, seu domino capitaneo, vel militi suo, vel alteri inuentori suspectus, & teneatur talis inuentus in carceribus illa nocte, & die sequenti. Et si aliquod maleficium fuerit illa nocte perpetratum, debeat potestas inquirere cõtra eum, si visum fuerit ei. Et in quocunque casu puniatur pro armis secundum formam statutorum in duplum eius, in quo condemnaretur, si de die portasset.

Potestate eodem, & millesimo.

SI forensis aliquis inuentus fuerit de nocte per familiam potestatis, vel capitanei vel per aliquem ad hoc deputatum sine lumine, vel cum lumine occulto, & cum armis vetitis, detineatur forẽsis ille inuẽtus personaliter, & in carceribus per vnum mensem detineatur, si uisus fuerit inuentori

suspectus, & nihilominus pœnam armorum soluat. Et si quod maleficium fuerit nocte illa commissum in ciuitate, vel burgis, tunc contra eum inquiratur, & procedatur si videbitur D. Potestati, seu D. Capitaneo suspectus. Possit etiam inquiri contra ipsum, quamuis nullum maleficiũ sit nocte illa commissum inuestigando, quæ causa erit viæ suæ, & ad quid ibat cum armis, & quid intendebat facere.

Potestate eodem, & millesimo.

LIcitum sit cuilibet ciui Paduano ire ad cœnam cum vicinis suis, & a cœna redire de nocte. Et in eundo, & redeundo de nocte a tali cœna portare arma, videlicet spatã, vel lanzetam, siue cultellum, & rutelam vel bacinelum, aut cerueleriam, dummodo habeat duplerium accensum, vel ad minus quatuor candelas accensas, & ipsas non occulte ferat, & dummodo sit homo bonæ famæ & opinionis, & non vadat in fraudem. Et hoc statutum vendicet sibi locum à festo sancti Michaelis in antea vsque ad pascha resurrectionis domini, videlicet quod illo medio tẽpore sit licitum ire de nocte & sero, & ferre arma modo prædicto. Alio vero tempore, videlicet à pascha resurrectionis domini vsque ad festum sancti Michaelis, etiam in casu prædicto nullo modo arma portari possint de nocte. Sine armis vero liceat cuilibet de nocte ire per ciuitatem, & per suburbia impune, dummodo vadat sine fraude & cum lumine apparenti. Et suf-

ficiat casu isto ei lumen vnius candelæ, vel lanternę, vel stipitis ignei. Et in quocunque casu sit in determinatione D. Potestatis, seu Domini Capitanei, vtrum ille iret in fraudem, vel non.

Potestate eodem, & millesimo.

SI euenerit fieri consilium de nocte, vel si euenerit quod D. Potestas, aut D. Capitaneus, vel iudices D. Potestatis, aut milites mitterẽt pro aliquo, quod ad eos oporteret ire, tunc & hoc casu liceat illis de consilio, & illis pro quibus missus esset, & illis, quos secum haberent, ire de nocte secundum præceptũ sibi factum, & portare arma ad defensionem, & ensem, & cultellum & maziam ferratam.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno. 1420.

QVicunque etiam sine armis repertus aliquo tẽpore de nocte, sine lumine ire per ciuitatem vel burgos, aut stare extra domum suam post tertium sonum campanæ cõmunis, quæ pulsatur de sero, vsque ad eiusdem sonum campanæ, quæ pulsatur de mane, & appellatur campana diei, puniatur in solidis centũ pro eo, quod uadit de nocte cõtra ordines, & vltra hoc bannum armorum soluat, si arma portaret. Et istarum pœnarum medietas sit communis, & altera medietas sit inuentoris & accusantis. Et in quocunque casu credatur de inuentione & armis iudici, uel militi, seu superstiti

 vigiliæ

vigiliæ nocturnæ, vel duobus alijs de familia sua.

Potestate D. Federico de la Velonga de Brixia 1372.

SI aliqua persona, & maxime vilis vitæ, aut conditionis, vel famæ in determinatione domini potestatis & suæ curiæ, reperta fuerit in domo, vel aliqua parte domus, siue curtiuo, vel in stabulo, vel in horto alicuius latitare, vel clam stare de nocte, intelligendo noctem à sono tertiæ campanæ communis, quæ pulsatur de sero, vsque ad sonum primæ campanæ diei, inscio, vel ignorante patrefamilias ipsius domus, possit talis persona reperta per ipsum caput familias, & per quemlibet de eius familia, & per alium concurrentem ad auxilium prestandum impune capi, detineri, & ligari, & in manibus domini potestatis, & cuiuslibet alterius officialis conduci & cōsignari, etiam ante inchoatum, vel mediatum, vel finitum aliquod crimen. Et si se defendere voluerit sine armis, possit impune uerberari. Si uero cum armis, vel cum re alia apta ad nocendum se defendere voluerit, tunc & hoc casu possit impune percuti & verberari, & etiam occidi, si qualitas circa occasionem hoc exigerit, maxime si occisus percusserit & vulnerauit aliquem de illis, qui capere illum vellēt. Et teneatur & debeat D. Potestas contra talem sic captum inquirere, & procedere tanquam contra furem, siue tanquam contra volentem committere aliquod enorme crimen, inspecta conditione personæ ipsius capti, & habitantium in domo, vbi repertus fuerit, & sit

in

in determinatione D. Poteſtatis, & ſuæ cu-riæ, de quo crimine ſit procedendum contra talem repertum. Et ipſum punire debeat poteſtas ſecundum qualitatem ipſius delicti. Et captus talis ſi repertus fuerit deinde intraſſe eandem domum, in qua captus fuerit, alibi quam per hoſtium anterius vſitatū dictę domus, perinde puniatur de crimine, pro quo domino poteſtati & ſuæ curiæ viſum fuerit procedi comtra eum ac ſi crimen ipſum commiſiſſet in determinatióne D Poteſtatis. Et prædicta, & quod libet prædictorum poſſint, ſeu poſſit probari per extraneos. Et ſi probare non poſſet per illos, probetur & probari poſſit etiam per domeſticos, & per alios, qui tempore illo repérirentur eſſe in domo prædicta, ſiue in locis prædictis, ſiue maſculi, ſiue fœminæ ſint. Et quod in prædictis ante litem conteſtatam, & poſt quandocunque etiam ad executionem facti, & ad totum proceſſum vſq; ad ſententiam inclusiue poſſit procuratore interueniēte pro parte ſolum domini domus, vel habitantium, ſeu exiſtentium in ea.

Poteſtate D. Marino Faletro 1339.

NEmo a primo ſono campanæ communis, quæ pulſatur in ſero, vſque ad ſonum campanæ diei, quæ pulſatur de mane, debeat tubas, vel zaramelam, aut tamburium, vel nacharos ſonare vel ſonari facere per ciuitatem Paduæ, vel ſuburbia ſub pœna librarum 25. paruorum pro quolibet ſonante, & ſonari faciente. Et capita centenariorum

hoc denunciare debeant iudici maleficiorum die sequenti, sub pœna librarum centum paruorum pro quolibet non denunciante & qualibet vice. Et potestatis Paduæ etiam de prædictis teneatur inquirere. Hoc tamen statutum non habeat locum in illis, qui haberent iustam causam sonandi, vel sonari faciendi. Et utrum causa sit iusta stetur determinationi D. Potestatis Paduæ.

Potestate eodem, & millesimo.

ALiquis nauta non debeat de nocte nauigare, vel tragitare aliquem per flumina, quæ fluũt circa Paduam, sub pœna librarum 25. paruorum pro quolibet contrafaciente. Possit etiam acrius puniri arbitrio D. Potestatis, inspecta qualitate personæ, loci, & facti.

DE MERETRICIBVS, ET RVFFIANIS, RVBRICA.

Potestate D. Henrico Dauro 1281.

Mnes publicæ meretrices, & ruffiani, & ruffianæ expellantur de ciuitate Paduæ & suburbijs, & de foueis ciuitatis Paduæ. Et non audeant tales personæ in ciuitate Paduæ, aut in suburbijs vel foueis stare, vel habitare, sub pœna solidorum centum pro qualibet meretrice & ruffiana, & sub pœna libra-

rum

rum 25 paruorum pro quolibet ruffiano. Et nihi-
lominus talis ruffianus fustigetur circa palatiũ eũ-
do tribus vicibus. Et similiter meretrix vel ruffiana
fustigetur, si non poterit dictam condemnationem
suam soluere. Saluo tamen quod publicæ meretri-
ces possint permanere in contrata Contarinorum
inter murum ciuitatis, & flumen. Et a ponte mo-
lendinorum vsq; ad pontem Contarinorum. Et in
quolibet alio loco deputato pro habitatione taliũ
personarum in determinatione D.Potestatis.

Potestate eodem, & millesimo.

Persona aliqua nõ permittat meretrices aut ruf-
fianos, vel ruffianas in suis domibus stare vel
habitare, nec in eis postribulum esse sub pęna li-
brarum quinquaginta paruorum, quarum medie-
tas sit communis, & altera sit accusantis, & quili-
bet pssit accusare, & teneatur denunciator (si vo-
luerit) in credentia. Et si ruffiani vel ruffianæ non
soluerint bannum, seu condemnationem factam
in eos infra terminum decem dierum, tunc & eo
casu locator, siue dominus domus, in qua habita-
uerit meretrix, aut ruffianus, vel ruffiana, soluere
teneatur condemnationem factam contra illos vel
illas meretrices, ruffianas, seu ruffianos infra decẽ
dies, sub pœna dupli dictæ condemnationis, quam
pœnam, seu bãnum soluere infra alios decem dies
teneatur. Et si nõ reperiretur dominus, seu locator
domus illius tunc, & ex eo casu illa domus, in qua

contra

cõtra formam ſtatutorum habitauerit, aut ſteterit meretrix, aut ruffiana, vel ruffianus, confiſcetur & deueniat in commune Paduæ.

Poteſtate eodem & milleſimo.

TEneãtur habitatores in domibus vicinis Bordelorũ, & vbi meretrices ſtarent vſque ad tres domos proximas denuntiare domino poteſtati, aut judici maleficiorum, ſub pœna librarum trium paruorum, & capita centenariorum, & meneuelli eodem modo denunciare teneantur ſub pœna ſolidorum centum pro quolibet contrafaciente.

Poteſtate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadena 1420.

TEneantur meretrices, & ruffianę quandocunque vadunt per ciuitatem Paduæ, vel ſuburbia portare ad collum vnum faciolum longitudinis trium brachiorum. Et ſimiliter ruffiani teneantur portare in capite vnum capucium coloris rubei ſine becha. Et quilibet ruffianus, ſeu ruffiana, aut meretrix, quæ vel qui non portauerit (ut dictũ eſt) condemnetur in libris 5. paruorum pro qualibet vice. Et quilibet poſſit accuſare, & habeat medietatem banni. Et tales ruffiani, ſeu ruffianæ, vel meretrix, quæ vel qui inuenti, vel inuentæ fuerit ire contra formam huius ſtatuti, fuſtigentur circa palatium, ſi non ſoluerint condemnationem infra decem dies.

Pote-

Poteſtate D. Henrico Dauro 1281.

CRedatur militibus, & iudicibus domini poteſtatis de eo, quod dicerent eſſe poſtribulum, & ſe inueniſſe meretrices in poſtribulo, ſeu albergo, vel taberna. Et intelligantur meretrices, aut ruffiani, qui ſeu quæ inuentæ, vel inuenti fuerint in bordelo, vel circunſedentes, aut ſtantes.

Poteſtate eodem, & milleſimo.

QVilibet, qui admonitus fuerit per D. Poteſtatem, vel per eius iudicem, quod non teneat, vel non permittat eſſe Bordelum in ſuis domibus, aut ꝙ non permittat meretrices, ſeu ruffianos, vel ruffianas ſtare, & habitare in domibus ſuis, ſi admonitioni ſibi factæ non paruerit, ex tunc ſit, & eſſe intelligatur infamis, & priuatus omni honore & officio communis Paduæ, dumtamen in admonitione declaretur, & nominetur ſibi expreſſe vbi & qualis eſt domo ſua.

Poteſtate eodem & milleſimo.

DE omnibus, & ſingulis prædictorũ poſſit quilibet accuſare, denunciare, ſeu notificare. Et, ſi placuerit ſibi, teneatur in credentia. Et in omnibus caſibus habeat medietatem condemnationis, & ſuper prædictis ſummarie cognoſcatur.

Cõtractus, obligationes, & pacta inter publicas meretrices, & ruffianos, ſeu ruffianas, vel non valleant, & intelligantur eſſe nullius ualoris, prout declaratum eſt ex forma ſtatuti de hoc loquentis,

quod

quod incipit. Omnis contractus, & obligationes, positi supra in rubrica 19. libri secundi, quę de obligationibus, alienationibus, & vsuris inscripta est,

DE BANNITIS. RVBRICA.

Copia litterarum ducalium super facto bannitorum, repertorum in registro cancelariæ potestatis, videlicet D. Nicolai Capello ad chartas 39.

FRanciscus Foscari Dei gratia dux Venetiarum &c. Nobilibus, & sapiẽtibus viris Nicolao Capello de suo mandato potestati, & Federico Cõtareno capitaneo Paduæ, & successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Significamus vobis, ꝙ in nostris consilijs rogatorũ, & additionis præsẽti millesimo, inditione, & die, capta fuit pars tenoris infrascripti videlicet, ꝙ ordinetur, ꝙ si quis bannitus de aliquo ex terris, & locis nostris à parte terræ pro aliquo delicto veniret ad eum locũ, vel terram, de qua fuisset bannitus, & cõmitteret aliquem excessum, vel faceret aliquem insultum, vel alium malum actum, pro quo aliqua querela deponeretur, & ipse bannitus accusaretur, tũc rector eiusdem loci, de quo talis delinquens fuisset bannitus, teneatur, & debeat ipsum bãnitum mittere ad capiẽdum in loco quocunq; vbi reperiretur, etiam si reperiretur in Venetijs, & districtu Venetiarum. Et rector illius loci, in quo talis bannitus reperiretur,

tur, teneatur & debeat dare omnem subuẽtionem, fauorem, & auxilium opportunum ad capiendum ipsum bannitum. Capto autem ipso bannito, idem rector, qui misisset ad illum capiendũ, debeat procedere contra eum ac si in locis sibi commissis captus fuisset. Et teneantur omnes rectores nostri a parte terrę, & a gradu ad caput aggeris, & domini de nocte præsentem ordinem obseruare, sub pœna ducatorum centum pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, exigenda, & diuidenda per aduocatos communis, vt de alijs pœnis sui officij. Et mitti debeat præsens pars dominis nostris rectoribus, vt illam faciant publicari, vt omnibus nota sit. Quare cum dictis nostris consilijs fidelitati vestræ scribimus, & mandamus, quatenus dictam partem, & contenta in ea, debeatis obseruare, & facere inuiolabiliter obseruari. Facientes has nostras literas in actis vestri regiminis ad futurorum memoriam registrari, ac mittẽtes dictam partem omnibus rectoribus Paduani districtus, vt illam obseruent, & faciant obseruari, & publicari. Data in nostro Ducali palatio die ij. mensis Septẽbris indict. 11. Millesimo quadringentesimo trigesimo secundo.

Die tertiadecima dicti mensis Septembris. Publicatę fuerunt suprascriptæ literæ secundum mãdata ducalia per Albertinum tubetam domini capitanei Paduæ, sono tubetæ præmisso in Padua super platea dominationis, & in cæteris aliis locis publicis, & cõsuetis ad hoc, in omnibus, & per omnia vt supra in illis continetur.

DE

DE COGNITIONE DOMINI CAPITANEI PER LITERAS DVCALES.

RVBRICA.

FRancifcus Fofcari Dei gratia dux Venetiarum &c. Nobilibus, & fapientibus viris Marco Dandulo de fuo mandato poteftati, & Leonardo Carauello capitaneo Paduæ,& fucceſſoribus fuis fidelibus dilectis falutem ,& dilectionis affectum. Confiderantibus nobis, ꝙ per quandam partem captam in noftro confilio rogatorum , & additionis de menfe Iulij nuper præteriti, de qua vobis tunc notitiam dedimus, per quam datur certus ordo circa officium, & iurifdictionem poteftatum, & capitaneorũ terrarum, & locorũ noftrorum a parte terræ pro delictis nocturnis multæ occurrunt differentiæ, & confufiones contra ftatuta, & ordines ciuitatũ noftrarum. Volentibufque ad hæc ita clare, & congrue prouidere, ꝙ omnis ambiguitas, & error ceffet. Deliberauimus nunc, & ftatuimus cum dicto noftro confilio rogatorum,& additionis, ficque de cætero volumus obferuari,ꝙ inuẽtiones,quæ fient de nocte per focios, & famulos, feu ftipendiarios, & officiales fub obediẽtia capitaneorum terrarum, & locorum noftrorum deputatos de armis, & de illis qui vadunt de nocte abfque lumine cõtra formam ftatutorum,fpectent & pertineant ad capitaneos

neos terrarum nostrarum, qui pro talibus inuentionibus puniant,& condemnent sicut ex eorum officio discretioni suæ videbitur. Omnia autē alia delicta, & inuentiones quæ fient de nocte contra ciues terrarum,& locorum nostrorum, aut contra alias personas subditas iurisdictioni potestatum nostrorum cuiuscunque conditionis, & status existant,remittantur,& remaneāt ad punitionem,arbitrium, & iurisdictionem potestatum nostrorum, qui cum curia sua, aut aliter secundum formā statutorum, & ordinum ipsarum terrarū procedant, & faciant sicut ius, & iustitia suadebit. Mandamus itaq; vobis cum dicto consilio, quatenus hunc ordinem, & prouisionem(non obstante suprascripta parte de mense Iulij præteriti capta) obseruare,& exequi de cætero debeatis, quantum ad vos, & vnumquemque vestrum pro vestro officio pertinebit. Data in nostro ducali palatio die tertio mensis Ianuarij indictione decimatertia 1434.

DE SCLAVIS. RVBRICA.

FRanciscus Foscari Dei gratia Dux Venetiarum, &c. Nobilibus, & sapientibus viris Marco Dandulo de suo mandato potestati, & Leonardo Carauello capitaneo Paduæ, & successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Supplicatum est nobis pro parte illius fidelis communitatis nostræ Paduæ, vt pro euitandis enormitatibus, &

malis, quæ committuntur ibidem per quosdam deuiantes, occultãtes, & trãsfugantes seruas ciuium, deinde in maximum damnum, & ignominiam ciuium prædictorũ, dignaremur mandare, q̃ omnes ordines, & prouisiones editos in hac nostra ciuitate Venetiarum super dicto facto vendicẽt locum, & obseruentur in Padua contra talia pertractantes. Nos supplicationibus eiusdem nostræ fidelis communitatis inclinati cum nostro consilio rogatorum, & additionis concedimus, q̃ obseruentur in Padua ordines supradicti, qui obseruantur in ciuitate nostra Venetiarũ contra deuiantes, transfugantes, vel stuprantes seruas emptitias tantũ. Volumus igitur, & vobis cum dicto consilio mandamus, quatenus suprascriptam concessionem nostrã obseruare, & obseruari facere inuiolabiliter debeatis. Data in nostro ducali palatio die 15. mensis Decembris inditione 13. 1434.

DE ÆSTIMIS, ET FACTIONIBVS VILLARVM. RVBRICA.

Potestate D. Marco Dandulo, & Capitaneo D. Laurentio Bragadeno 1420.

Vilibet rusticus sustineat onera personalia quæcunque cum illa villa, vel castro, in quo, vt hinc inqua habitat. Realia vero onera rusticus, seu districtualis quilibet

quilibet habens possessiones in villa, vel castro, in quo vel in qua habitat in Paduano districtu, sustinere debeat cum ipsa villa vel castro, in quo vel in qua habitat pro omnibus bonis, & possessionibus, quas habet in dicta villa vel castro. Saluo q rusticus emens, aut quoquo modo acquirens possessiones, sediminia, vel domos ab aliquo ciue Paduano sustinente onera & factiones pro ipsis bonis cum communi Paduæ, tunc & hoc casu siue talia bona posita sint in dicta villa vel castro, vel alibi in aliqua alia villa vel loco Paduani districtus, sustinere debeat pro talibus bonis onera & factiones reales cum ciuitate Paduæ. Si autem rusticus emerit vel alijs quomodocunque modis acquisiuerit possessiones, vel bona aliqua posita in villa vel castro, in quo habitat ab aliquo rustico, vel alio districtuali non sustinente pro ipsis bonis onera, & factiones cum ciuitate Paduę, tunc & hoc casu sustinere debeat factiones quascunque reales pro ipsis bonis cum illa villa vel castro, in quo vel in qua habitat rusticus ipse emens, vel aliter acquirens, non obstante q pro talibus bonis auctor eius sustinere soleret cum aliqua alia villa vel castro. Rusticus vero qui emerit, vel aliquo modo acquisiuerit ab aliquo rustico possessiones, vel bona aliqua posita in aliqua villa, vel castro, quæ in ea vel in eo, in quo vel in qua ipse habitat, tunc & eo casu sustinere debeat pro bonis illis quascunque factiones, & onera realia cum illa villa vel castro, in quo vel in qua sitæ sunt tales possessiones & bona. Ciues autem Pa-

liuellum teneant, vel laborẽt, detrahendo sibi quod cunque in casu illud, quod soluunt dominis eorum & ponendo ad æstimũ rustici tantum illam quantitatem redditum de aliena possessione, domo, vel terra, perceptorum, quę sibi remanet, detracto affictu, parte, seu liuello domini sui. Si vero persona illa æstimanda esset talis, quæ ex mercantia, vel cerdonicio, aut simili arte lucraretur, tunc ponatur ad æstimum pro iuramento suo prout iustum videbitur, attenta qualitate personæ, & quantitate sui lucri.

Potestate & Capitaneo eisdem, ac millesimo.

Æstimo facto sine fraude & secundum ordinem statutorum Paduæ, onera, & factiones, quæ deinde imponentur villis & castris Paduani districtus, sustineantur, & diuidantur hoc modo videlicet, ꝙ factiones quæcunque reales debeant imponi & solui ad æstimum tantum, ita ꝙ quisque ratam debitam soluat pro suo æstimo. Onera mere personalia, quæ imponentur, & sustinenda erunt, pro qualitate loci distribuantur videlicet. Si publicum faciendum fuerit in territorio villæ suæ, tunc & hoc casu imponatur, & fiat ęqualiter pro numero personarum omnium de dicta villa, & in hoc inter pauperem & diuitem nulla differẽtia habeatur. Sed obligati sint & ad publicum illud ire, & laborare cogantur omnes homines masculi quotquot in eadem familia sint. Ita tamen ꝙ ad ista personalia onera fœminæ, & pueri vsque ad quartum

decimum annum, & senes maiores annis 60. non teneantur. Saluis tamen & firmis monentibus statutis quibuscunque disponentibus de aggeribus, decursis, & alijs publicis, de quibus facta est mentio specialis per statuta.

FActiones personales occurrentes extra territorium villæ suæ, quæ tamen faciendæ sunt in pertinentijs vicariæ vel potestariæ suæ, imponantur, & de cætero diuidãtur taliter, quæ duæ partes ad æstimum, & tertia pars pro vanga fiant, & hoc casu quælibet massaricia siue magna, siue parua sit, intelligatur vna vanga.

FActiones personales occurrentes, & faciendæ in aliquo loco Paduani districtus, extra tamen pertinentias vicariæ suæ seu potestariæ, imponantur, & de cætero diuidãtur taliter, ꝙ fiant tres partes ad æstimum, & quarta pars pro vanga, intelligendo vnam vangam esse vnam massariciam, vt dictum est.

FActiones personales occurrentes, & faciendæ extra Paduanum districtum imponantur, quod officialis deputatus possit quemcunque sufficiẽtem putauerit de villa seu castro suo, teneatur personaliter ire vel mittere alium ęque sufficientem in determinatione officialis, qui Ipsum elegerit. Et quilibet, qui electus, seu pro alio missus ad tale publicum iuerit, habere debeat à communi suæ villæ vel castri ducatos tres singulo mense, & in ratione mensis pro rata temporis, quo in publico extra Paduanum seruiet. Et talis solutio debeat diuidi, &

exigi

exigi ad eximum tantum, & non ad vangum.

FActiones autem mixtæ, videlicet quæ naturam personalium & naturã realium sentiunt, si fient extra Paduanum districtum, diuidantur & distribuantur pro rata æstimi tantum.

Potestate, & Capitaneo eisdem ac millesimo.

QVilibet, qui habitat, vel de cætero venerit ad habitandum in ciuitate Paduæ, si manibus proprijs laborauerit vltra duos cãpos terræ in aliqua villa uel loco Paduani districtus extra portas ciuitatis Paduę sitos, teneatur sustinere cuncta onera, & singulas factiones reales, & personales pro talibus terris cum illa villa seu loco, in quo tales terræ positę sint, perinde ac si in ipsa villa vel castro continue habitaret. Et possit quilibet rusticus habens possessione in villis venire habitatum Paduã, & tractetur vt ciuis Paduæ, si adimpleuerit & faciet secundum formam statutorum communis Paduæ de hoc loquentium, positorum supra sub rubrica vltima quarti libri, quæ de Forensibus & rusticis ad ciuilitatem admittendis inscripta est.

Potestate, & capitaneo eisdem ac millesimo.

MAgistri laborantes ad fornaces quarelos, & cupos, vbicunque habitent in ciuitate vel extra, non teneantur ire vel mittere ad publicum aliquod, quod fieret aliquo tempore occasione aptandi vias seu stratas, aut causa faciendi aliqua labore-

ria, nisi secundum consuetudines antiquas.

Statutum vetus conditum ante 1236.

HOmines alicuius villæ vel castri, seu alicuius vniuersitatis, non debeant nec possint concedere alicui magno vel potenti viro, vel alicui personæ licentiam eligendi, aut modo aliquo constituendi potestatem aut vicarium, vel maricum, seu decanum, aut publicanum, vel sindicum, aut rectorem aliquem in sua villa, castro, vel vniuersitate. Neque habeant ipsi homines eligere, vel modo aliquo constituere sibi aliquem potestatem, vel vicariũ, sed teneantur, & debeant acceptare, tractare, honorare, & reputare pro suo potestate, & vicario quemcunque, qui sibi missus & constitutus fuerit per dominium nostrum, seu commune Paduæ. Et quandocunque eligendus, & constituendus sibi erit decanus, seu maricus, vel publicanus, aut massarius, vel sindicus, seu alius officialis, possint & debeant ipsum eligere ex proprio suo motu, & non ad postulationes alicuius personæ. Et si contrafactum in aliquo prædictorum fuerit, condemnetur contrafaciens in libris centum paruorum. Et ille, vel illi, qui licentiam sibi datam eligendi susceperint, & electionem aliquam fecerint, & qui electionem de se factam contra formam huius statuti acceptauerint, puniantur in libris trecentis, & in pluribus arbitrio domini potestatis Paduæ, attenta qualitate facti & personarum. Et ipsa licentia, atq;

omnis

omnis electio, & quæcunque inde sequentia sint nulla ipso facto.

Potestate D. Matthæo de Corrigia 1280.

QVælibet villa, locus, seu castrum Paduani districtus potestati, seu communi Paduæ subiecta, teneatur & debeat cõtinue habere publicanum & sindicum legitimum constituere pro communi, & hominibus suæ villæ de parendo potestati, & de bannitis pro maleficijs capiendis, & ne aliqua victualia, seu vetita de districtu Paduano extrahantur, de faciendo securitatem per seipsum, de seruãdo omnia statuta communis Paduæ, ad quæ, seu propter quæ tenerentur præstare aliquam securitatem, & sola sufficiat pro omnibus, quas præstare tenerentur ex forma statutorum communis Paduæ, & in omnibus obediat potestati, communi, & officialibus Paduæ secundum formam statutorum communis Paduæ, & respondeat de quibuscunque de communi villæ conquerentibus coram domino potestate, eiusque iudicibus, & officialibus communis Paduæ. Et commune villæ, quæ prædicta non obseruauerit, communis Paduæ condemnetur in solidis viginti paruorum pro quolibet foco, dumtamen condemnatio non excedat summam librarum qtinquaginta paruorum. Saluo ꝙ ad dictam condemnationem non teneantur pupilli, nec viduæ, & quod dicta securitas debeat præstari semel tantum in anno de mense Iunij, ꝙ si deberi se aliquod commune excusare ab accusatione,

vel inquisitione, vel in quocunque negocio in commune facere securitatē, sufficiat q sindicus solus præstasset dictam securitatem absq; aliquo fideiussore. Et intelligatur legitimus sindicus eo ipso, q produxit instrumentum sindicatus, in quo contineatur ipsum sindicum habere mandatum ad securitatem præstandum.

Potestate D Fantono de Rubeis 1285.

Villa vallis dominæ Daliæ cum Turmeno, sint & esse debeant vna & eadem villa, & vnum commune, & vna decania cum suis districtibus in oneribus, & factiönibus omnibus tā angariis, quàm pro angariis, & omnibus aliis attendendis & faciendis quemadmodum aliæ villæ Paduani districtus faciunt, & attendunt. Et villa vallis domini Abbatis sit & esse debeat villa per se statuto aliquo non obstante.

Potestate eodem & millesimo.

Villa Balledeli, & Triuisanellę sint vna villa, & vnum commune, & in omnibus respondeant potestati & communi, & officialibus communis Paduæ pro vna villa, & sit vnus districtus, & vna guarda in omnibus angariis & pro angariis, datiis, & aliis oneribus.

Potestate eodem & millesimo.

Villa Marsagij, & villa Marsagelli sint vna villa, & vnum commune, & in omnibus respondeant

deant potestati, & communi Paduæ, & officialibus communis Paduæ, & eorum pareant mandatis, & sit vnus districtus, & vna guardia in omnibus angarijs, datijs, & alijs oneribus.

Potestate eodem, & millesimo.

VIlla Rosariæ,& villa Merlariæ sint vna villa, & unum commune, & in omnibus respondeāt potestati, & communi Paduæ, & officialibus communis Paduæ,& eorum pareant mandatis, & sit vnus districtus, & vna guarda in omnibus angariis,datiis, & aliis oneribus.

Potestate D. Matthæo de Corrigia 1280.

VIlla Tognanæ vniatur Plebisacci,& sit vnum commune, & simul faciant,& sustineant omnes angarias,& pro angarijs,& impositioni Plebis Sacci augeatur impositio Tognanæ.

Potestate eodem, & millesimo.

VIlla Carbonariæ sit eadem villa, idemq; commune cum commune Rouoloni in datiis, angariis, & cæteris factionibus. Et commune Rouoloni teneatur ad illas angarias,quas facere tenebatur commune Carbonariæ a modo in antea.

Potestate D. Cursio de Donatis de Florentia 1087.

STatuimus, & ordinamus, ꝙ Campagnolæ tanquam pars vniuersitatis Plebis, & habitatores eiusdem Campagnolæ teneantur, & debeant solummodo

ſummodo cum villa Plebis tantum cuncta onera, & factiones ſubire, ſicut alii vicini, & habitatores villæ Plebis ſubeunt, & ſuſtinent. Et ꝙ aliqua onera, & factiones impoſita per cōmune Paduæ Campagnolæ, & habitatoribus eiuſdem non præiudicent de cætero Cāpagnolæ nec habitatoribus eiuſdem, nec communi Plebis, ſtatuto aliquo non obſtante, & ſit præciſum.

Poteſtate D. Paulo Quirino 1292.

STatuimus & ordinamus, quod vicinantia ſancti Martini de Abbano, & homines ipſius vicinantiæ per ſe faciant angarias, & ſindico, & alios officiales conſtituant, & habeant per ſe, & in cunctis oneribus reſpondeant communi Paduæ, & omnia, & ſingula per ſe faciant ſecundum ꝙ faciebāt, & facere conſueuerant ante tempus regiminis domini Matthæi de Corrigia, currente milleſimo ducenteſimo octuageſimo, & ſimiliter faciant per ſe vicinantia Sancti Leurentii, Puthei de maza, & de vltra foſſa de dicta villa Abbani. Et homines ipſarum vicinantiarum per ſe faciant, & etiam attendant, & obſeruent, & facere attendere, & obſeruare teneantur dicta vicinantia Sancti Martini, & homines ipſius vicinantiæ per ſe. Et ipſæ vicinantiæ ſancti Laurentij cum Putheo de maza, & de vltra foſſa, & homines ipſarum vicinautiarum per ſe preſcripta, & omnia alia, & ſingula, & vniuerſa ſecundum formam ſententię latæ inter ipſas vicinantias, & homines ipſarum vicinātiarum per

Ioan-

Ioannem Baionțam Berni, & quosdam alios vicinos, & habitatores Abbani arbitros, arbitratores, & amicabiles compositores electos, & constitutos per ipsas vicinantias, & homines earundem, scriptae per Parisium notarium quondam Michilini, nō obstante statuto continente, quod omnes vicinantiae Abbani sint vnum, & idem ad faciendas communiter omnes angarias. Quod statutū sit cassum, & vanum & nullius valoris & tanquam cassum, & vanum canceletur, & aboleatur de volumine statutorū communis Paduae, aut praesentis statuti. Et teneat ex nunc, statuto aliquo non obstante.

Potestate D. Guidone de Rubertis 1272.

VIllae quae faciunt cum ciuitate Paduae, & omnes aliae villae domus, & consortiae (exceptis villis de Cāpanea Paduae) debeant facere sicut villę & ab aliis factionibus Paduae sint exemptae, sicut aliae villae Paduani districtus, non obstante aliquo statuto.

Potestate D. Fantono de Rubeis 1285.

STatuimus & ordinamus, ꝙ omnes serui, & ancillae habitantes in villis Paduani districtus, teneantur, & debeant partem eis tangētem de damnis datis occasione regularum pro quantitate suorum peculiorum, vel suarum possessionum soluere, & praestare secundum quod faciunt alij sui vicini. Et ꝙ domini non possint ipsos, vel eorum pe-

culia

culia, seu possessiones defendere contra communia villarum in casibus antedictis, immo iudex potestatis possit eos cõpellere realiter, & personaliter vsque ad plenam satisfactionem secundum quod compellet alios suos uicinos. Et ualeat ex nunc, & sit præcisum.

Potestate eodem, & millesimo.

AD hoc, ut ciues Paduæ audeãt petere sua damna communibus villarum, ꝙ nulli communi alicuius villæ Paduani districtus liceat statuere ordinare, uel firmare, ꝙ ciuibus Paduanis per commune, seu homines illius uillæ denegetur cõsilium & auxilium, vel dare operam, vel operas, vel commodum aliquod facere, nec aliud statuere contra aliquos ciues Paduæ. Et cõmune illius villæ, quod statuerit, & ordinauerit, vel firmauerit cõtra prædicta, uel aliquod prædictorum, condemnetur in libris 25. paruorum, & quilibet officialis in libris x. pro qualibet uice, & quilibet possit accusare, & credatur iuramẽto suo, si sit bonæ famæ, & opinionis, & de fama, & opinione stetur arbitrio potestatis. Et non ualeat quod ordinatum fuerit contra prædicta, uel aliquod prædictorum. Et ualeat ex nunc, & sit præcisum.

Potestate eodem, & Millesimo.

STatuimus & ordinamus, quod aliqua uilla Paduani districtus, si non attenderit præcepta potestatis, & suorum iudicum, & officialiũ communis Paduæ,

Paduæ, & non fecerit securitatem de parendo mandatis potestatis, & suorum iudicum, & officialium communis Paduæ, teneatur potestas ad denunciationem cuiuslibet personæ mittere unum ex suis iudicibus, uel militibus associatum, sicut sibi uidebitur, ad uillam prædictam ad capiendum homines, & pignorare, & tenere captos, & pignora publicare, quousque fecerit securitatem prædictam sicut faciunt aliæ uillæ Paduani districtus. Et ualeat ex nunc, & sit præcisum.

Potestate D. Ottolino de Mandello 1289.

STatuimus & ordinamus, quod potestatis Plebis Sacci, qui nunc est, uel pro tēpore fuerit, possit cum ducentis hominibus de dicta terra, uel maiori parte eorū, constituere suos sindicos de dicta terra, uel aliunde, uel maior pars eorum. Et quod prædicti ducēti, uel maior pars eorum fecerint plenam obtineat firmitatem. Saluo quod propter hoc non possint suum alienare commune. Et quod quando aliqua crida deberet fieri de his, cridari faciant publice per uillam plebis, & suas uicinantias, statuto aliquo non obstante.

Potestate D. Thomeo Quirno de Venetijs 1291

STatuimus & ordinamus, quod sicut quędam uillæ Paduani districtus simul scriptæ in libris datiæ communis Paduæ, ita simul teneantur, & compellantur emendare dāna ciuibus Paduæ de com-

munantia

munantia, vel de frataleis, quæ dicentur data esse in districtibus ipsarum villarum in rebus, & possessionibus predictorum omnium. Et q tempore quæ simul scriptæ sunt in datia communis, de cætero sint, & esse debeant, & intelligantur vnũ commune villæ, & vna decania, & vna regula cũ suis districtibus, & confinijs non obstante statuto prædicto continente de villa vallis nomine Daliæ cum Turmeno &c. nec aliquo alio statuto.

Statutum vetus conditum 1234.

NVlli communi liceat vendere, vel impignare, vel alienare, vel inter se diuidere aliquod suũ commune, vel arsente eius absque parabola consortium villæ ciuium Paduæ, & sustinentium onera cum ciuitate Paduæ, & habentium in villa de plano saltem viginti campos terræ, & in villa de monte saltem quinq; campos vinearum. Et si quod commune contrafecerit alienando, non teneat de iure, nec de facto. Saluo iure cõmunibus villarum capulandi, & pasculandi sua communia, & saluo iure consortibus prædictis villarum, vt debeant dicta communia pasculare, & capulare pro suis negocijs in ipsa villa, & in ipso territorio, & specialiter ad suos ignes in ipsis terris, & ad suas vineas, quas habent ad suas manus. Et commune, quod contrafecerit, libras quinquaginta communi componat. Et communia villarum teneatur communia tenere, & nõ possint ea obligare, alienare, nec inter se diuidere sine parabola consortium prædictorum

ctorum. Et omnia quæ diuisa, alienata, vel obligata contra formam prædictorum fuerint, debeant reuerti in cõmunibus per publicanos, & sindicos villarum, & si per sindicos, vel maricos suos, vel alio modo, quo potuerunt, prædicta non recuperabũt, tunc consortes prædicti villarum possint illa communia à quocunq; possidente petere, & recuperare sicut possent alia communia villarum, & in se habere, si consortes prædicti erunt concordes. Et si non essent concordes, & quinq; ipsorum voluerint, possint petere. Et ꝙ nec vigore aliquarum obligationum accipi possint ipsa communia insolutum.

Potestate D. Fantono de Rubertis 1285.

PRata patriarchatuũ custodiantur per villas circunstantes, prout moris est, & vt custodiri consueuerunt, & fuit guizata, & custoditur, ac saltizari debeant per villas circunstantes à Calendis mensis Aprilis in antea omni anno vsque ad Calend. mensis Nouembris.

Potestate D. Verri de Circlis 1285.

SErui, siue mariti, siue soceri ancillarum eorum nullum officium habeant in ciuitate Paduæ, nec in aliqua villa Paduani districtus, nec interesse vicinantijs debeant villarum ipsarum, quando fiunt, nisi soluerint, & fecerint continue datias, onera, factiones, & angarias in ipsis villis, & qui contrafecerit, cõdemnetur in libris quinquaginta paruorum

pro quolibet, & qualibet vice. Et nihilominus remoueantur ab officijs, & quando fiunt, seu eligantur officiales villarum alios ad breuia, siue ad ballotas cum bussulis eligant. Idem seruetur quando suos eligunt sindicos, vel aducatos de ciuitate Paduæ, idem seruetur etiam in omnibus alijs partitis, quæ fient in consilio ipsarum villarum, & sicut placuerit maiori parti ita seruetur & fiat, nisi illa partita, & facta fuerit contra formã statutorum communis Paduæ, & valeat hoc statutum, statuto aliquo non obstante.

Potestate D. Barone de Manziatoribus de Sancto Miniato 1298.

STatuimus, & ordinamus, q; si aliquis ciuis Paduanus nationes voluerit facere fieri aliquã domum, seu doionem in villis, vel castris Paduani districtus, quod villa, vel castrum teneatur, seu commune, & homines ipsius castri, & villæ ducere cupos suis expensis ad dictum locum, vbi ipsam domum, seu doionem facere vellet, & ipsos cupos accipere teneatur tantum in Paduano districtu, & nõ in alio loco. Et hoc locũ habeat in illis, qui habent, vel in futurum habebunt vnum mansum terræ, & vltra in illa villa, vel castro, & in eius territorio, & sustineat onera, & factiones cũ ciuitate Paduæ, intelligendo vnum mansum terræ in plano viginti camporum. Idem in montibus, si habuit quatuor campos vinearum, vbicunque voluerit domum cooperire cupis in confinio villæ, siue sit in monte,

siue

siue sit in plano. Et villa illa vel castrum, quæ, vel quod contrafecerit, componat communi Paduæ libras 25. paruorum.

Potestate D. Marino Faletro 1339.

STatuimus & ordinamus, quod villa de Fratris domini Guilielmi iudicis de Curtosiis cum villa Storna priæ posita iuxta dictam villam, sint & esse intelligantur vnum commune, & vna decania ad sustinendum cuncta onera ciuitatis Paduæ.

Potestate eodem, & millesimo.

SI qua datia, vel quodlibet aliud onus eiectum fuerit, vel impositum in aliqua villa Paduani districtus de voluntate hominum in ipsa villa habitantium, vel maioris partis duarum partium capitum familiarum virorum maiorum annis quatuordecim habitantium & sustinentium onera, & factiones in ipsa villa. Quilibet habitator per se ipsius villæ vel districtus cum familia sua, & massariciis, siue sit sui iuris, siue alieni, non obstãte eo, quod de familia alicuius habitantis, & sustinentis in ciuitate Paduæ, vel alibi esse diceretur, teneatur soluere datiam sibi impositam, & cuncta onera & factiones subire, & sustinere de plano, & sine quæstione & querela, & sine libelli oblatione & strepitu, ac figura iudici, non obstante aliquo contractu vel priuilegio facto alicui personæ per commune alicuius villæ, vel sententia quomodocunque lata super prædictis, vel consuetudine in contrarium

obseruata, non præiudicando veteribus ciuibus, vel illis, qui ipsi vel sui antecessores cōtin ato tempore habitauerint ante millesimum tre cētesimum trigesimum septimum per viginti annos i ciuitate Paduæ continue, vel pro maiori parte anni, & sustinuerint onera, & factiones cum ipsa ciuitate Paduæ, seu ad sustinendum scripta fuerint per dictum tempus non sustinendo in villis infra dictum tempus, qui & quorū familia non teneantur facere cum villis, non obstāte eo, quod exercuerint opera rusticalia, sed gaudeāt priuilegio veterum ciuium, & non propterea debeant, nec cogantur sustinere onera cum villa, in qua exercuerint opera rusticalia, nisi laborauerint alienas possessiones. Et si cōtrafactū fuerit, non valeat, nec teneat de iure, nec de facto, intelligendo etiam quantum ad hoc per se habitare quomodocunque, qui non tanquam scutifer, seu seruiens habitaret cum aliquo subiecto temporali iurisdictioni communis Paduæ. Et qui per viginti annos sustinuerint, seu scripti fuerunt ad onera debendum sustinere pacifice, & quiete sine controuersia & querela quantum ad hoc intelligatur de veteribus ciuibus ciuitatis Paduæ. Et quicunque alius, qui per statuta & reformationes maioris consilij dictæ ciuitatis facti sunt seruata forma statutorum communis Paduæ. Si aliquis dixerit se vicinum non esse illius villæ, pro qua sibi imposita fuerit datia, vel aliud grauamen, & cum eis datiam soluere non debere, vel alia grauamina sustinere, super quibus facta in iudicio interrogatione

ne etiam ante porrectionem petitionis teneatur re-
spondere, tunc super prædictis summarie ratio co-
gnoscatur in húc modum videlicet, quod porrecta
petitione alicui iudici sine alia litis cõtestatione, &
omni alia iuris solemnitate omissa tam die feriata,
quàm iuridica, statuat terminum, quem crediderit
conuenire vtrique parti ad probãdum de iure suo,
& infra duos menses cõtinuos a die petitionis por-
rectæ condemnando vel absoluendo quæstionem
suo iuramento debeat terminare. Quod si factum
non fuerit, non pereat propter hoc instantia causę,
sed iudex suo iuramento quàm citius potest, ipsam
quæstionem teneatur diffinire infra sex menses,
quibus elapsis pereat instantia causæ ipso iure. Et si
a dicta sententia fuerit appellatum, vel sentẽtia di-
cta nulla, vel in integrum restitutio postulata, de-
beat in causa appellationis, vel nullitatis, vel in in-
tegrum restitutionis eodem modo procedi, & co-
gnosci, & eo tempore terminari secundum quod
aliæ causæ, in quibus proceditur summarie, & eo-
dem modo pereat instantia causæ. Et omnia con-
tenta in dicto statuto vendicent sibi locum in cau-
sis præteritis pendentibus, & etiam in quantum
possent tangere veteres ciues ex eo, ꝙ exercuissent
opera rusticalia in villis vsq; ad tempus præsentis
statuti, vel de cętero exercerẽt. Et quod pro futuro
tempore illi veteres ciues gaudeant priuilegio ve-
terum ciuium, dummodo sustineant continue, vel
sint scripti continue ad sustinendum cuncta onera
& factiones cum ciuitate Paduæ, non obstante ali-

qua ſententia vel pronunciatione facta contra dictos veteres ciues, vel aliquē eorum ex eo, ꝙ exercuiſſent opera ruſticalia, vel laborauerit alienas poſſeſſiones, faciendo opera ruſticalia in arando, ſeminando, zapando, & faciendo foſſata.

Poteſtate D. Marino Faletro 1339.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis habitans in aliqua villa habeat filium, vel nepotem clericum, vel laicum, cui, vel quibus in emancipatione dederit ſua bona, vel certam partem ſuorum bonorum, vel alicui alij in ciuitate Paduæ habitanti donationem fecerit de ſuis bonis, & illa poſſeſſiones & bona ab illis tenuerit ad laborādum, vel ad liuellum, ꝙ ipſe qui huiuſmodi fraudes commiſerit, teneatur ſoluere datiam, & cuncta onera ſubire etiā pro illis bonis, quæ huiuſmodi perſonis dederit, & condemnetur communi Paduæ in libris centum. Et illæ alienationes factæ emancipationis cauſa, ſeu donationis non valeāt, nec teneant de iure, nec de facto, ſed ipſo iure ſint caſſæ. Et hoc ſtatutum valeat in præteritis, præſentibus, & futuris. Et ꝙ in preteritis & pendentibus hi, qui contra prædicta fecerint, euitent pęnam communis prædictam.

Poteſtate eodem, & milleſimo.

STatuimus, & ordinamus, quod aliquis, qui angarias, factiones, & datiam ſoluat cum ciuitate Paduæ tantum, & non cum villa, & aliquis forenſis,

sis, qui non sit natione Paduanus, vel Paduani districtus ipse vel pater, non possit habere aliquod officium in aliqua villa, pro ipsa villa, vel else de cõsilio alicuius villę excepto, quod ciue Paduani natione possint habere pro communi Paduæ potestarias villarum, & sit præcisum.

Potestate eodem & millesimo.

STatuimus, & ordinamus, quod in qualibet villa Paduani districtus quandocunque fiunt consilia, seu vicinantiæ tam pro æstimis faciendis, quam etiam pro imponendis datiis, collectis, grauaminibus, & quibuscunque aliis negocijs interesse debeãt vicini & homines ipsius villæ hoc modo videlicet, quod vbi erunt tres massarij, ibi duo arsentes interesse debeant, & non vltra. Et sic etiam ascendendo in maiori numero obseruetur, intelligendo in hoc casu illum esse massarium, qui laborat campos viginti terræ aratoriæ in plano, & quinq; campos vinearum in monte. Teneantur autem & debeant ipsa communi villarum semel in anno sua æstima facere a mense Septembris vsque ad Calendas Ianuarij. Saluo quod præsens statutum non vendicet sibi locum in terris grossis, vbi potestas seu vicarius suam faciunt residentiam.

Potestate eodem, & millesimo.

STatuimus, & ordinamus, si aliquod onus impositum est per statuta communis Paduæ, yel de cætero imponetur alicuius publice pon-

rium, publice aggerum, vel aliquo aliud onus villis Paduani districtus. Quod dictæ villæ teneantur illa onera subire secundum impositionē focorum, quæ tunc fuerint tempore fiendorum laborerium, & non secundum impositionem scriptam in volumine statutorum communis Paduæ.

Potestate D. Lambertutio de Frescobaldis de Florentia 1292.

STatuimus & ordinamus, quod quicunque ciuis Paduæ sustinens grauamina, & factiones cum ciuitate Paduæ voluerit ad donicatum laborari facere, tali modo & forma celebret cum suo bouario contractum, videlicet, ut compareat primo coram domino potestate, vel suo vicario, & de commissione alicuius ipsorum, decanū villæ, in qua prædictum bouarium tenere, & habitare intendit, citari faciat, & decano citato siue ad terminum venerit, siue non, domibus bouarij prædicti iuret ad sancta Dei Euagelia coram ipso domino potestate, vel eius vicario, quod ipse laborator nō est oriūdus de dicta villa, nec unquam in ea habitauit, & quod nec in dicta villa, nec alibi habet in Paduano districtu terram, vel sedimen, & quod ipse dominus habet in ipsa villa in qua habitare, & tenere ipsum laboratorem intēdit, uel per medium militare, uel circa a confinijs dictæ uillæ campos ad minùs uiginti terræ aratiuæ, & statim coram ipso domino potestate, vel suo vicario faciant prædicti dominus

nus & laborator publicari & stipulari omnia, & singula pacta & conuentiones, quæ facta & factæ erunt inter ipsum dominum, & laboratorem prædictum, de quibus omnibus fieri debeat publicum instrumentum. Et prædictis sic factis, bouarius prædictus, & prædictis modis constitutus non teneatur sustinere aliqua grauamina, vel aliquas factiones cum ipsis villis, in quibus habitauerint prædicti bouarii, nisi bouaticum, ad quod solum astricti sunt laboratores prædicti. Et hoc statutum locū habeat etiam in campanea Paduæ, & hoc beneficio gaudent sustinentes cum Padua, & alii non licet sustinere non teneantur beneficio aliquo communi vel singulari 1346 indit 4. die mensis Septembris.

Statuimus, & ordinamus, quod homines & officiales villarum Paduani districtus aliquo modo vel ingenio non possint in suis villis imponere decimam saluaticam absque licentia suorum consortium, uel maioris partis ipsorum, & absque licētia D. Potestatis ciuitatis Paduæ, & deputatorum ad utilia communis Paduæ.

Statutum vetus conditum 1326.

COmmunis uillarum & castrorum *Paduani* districtus sicut modo imposita sunt uel pro tempore fuerint in focis, seu impositione focorum, teneantur & debeant facere, & sustinere cuncta onera & factiones, quæ facere & sustinere debuerint ex forma statutorum, uel ordinamentorum ali-

quorum communis Paduæ, videlicet quodlibet commune per se pro rata sua, non obstantibus statutis, vel iuribus aliquibus.

QVandocunque & pro quacunque causa commune seu pro communi alicuius terræ seu villæ Paduani districtus debuerit fieri aliqua securitas in commune, seu communi Paduæ. Sindicus ipsius villæ constitutus legitime ad securitatem faciendam, solus absque nullo fideiussore admittatur ad illam securitatem faciendam, & eam facere possit. Et omnes debentes sustinere onera cum ipsa villa, intelligantur esse, & sint obligati in dicta securitate, siue sint, siue non sint scripti, & nominati in instrumento sindicatus, perinde ac si personaliter se obligassent, & pro ea conuenire possint, statutis vel iuribus aliquibus non obstantibus.

Potestate D. Marino Faletro 1339.

QVilibet, qui ante millesimum trecentesimum trigesimum septimum, vel eius antecessores per decem annos continue habitauerint seu habitauerit in ciuitate Paduæ, & continue per dictum tempus sustinuerint vel sustinuerit onera, & factiones cum ciuitate Paduæ, sit & intelligatur esse de veteribus ciuibus ciuitatis Paduæ, & possit libere & secure stare in villis, & per villas Paduani districtus, & ex eo quod habitaret vel staret cũ familia & massaricijs in villa non possit, neque debeat cogi per commune alicuius villę, in qua habitaret, sustinere, aut subire onera & factiones cũ aliqua villa,

nisi

nisi cum ciuitate Paduæ non sustineret onera, & factiones, aut saltem scriptus non esset ad ea sustinenda in libris æstimorum, & impositionum ciuitatis Paduæ. Quibus casibus non obstante eo quod sit, siue foret de veteribus ciuibus, cogi tamen possit per commune cuiuslibet villæ in qua habitaret sustinere onera, & factiones cum ipsa villa. Idem fiat & sic obseruetur in omnibus, & per omnia de quocunque alio qui ante, vel post prædictum tempus continue sustinuerit, seu cuius antecessores sustinuerint, aut saltē scriptus, vel scripti fuerint ad sustinendum onera, & factiones cum ciuitate Paduæ, nisi medio tempore sustinuerit, vel sustinuerint cum aliqua villa Paduani districtus.

SI aliquis, qui sustineret, vel sustinere deberet factiones cum aliqua villa Paduani districtus dederit in emancipatione alicui de sua familia, vel occasione donationis vel aliter. Et ille cui dederit iuerit ad habitandum ad aliquem locum non subiectum communi Paduæ, præsumatur talis donatio, & quæcunque datio facta in fraudem. Et nihilominus ille qui donauit, vel aliter dedit, teneatur & debeat sustinere onera, & factiones cum villa, quemadmodum sustinebat.

QVicunque habitans in aliqua villa, iuerit ad aliquem locum non subiectum, vel non sustinentem onera, & factiones cum ciuitate Paduę, teneatur facere cum villa, vnde exiuit, si habuerit bona immobilia in dicta villa, vnde exiuit valoris librarum centum.

Qui-

QVilibet habitás in aliqua uilla Paduani districtus, si iuerit habitatum in alia uilla, & laborauerit possessiones in uilla de qua exiuit, præsumatur in fraudem exiuisse, & teneatur sustinere cuncta onera cum uilla de qua exiuit.

QVi de una uilla iuerit habitatum in aliqua alia uilla, uel qui uenerit habitatum Paduam, etiã seruata forma statutorum Paduæ, teneatur pro rata sua soluere omne debitum in quo esset obligata uilla de qua exiuit tempore quo in ea habitabat, siue sit, siue non sit expresse obligatus, seu nominatus in instrumento debiti illius uillæ, perinde ac si in dicta uilla continue habitasset.

Copia literarum ducalium, & cæterorum capitulorũ.

ITem bouarii ad præfatum exercitum accedentes pro personis suis tantum habere nõ possint, nec de pluri conueniri, quam de libris 25. in mense, & in ratione mensis.

ITem armigeri uastatores, & equas conducentes habere possint pro salario suo libras 20. in mense & in ratione mensis, nec in maiori summa conueniri possint. Quod pretium prædictum, & bouariis supradictis solui debeat in omnibus, & per omnia secundum formam statuti, uidelicet libras 15. a cõmuni suo, reliquum uero ab eo, cuius erit uolta.

FRãciscus Foscari Dei gratia dux Venetiar. &c. Nobilibus, & sapientibus uiris Andreæ Donato militi de suo mandato potestati, & Vitali Miani

ni capitaneo Paduæ, & successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Videmus & examinauimus prouisiones inscriptis nobis presentatas per egregios doctores dominos Conradum de Monte regali, & Checum de Leone factas per uos, & illam fidelem communitatem nostram Padue circa factum cernedarum uastatorum, equarum, & plaustrorum, & illas in totum laudauimus, & tenore præsentium approbamus &c.

Data in nostro Ducali palatio die quindecim Septembris 1439. 1447. inditione decima, die 20. mensis Maij.

AD QVÆ ET QVALIA ONERA TENEANTVR CONSORTES. RVBRICA.

Ex delegatione magnifici Domini Magdaleni Contareno, tunc magnifici Padue potestatis.

AD tollendas differentias, quæ quotidie oriuntur, & oriri possent inter consortes habitantes in ciuitate Paduæ, seu in uillis, & castris Paduani districtus habentes possessiones, & bona, pro quibus sustinent, seu sustinere debeat cum dictis castri, seu uillis, in quibus non faciunt continuam residentiam. Visa terminatione &c. Christi nomine inuocato. Nos deputati ad vtilia communis Paduæ in his scriptis pronunciamus, & declaramus ut infra.

Primo

Primo quidem consortes, de quibus supra fit mentio, teneri ad dadiam lancearum, maxime attenta consuetudine, quæ habet illud esse onus reale tantum. Secundo ad dadiam peditum, equorum, & vastatorum, qui mittuntur in campo, & similiter conducētium equas, ad rationem librarum 15. pro quoque in mense, & in ratione mensis secundum formam capitulorum, & literarum ducalium. Ad dadiam plaustrorum seruientium in campo ad rationem librarum centum quinque in mense, & in ratione mensis pro quoq; secundum terminationē magnificorum dominorum rectorum Paduæ, & si minus pro dictis plaustris daretur, similiter cedat ad beneficium dictorum consortium. Item ad dadiā publicorum seruentur statuta de æstimis, & factionibus villarum, ex quibus clare comprehenditur, quæ sint onera realia, & quæ personalia declarantur, quod ad illa quæ censentur personalia vigore dictorum statutorum consortes nullatenus teneantur. Ad illa vero quæ ad æstimum diuiduntur secūdum formam dictorum statutorum consortes teneantur. Item ad onus equarum pro eis pasculandis, & alodiandis in castro, seu villis teneantur pro rata libras quinque in mense, & in ratione mensis pro singula equa, & si minus pro eis daretur, cedat similiter ad commodum, & beneficium dictorum consortium.

Item teneantur dicti consortes ad contribuendū pro rata expensas pontium pro duabus partibus habitorum ad tres partes, si pontes sunt extra vil-

lam,

lam,& in eius pertinentiis,declarantes omnia, & singula suprascripta, & eo modo quo supradictum est,esse,& haberi pro oneribus, & realibus, & pro ipsis teneri.

Et ad infrascripta teneantur consortes.

PRimo pro expensis factis, & quæ fient propter castra, vicariatus, & villas in mittendo Venetijs, vel alio pro agitandis litibus, & alijs opportunis. Item pro salario potestatis, vel vicarij, massariorum villarum, vel castrorum,præconum, decanorum, cataucrorum, notariorum, magistrorum, scholarum, non ad expensas domini capitanei dum visitat territoria,nec militum scribētium blada. Nec etiam teneantur dicti consortes ad aliquas alias angarias, siue factiones,si quæ sunt,siue occurrent, nisi ad superius descriptas, & declaratas 1439. indictione secunda, die Iouis tertio Septembris. Ad officium deputatorum ad vtilia communis Paduæ exactis secundum Hieronymi de Iaunensibus, tunc per magnificos dominos rectores Paduæ, & collegium fuit terminatum,si placebit inclyto dominio, vt in futurum armigeri vastatores,uel cum equabus euntes, siue ire debentes personaliter in exercitum accedant ad mādata nostri dominij,& quod supradictorum,vel aliquorum ipsorum conductæ non locentur alicui singulari personæ cuiuscunque conditionis,& status existāt, sed quod ille, uel illi quibus præceptū fuerit impositum personaliter accedere teneantur,uel mittere sin-

singulares personas idoneas habentes domicilium in territorio nostro *Paduano*. Et si contrafecerint, ipso facto habeantur incidisse in pœnam librarum uigintiquinque paruorum, & stare per mensem in carceribus, & nihilominus quod gestum est, non ualeat ipso iure, & contrafaciens suprascriptũ capitulum obseruare teneatur sub dicta pœna, cuius pœna tertium sit accusatoris, tertium prouisorum deputatorum super prædictis, & aliud tertiũ communi Paduæ detur, & applicetur. Et si non fuerit accusator, medietas sit dicti communis *Paduæ*, & altera medietas dictorum prouisorum officialium.

Itẽ quod supradictis omnibus armigeris uastatoribus, bouarijs, & equas conducentibus, deputetur unus officialis, quem ex nunc prouisorem fecerũt, qui regat, & gubernet personas, currus, boues, & equas. Et habeat de salario libras trecentas paruorum in mense, & in ratione mensis. Et ex nunc ad dictum officium deputauerunt nobilem, & prudentem uirum Franciscum Speronum de Aluarotis. Item quod aliquis prædictorum bouariorum, armigerorum uastatorum, & cum equabus seruientium non debeant nec possint cassari, uel aliter eorum loco reponi, nisi iusta, & necessaria causa in determinatione supradictorum, & hoc sub pœna librarum 25. paruorum, & standum per mensem in carceribus. Et iusta uel necessaria causa esse intelligatur, uidelicet infirmitatis propriæ, uel mortis parentis filiorum, uel uxoris.

Item quod quandocunq; facta fuit electio homi-

numralicuius uicariæ, uel potestariæ in exercitum ducalis dominij ire debentiū, quod per rectores illorum locorum fiat una litera directiua prouisori, siue officiali generali prædicto in campo continens qualiter talis uicarius, uel potestas mittit tale caput suę uicariæ, uel potestariæ tot peditum uastatorū, &c. una cum descriptione nominum, & pronominum locorum, & uillarum, & cum signis, & pro illis iustas consuetudines, qui electi, siue deputati ad accedendum ad exercitum, ut supra personaliter accedere teneantur, uel alium æque sufficientē mittere, attenta forma primi capituli. Quod si non fecerint, puniantur in libris decē paruorum pro quolibet, & qualibet uice, committenda toties quoties fuerit contrafactum. Et nihilominus exbursare teneantur communi nostro illud præmium, quod est concessum supradictis, attenta forma horum capitulorum pro tempore, quo seruire debuissent, & pœna huiusmodi diuidatur ut supra.

Item quod bouarij ad præfatū exercitum accedentes pro personis suis cātum habere possint, nec de pluri conuenire, quam de libris 25. in mense, & in ratione mensis.

Itē quod armigeri uastatores, & equas conducētes habere possint pro salario suo libras uiginti in mense, & ratione mensis, nec in maiori summa conuenire possint. Quod pretium prædictum, & bouarijs suprascriptis solui debeat in omnibus, & per omnia secundum formam statuti, uidelicet libras quindecim a communi suo, reliquum uero ab

eo

co cuius erit volta. Item quod officialis, siue prouisor constitutus, vel constituendus ad gubernationem, vel regimen supradictarum personarum, tenere debeat vnum librum autenticum rationum suarũ, in quo describat omnia, & singula spectantia ad dictum officium, & postquam reuersus fuerit à præfacto exercitu, siue exercitio debeat reddere rationes quorumcunque gestorum, & administratorum per ipsum, tam in monstris, cassationibus, & solutionibus, quàm in alijs ad dictum officium pertinentibus per ipsum factis, vel per alios de sui mandato, & consensu, in termino vnius mensis, & in pœna ducatorum centum officialibus deputatis, ac etiam in pœna priuatione dicti officij in perpetuũ, quæ pœna applicetur, & diuidatur vt in præcedentibus. Item quod quilibet qui pro alio accesserit ad exercitum, & postea redient pro habendo pecuniam ab eo qui ipsum misit, vel procuratorem mittens, non debeat audiri, nec sibi solui, nisi ostendat licentiam prouisoris sui in campo deputati, in qua contineatur quod pro tẽpore quo petit sibi solui bene seruiuit. Item quod scribatur omnibus rectoribus Paduani districtus quatenus suprascriptum proximum capitulum nedum, sed & alia suprascripta (inquantum ad ipsum pertinẽt) ad literam seruare teneantur, & debeant, neq; astringere debeãt, neq; possint aliquos ad soluendum, nisi vt in præcedenti proximo capitulo continetur. Item q omnia, & singula contra suprascripta commissa non teneant ipso iure, immo sint cassa, & irrita, &

nullius

nullius roboris & momenti. Item quod dictus prouisor teneatur & debeat fieri facere seu facere singulis quindecim diebus, vel omni mense ad plus monstram omnium seruientium pro vniuerso territorio Paduano tam cum plaustris quam equabus, & quocunque modo. Quam monstram mittere teneatur, & debeat Paduæ officialibus superinde deputatis. Item ꝙ prouisor prædictus prouidere debeat, & curare cum officiali ꝙ quicunque superstes capitaneus, vel officialis sumere vel accipere non debeat pro stipendio & solutione vltra infrascriptam quantitatem & summam, videlicet pro scribendo aliquam personam solidos quatuor, pro licentia solidos quatuor, pro cassando vero nihil. Et qui contrafecerit, cadat in pœnam librarum x. pro quolibet & qualibet vice. Item quod salarium suprascripti prouisoris sumi & extrahi debeat de fallitis & pecunijs fallitorum.

MArcus Lipomano potestas, & Vitalis Miani generalis capitaneus Paduæ pro inclyta ducali dominatione nostra Venetiarum tibi Francisco Sperono de Aluarotis dilecto nostro mandamus, quatenus in vniuerso territorio nostro Paduano regimini nostro subdito, exigas & exigere debeas à quibuscunque communibus villarum, & castrorum districtus Paduani, quæ non misissent plaustra seruire debentia ducali dominio in campo, & ibi firmiter stare debere libras sexaginta paruorum, computata pœna pro quolibet plaustro, pro quaque vero cubia equarum libras viginti-

quinq;& pro vastatore & pedite quindecim, pœnis computatis in dicto exercitu non missis. In alijs vero exigendis te regere debeas secundum formam & tenorem capitulorum cõfirmatorum per excellentissimam ducalem dominationem nostram Venetiarum, & vt in ipsis continetur. In quorum testimonium, & fidem has nostras fieri iussimus literas, & sancti Marci sigilli munimine roborari. Ex Padua die Martis 12. Ianuarij 1440. Inditione 3.

FRanciscus Foscari Dei gratia dux Venetiarũ, &c. Nobilibus, & sapientibus viris Thomæ Michaeli de suo mandato potestati, & Fantono Viaro capitaneo, & Dolfino Venerio prouisori Paduæ, & successoribus suis fidelibus dilectis salutem & dilectionis affectum. Inspecta fide & deuotione fidelissimorum ciuium nostrorum Paduanorum, ac quam prompte & continue, sed nunc nuper se obtulerũt parati exponere habere, & personas suas & vxores, & filios pro nostro dominio, intendentes eos honorare. Deliberauimus & vobis mandamus cum nostro consilio rogatorum, & additionis, quatenus esse debeatis cum consilio illius fidelissimę communitatis nostrę, & prouideatis, & eligantur per quatuor menses seu in octo ciues, qui sint apud vos rectores & prouisorem ad exequendum ea, quæ sint necessarie pro factis guerræ. Verum qui in talibus officijs per dictum terminum mensium quatuor erit, non possit in eo esse vsque ad sex menses alios nunc sequuturos. Et quàm primum facta fuerit electio de nominibus illorum, qui electi

electi fuerint,nos vestris literis aduisare debeatis.
Data in nostro ducali palatio die 16.Iulij Inditione prima 1438.

Taxa plaustrorum seruientium pro exercitu. E. D.D.Venetiarum vigore terminationis factæ per dominos rectores Paduæ vigore litterarum ducalium 1440. inditione tertia die mensis Maij.

Primo, che per ogni carro che serà mandato in seruigio della nostra Signoria,nõ mettendo quelli, che serueno termi in campo,i quali hanno lire centocinque al mese, come appar per dichiaration altre volte fatta oltre quello, che li darà la camera della nostra Signoria,quella villa alla quale toccherà mãdando debbia dar a quelli, a li quali toccherà la volta per la via dello estimo lire vna,e soldi diece al giorno,computando il viaggio da Padoua a Vicenza tre dì,che sono lire quattro,e soldi diece

E per lo viaggio da Verona,che se mette giorni sette, lire diece per andar, e tornare.

E per lo viaggio da Beneda,che se mette per andare & tornare giorni quindeci, lire 22. e soldi 10.

E per lo viaggio da Schio, che se computa giorni sei lire noue.

C per lo viaggio da Montagnana, che se computa giorni tre lire quattro, e soldi diece.

E per simel modo se osserue da ogni altro viaggio fazando el conto di giorni se po star in andar,e tornar,e pagandoli quelli de la villa in rason de li

re vna, e soldi diece per giorno. Non possando esser astretta la villa a maggior pagamēto de quello e specificato di sopra.

De le caualle veramente che se tien a Schio, e che per lo auenir se mandasse in seruigio de la nostra Signoria, se osserue questo modo videlicet, che se metta all' incanto, e per le podestarie, e vicarie, siano pagate pur per la via de lestimo, come è detto di sopra. E questi pagamenti si se intenda che se debbia far per le ville oltra quel pagamento che desse la camera de la nostra Signoria.

De i guastadori, cernede, e marangoni, niente dechiareremo, ne diremo, perche fo detto esser fatto altre volte deciaration scritta di mano, di ser Ierolimo nodaro ad vtilita del commun, & al' officio di prouedadori della guerra.

DE OFFICIO INGROSSATORVM. RVBRICA.

Statutum vetus conditum 1236.

OFficium ingrossatorum sit, & manuteneatur in Padua & Paduano districtu, & exerceri debeat per iudicem, vel militē D. Potestatis ad victualia deputatos, & per notarios ad banchum victualium officium exercentes.

VIas supradictas, & alias vias faciat dictus iudex similes dimitti, & ampliari, & faciat aperiri,

&

& expediri aquæ ductus, siue canales, siue lectos aquarum, per quas aquæ consueuerunt fluere secundum quod ei melius visum fuerit.

PVblicas campaneæ Paduæ & districtus Paduani faciat laborare, & manuteneri, & faciat fieri pontes publicarum Paduani districtus vbicunque debent, & cósueuerunt homines villarum in quarum distirictibus sunt.

COmmune, decanus, & quælibet persona cuiuslibet villæ Paduani districtus, teneantur & debeant parere præceptis domini iudicis, seu militis sibi factis circa præmissa. Et quicunque non fuerit exequutus secundum prædicta præcepta sibi facta, puniatur videlicet. Si fuerit commune villæ inobediens, soluat libras vigintiquinque. Si fuerit decanus, vel alius officialis, soluat libras decem pro qualibet vice.

Potestate D. Bonifacio Guidonis de Guizardo 1228.

NVlla ecclesia possit auferre pro officio ingrossatorũ alicui terras, nec aliquis possit auferre terras alicui ecclesiæ per officium ingrossatorum.

SI terra, quæ data fuerit in cambio vel pretio per officium ingrossatorum, teneatur per feudum, aut per liuellum, seu locationem, & cambium datum fuerit, tunc & hoc casu datio cambij fiat in dominum feudi, seu liuelli locatoris, & vassalus seu liuellarius vel conductor teneatur eodem iure, & eadem cõditione tenere a domino, quibus aliquam

terram tenebat. Si vero pretium datum fuerit in denarijs, tunc & hoc casu terra inde ematur, quæ sit, & esse debeat eiusdem conditionis, cuius alia fuerat. Et hoc locum non habeat in vineis Paduæ & Paduani districtus, nec locum habeat si terra fuerit plus duobus campis.

QVi habuerit duodecim campos terræ in vna pecia, possit ingrossare tres campos vicini sui, si pecia terrę vicini sui fuerit trium camporum terræ, vel abinde infra, & non fuerit plus tribus campis. Sed si volens ingrossare cohæreat terræ vicini sui à tribus partibus, vel si cohæreat à duabus partibus, & à tertia parte sit via communis, seu consortiua, vel aqua.

QVi habuerit viginti vel plures campos terræ in vna pecia, possit ingrossare quatuor campos terræ vicini sui, si pecia terræ vicini sui fuerit quatuor camporum, vel ab inde infra, & non fuerit plus quatuor campis, & cohæreat vt dictum est.

IN Padua, vel in campanea Paduæ, vel in Pedeuenda non possint vineæ ingrossare intelligendo de illis vineis, quę reddunt vindemiam, & habent quinque annos. In aliis autem villis possint ingrossari secundum formam statutorum, & excepto qui habuerit vnum campum vineæ vel quatuor partes campi possit ingrossare tertiam partē vineæ vnius campi vicini sui, si vinea vicini sui non fuerit in vna pecia plus vno tertio campi. Et in quolibet casu intelligatur si cohæreat, vt dictum est.

Qui

QVi habuerit campum mediũ vineæ, vel minus medio campo in vna pecia possit ingrossare pro rata suprascripta.

SI vnus, vel plures fuerint, qui habeant medium campũ vineæ, vel minus in vna pecia, vel duos campos terræ vel minus, in quibus sit medius campus vineæ, vel minus in vna pecia, ille medius campus, vel minus, & illi duo campi vel minus, possint & debeant more solito ingrossari. Sed nõ de vinea intelligatur in campanea Paduæ. Et locum habeat tam in terris communis, quam in alijs, dummodo qui tenuerit, & acceperit ipsam terram a communi teneat per liuellum, & de ea proprium non fiat, & sit bonus liuellarius arbitrio domini potestatis.

SI quis habuerit plus quinque campos terræ, & aliqua puncta sit alicuius bradij, vel alicuius peciæ terræ cuiuscunque quantitatis sit, possit ille supradictus terram, cuius venit puncta terræ eam ingrossare si habuerit a lateribus secundum quod de alijs terris ingrossandis dicitur superius dumtamen puncta sit duorum camporum vel minus; & si plus fuerit non possit ingrossare.

SEdimen aliquod, in quo sit domus aliqua, non possit ingrossari, neque possit ingrossari terra aliqua, quæ dicatur esse sedimen, dummodo constet, ꝙ a quinque annis citra a die petitionis computando fuerit domus super ea. Possit tamen ingrossari terra, quæ dicetur fuisse aliquo tempore sedimen, dummodo anni quinque elapsi sint quod in ea domus non fuerit.

ALiqua terra, quæ ſit vnita, ſeu iuncta alicui ſedimini, non poſſit ingroſſari, ſed debeat remanere ſedimen integrum cum omni terra eiuſdem domini in eadem pecia cum ſedimine exiſtente.

TErra quæ non ſit plus duobus cāpis, & habeat a tribus partibus viam pulicam, aut foſſatum factum ad munitionem villæ, aut lectum aquæ, ſeu guaſturam, vel paludē, aut foſſam cōmunem, poſſit ingroſſari per eum qui à quarta parte cohæreat.

QVicunque habet braidum terræ, in quo ſint viginti campi, vel plures, poſſit ingroſſare vineam, quæ ſit vnius campi, vel parum plus, aut minus, habendo cohærentias ſecundum quod in hoc ſtatuto ordinatum eſt.

PRædicta omnia locum habeant in campanea Paduæ, & in villis, & pertinentijs villarum Paduani diſtrictus tantum. Ita q̃ aliqua terra, vel domus, quæ ſit in ciuitate, vel ſuburbiis Paduæ, aut quæ ſit in aliquo caſtro Paduani diſtrictus nō poſſit ingroſſari. Et ſuper prædictis omnibus, & ſingulis ſub præſenti rubrica contentis ſummarie cognoſcatur, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij. Et quocunque in caſu ingroſſari poteſt, fiat conueniens æſtimatio, & ſolutio in denariis, vel cambio arbitrio iudicis victualium. Ita q̃ neutra pars decepta ſit.

MIchael Steno Dei gratia dux Venetiarū &c. Nobilibus, & ſapientibus viris Thomę Mozenigi procuratori, eccleſiæ ſancti Marci de ſuo mādato vicepoteſtati, ac Zachariæ Triuiſano militi

liti vicecapitaneo Paduæ,& successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Honorabiles oratores communitatis nostræ Paduæ, qui hic remanserant pro habenda responsione ad capitula nobis porrecta per eos nuperrime fecerūt nobis conscientiam, ꝙ rectores qui sunt in comitatu nostro Paduano, aliqui eorum, qui habent merum,& mixtum imperiū volunt, quod omnes ciues & alij sub diti regionibus nostris Paduæ, qui tenerentur aliquibus sibi subiectis, coram eis debeant conueniri, quod nobis videtur valde extraneum, cum sit ex toto contra formam iuris, & nostræ intentionis, quoniam ab illa forma non intendimus discrepare. Et propterea deliberauimus eis scribere per literas nostras præsētibus aliegatas, quas illis poteritis facere præsentari,ꝙ omnino,& omni causa remota debeant tenere modum, ꝙ si aliquis ex suis subditis agere, vel petere aliquid voluerit aliqua ratione, vel causa cuiuscunq; conditionis sit ab aliquo ciue ciuitatis Paduę, vel subiecto regiminibus nostris dictæ terræ, quod debeat sequi forum eius, cui agere,& petere intendit coram rectore, vel rectoribus,quibus eius talis debitor esset subiectus,nam debet actor sequi forum rei. Et vice versa volumus quod si aliquis ciuis Paduæ, vel suppositus regiminibus Paduæ habeat aliquem suum debitorem aliqua ratione,vel causa in aliquo locorū prædictorum, & voluerit agere contra eum, ꝙ debeat illum talem coram suo rectore facere cōueniri. Ea propter fidelitati vestræ scribimus, & mandamus, quare-

quatenus prædicta (in quantum ad vos spectat) debeatis obseruare,& facere obseruari. Facientes has nostras literas in cancelaria vestri regiminis ad futurorum memoriam registrari. Data in nostro ducali palatio die 5. Februarij indict. 14.

THomas Mozenigi Dei gratia dux Venetiarũ, &c. Vniuersis & singulis Nobilibus,& sapientibus viris de suo mandato potestatibus, & rectoribus quibuscunque quarumcunq; terrarum, castorũ, & locorum vestrorum Paduani districtus præsentibus,& futuris fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Vobis omnibus vestrumque cuilibet cum nostris consilijs rogatorum, additionis scribimus, & mandamus, quatenus statuta ciuitatis nostræ Paduæ in ea parte vbi continetur, quod ciues Paduani habitantes in ciuitate Paduæ, vel in locis eiusdem ciuitatis subiectis, non possint conueniri coram rectoribus Paduani districtus, sed debeant conueniri coram potestate Paduæ, cum actor sequatur forum rei, obseruare, & adimplere in quibuscunque casibus occurrentibus debeatis, ac obseruari facere (quãtum ad vos attinet) inuiolabiliter faciatis, dummodo non contraueniatur aliquibus promissionibus per nos factis communitatibus locorum vobis cõmissorum antequam haberemus dominium ciuitatis nostræ Paduæ. Has itaque literas pro earum obseruantia in cãcelarijs vestrorum regiminũ registrari, & cõmunitati nostræ Paduæ restitui faciatis. Data in nostro ducali palatio die 18. Februarij indictione 8. 1414.

Copia

Copia partis capta in excelso consil io Decem Die vigesimoseptimo Iunij 1434.

EA die pars capta fuit, quod omnes partes tam de rectoribus, quam de quacunque alia re contra pacta, priuilegia, vel concessiones per nos subditis nostris factas penitus sint reuocatæ, & pro reuocatis in totum habeantur, & propterea ordinetur, & statuatur. Quod de cætero poni non possit quicquam contra pacta, promissiones, vel priuilegia, quæ, & quas subditi nostri a nobis habent. Et si opponeretur nō valeat, nec teneat nisi oppositum sit per quatuor consiliarios, duo capita de quadraginta ad minus, & per tres partes capitum consilij. Et siquis contrafecerit, cadat de ducatis mille, & banniatur de maiori consilio, & priuetur omnibus officijs, & beneficijs per quinque annos, & non possit præsens pars reuocari.

IVRAMENTVM HEBRÆORVM SECVNDVM FORMAM, ET RITVM IPSORVM IVRANTIVM.

RVBRICA.

EGo Iudæus iuro per Deum viuum, per Deum Abraam, Isaac, & Iacob, & per Deum qui fecit cœlum, & terram, & per illam sanctam legem quam dominus dedit parentibus nostris in monte Sinai in manu

nu Moysis, & per duas tabulas lapideas digito Dei conscriptas, & per arcam fœderis, & per Adonai sanctum nostrum, & si terra me viuum nō deglutiat, sicut degluciauit Vatam, & Abiron, & si lepra nata supra me non veniat, & si maledictio illa super me non veniat, quam dominus dedit] in mōte Rachanch, ꝙ de his quæ à me quærentur bona fide, & purissime in omnibus quæ sciuero verum dicam &c. Nulla reseruatione facta.

QVOD DATIARII NON POSSVNT PETERE ELAPSO ANNO.

RVBRICA.

Copia litterarum Ducalium.

Rançiscus Foscari Dei gratia Dux Venetiarum, &c. Nobilibus, & sapientibus viris Matthæo Victuri de suo mandato potestati, & Christoforo Mauro capitaneo Paduæ, & successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Eximius legum Doctor Dominus Chreus de Leone orator illius fidelissimæ communitatis nostræ. Nobis inter cætera exposuit, ꝙ alias pro bonificatione datij bladorum ordinauimus, ꝙ staretur simplici verbo conductoris dicti datij de eo quod diceret habere debere ab vnoquoque. Sed si ex post reperiretur ipsum indebite petijsse, cadere et ad pœnam quarti,

Vigore

Vigore cuius ordinis datiarij multoties petierunt, & petunt datium de dictis bladis de annis octo, & decem, ex quo præsumendum est ꝙ datium prædictum bis soluatur cum damno specialium personarum, & supplicauit per nos debite, & cõuenienter prouidere, iuste quidem supplicationi illius fidelissimæ nostrę communitatis annuentes. Terminauimus, & sic vobis declaramus, & volumus, ꝙ in incantibus dicti datij de cætero poni faciatis, q; conductor per vnum annum post complementum sui datij possit petere datium suum. Quo termino elapso amplius audiri non possit, nisi iusta, & euidens occasio inter fuerit, qua iuribus suis infra dictum annum vti non potuerit. Data in nostro ducali palatio die vigesimasexta Iulij indictione quinta, 1452.

F I N I S.

RACCOLTA DI DIVERSE PARTI PRESE NEL CONSEGLIO

Della Magnifica Città di Padoua in diuersi tempi. Et confermate nell' Eccellentiss. Senato, pertinenti al Foro di essa Città di Padoua.

Quod si quis habuerit duas Sententias contra se non admittatur eius appellatio.

Ranciscus Foscari Dei gratia Dux Venetiarum, &c. Nobilibus, & Sapientibus Viris Bartholomæo Mauroceno de suo Mandato Potestati, & Vitali Miani Capitaneo Paduæ & Successoribus suis fidelibus, dilectis salutem, & dilectionis affectum. Per egregios Legum Doctores Dominos Ioannem de Leone, & Corradum de Monte Regali Oratores illius Fidelissimæ Communitatis Nostræ Nobis porecta fuerunt quatuor capitula; Per primum quorum petebant in effectum, vt prouidere dignaremur,

gemur, quod iuxta formam statutorum suorum per nostra consilia confirmatorum, non possit appellari à sententijs latis in publico arengo super turbata, vel spoliata possessione: Per secundum vero quod in causis Ciuilibus cum aliquis habuerit duas sententias contra se vnam videlicet in causa principali, & alteram in causa appellationis vbicunque lata fuerit ipsa sententia nullo modo amplius audiri possit in appellando, vel supplicando dicta causa, etiam per viam gratiæ, sed ipsa sententia intelligatur transire in rem iudicatam.

Nos vero intendentes in cunctis possibilibus ipsi Communitati complacere, contenti sumus, & sic cum nostris Consilijs Rogatorũ, & addictionis scribimus, & mandamus obseruari quatenus à sentẽtijs latis in publico arengo super turbata, aut spoliata possessione appellari non possit: similiterque cum quis habuerit duas sententias cõtra non audiatur, admittatur eius appellatio, & prouidemus quod contra prædicta duo statuta non concedatur, nec fiat gratia possedẽdi appellare sub certis stricturis.

Data in Nostro Duc. Palatio Die 21. Iulij Indictione Secunda 1433.

Cause da lire cento in zò sieno espedite per li Giudici da basso.

LAurentius Priolo Dei Gratia Dux Venetiarũ Nobilibus, & sapientibus Viris Bernardo Georgio de suo mandato Potestati, & Andreæ

Bar-

Barbadico Capitaneo Paduæ & successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum.

Fù altre volte del 1545. alli 11. del mese di Febraro preso nel Conseglio nostro di Pregadi vna Parte in materia delle Sententie da Lire cento in zoso, la quale sera con queste, alla quale non essendo sta data quella essecutione ch' è sta intentione della Signoria nostra hauemo voluto di nouo, cusi supplicati dalli Oratori di quella Fedelissima Communità mandarla nelle presenti inserta, comettendoui, che la dobbiate essequire, & far che da cadauno sia inuiolabilmente essequita.

Data in Nostro Ducali Palatio die 9. Aprilis Indict. 15. 1557.

1545. *Die 11. Februarij in Rogatis.*

LI Spettabili Ambasciatori di quella Magnifica, & Fedelissima Città D. Aluise Discaltio, & D. Giulio Speron Dottori per solleuation de molti Artefici, Contadini, Mercenarij, & simil pouere persone, le quali per ogni minimo credito, che hanno cò altri, che possono portare la spesa dopoi ottenuta de lì la sententia in fauor loro vengono dalli debitori tratti in appellatione in questa Città, con perdita di tempo, dispendio, & altri interessi, ne hanno in nome di essa Città supplicato, che siamo contenti conciedergli che tutte, e cadauna causa da cento lib. e de piccoli in zò si debbano comenzare, & finire in prima instantia auanti li Giu-

dici inferiori del Palazzo, si che in prima instantia al tutto nasca vna Sententia per alcuno di Giudici del Palazzo inferiore,dalla quale lo grauato si possi appellare al Podestà che se attroua per tempora in quella Citta, il quale laudando la Sentenza del del detto Giudice inferiore quella sia inappellabile,& non laudandola, & tagliandola in quel caso l'appellatione venghi in questa Città alli Giudici competenti: Dichiarando che se il Giudice inferiore serà giurato suspetto il Podestà ne debba delegare vn'altro, & essendo giurato suspetto anche il secondo se debba delegar il terzo in quale non si possi più giurare suspetto saluis semper, resseruatis tutti gli altri Statuti, & Priuilegi concessi, & confirmati per la Signoria Nostra a quella Citta; onde noi hauendo considerata la honesta dimanda di essa Mag.& Fedelissima Città siamo stati contenti in gratificatione sua, & per comodità, e beneficio de poueri litiganti, & così vi commettemo con il Senato che da mò auanti nelle cause da L.100. in zoso de piccioli solamente dobbiate osseruare, & far che sia osseruuto quanto è sopradetto inuiolabilmente,& senza ecceccione alcuna has autē,&c.

Mādato de Sindici,che si osserui la Parte de L. 100.

